12. Ag. nº. 1668.

Biblioteca Universitaria Granada
Sala
Estante
Tabla
Número

Biblioteca Universitaria Granada
Sala
Estante
Tabla
Número

de la Libre.ª de S.r S.n Anton de Granada

y ta est.

Fr. Fran.co de los Bros. Garcia

B-7559

DE VITA MORIBVS AC REBVS PRAECIPVE ADVERSVS TVRCAS, GESTIS, GEORGII CASTRIOTI, CLARISSIMI EPIROTARVM PRINCIPIS, qui propter celeberrima facinora, Scanderbegus, hoc est, Alexander Magnus, cognominatus fuit, libri Tredecim, per Marinum Barletium Scodrensem conscripti, ac nunc primum in Germania castigatissime æditi.

ARGENTORATI APVD CRATONEM MYLIVM,
MENSE OCTOBRI, ANNO
M. D. XXXVII.

ILLVSTRISSIMO AC NOBILISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
Domino Alberto Marchioni in Baden ac Hochberg &c. Caſpar Hedio S. D.



ILLVSTRISSIME PRINCEPS, CVM IMMANItate Turcarum tot ſeculis affligatur ac atteratur res Chriſtiana, & in præſentia, ſi famę nimium inauſpicatę credendum eſt, in utranqꝫ Siciliam uires omnes conuertat hoſtis truculentiſſimus, operępretium me facturum arbitratrus ſum, ſi ſub tuę illuſtris claritudinis nomine, hanc Scanderbegi hiſtoriam emitterem. Non paucæ uero mihi cauſæ fuerunt Illuſtriſſime Princeps, quibus ut hoſce libros tuo nomini inſcriberem, adductus ſum. Primum enim iſtorum lectionem tibi uehemẽter iucundam fore nihil addubito, quem pro eximia eruditione & prudẽtia ſingulari, quę pauciſſimis in hac ętate, hoc denicꝫ loco quo tu es, contigit, rerum geſtarum cognitione imprimis delectari certò ſcio. In ſpem præterea ueni, multos Principes ac heroas lenocinio nominis tui (ſub quo iam primũ hiſtoria hęc in ſua, hoc eſt Latina lingua, apud Germanos in publicum exit) inuitandos, ut nõ tantum hanc & alias eodem argumento ſcriptas legant, ſed & Scanderbegi exemplo, cogitare tandem ſerio incipiant, quibus conſilijs hoſti tam crudeli, atcꝫ adeò ſitientiſſimo Chriſtiani ſanguinis, obuiam eatur, ne cum tanto Chriſtianorũ principũ dedecore (liceat enim uera loqui, quando res ita cogit) & excidio nobiliſſimarũ nationum, adde & quod grauiſſimũ eſt, religionis noſtræ ſanctiſſimę abolitione pomeria ſuę ditionis, aut ut rectius dicam tyrannidis perpetuò proferat. Scanderbegi ætate ingeminabatur una omnium uoce, dulce LIBERTATIS nomen, quo tanquam claſſico animi hominũ excitati, eam uindicare conabantur, ac pro ea non aliter, cꝫ pro aris & focis depugnabant. Nos ipſos certe niſi mala ſemel concilient, quæ impendent toti orbi Chriſtiano, ut aduerſus tantum hoſtem, qui irreconciliabili odio ac deſiderio extinguendi Chriſtianum nomen nihil intentatum relinquit, nos accingamus, uereor ut breui Epitaphium ſimus conſcripturi LIBERTATI. Verum hæc alterius ſunt loci. Cæterum de fide huius hiſtoriæ non eſt quod dubitemus, cum de Scanderbego pręclaram mentionem & honorificam faciant Aeneas Siluius, Volaterranus, & Paulus Iouius in commentario de rebus Turcicis ad Carolum quintum Imp. conſcripto, quorum teſtimonia adijcere libuit.

Tu quicquid id eſt, Princeps Marchio patrone ſtẽmatis illuſtriſſimi, ſed ornamẽtis animi longe illuſtrior, ab Hedione clienti benigno animo ſuſcipe, & Marchionatũ patriã, ex qua & mihi natale ſolũ eſt Ettelinga, in clientelã & fidẽ tuã admitte, imò totius Germanię LIBERTATEM ac ſoli dam & uerã utilitatẽ Chriſtiani orbis, tactus cogitatione cõmunis boni, cꝫ commendatiſſimã habeto. Chriſtus Opt. Max. te & tui ſimiles nobis cõplures uelit exiſtere. D. Gerbelius, & D. Vlrichus Chelius Pfortzẽſes Illuſtri D. T. ſe cõmendant. Argentorati An. M.D.XXXVII. menſe Sept.

INDEX

EORVM QVAE HOC opere continentur.

A

Abscessus Mahumetis urbe Dyrrachina. 364
Acris Tyranni adhortatio ad suos, super bello cõtra Scanderbegum decernendo. 102
Aduentus Scanderbegi ad præfectum urbis Croiæ, & uafra successio eius in præfecturam & urbis custodiam. 18
Adhortatio Scanderbegi ad uniuersum cõcilium pro tuenda orthodoxa fidei. 39
Adhortatio Scanderbegi ad milites suos, ad agrum hostilem diripiendum. 53
Aduentus Amurathis in Europam centũ millibus 62
Aduentus Ferisij cum exercitu in agrũ Albanũ. 71
Adhortatio imperatoris Veneti exercitus ad suos 79
Adhortatio Scanderbegi ad milites moderata. 80
Adolescentia haud capax consilij. 87
Adhortatio Vranacontis ad Croienses. 166
Adhortatio Castrioti ad proceres, ac omnium militũ ordines 202
Adhortatio Debreæ ad suos ad fortiter pro uictoria pugnandum. 209
Adhortatio Castrioti ad milites, ut fortiter pro uictoria certent. 210
Adulatores appositissimi ad regum uanitatem. 214
Adhortatio urbis præfecti ad Belgradenses, ut urbẽ munirent, fidem seruarent. 223
Adhortatio Castrioti ad suos. 335
Adhortatio Scanderbegi ad milites ante profectionem suam contra Ballabanum. 344
Adhortatio Scanderbegi ad milites. 347
Alchria oppidum in Macedonia. 30
Alybassa contemnit exercitum Scanderbegi. 52
Alphonsus princeps uenit in Appuliam, & à regina adoptatur. 283
Alphonsus moritur, Ferdinandus succedit. eodem.
Amesa aditor consiliorum Scanderbegi. 22
Amesa baptizatur cum socijs. 30
Amurathes solicitatus à suis, ut bellum Scanderbego inferret, pacem ab eo literis fraudulenter dolosq; frustra petit. 64
Amesa Turca capitur 205
Amesa petit Scanderbegi nomine deditionem urbis Didrasti. 88
Amurathes parat reditum in Adrianopolim 147
Amurathis copiæ coguntur ad obsidionẽ Croiæ. 162
Amurathes Oratorem suum ad Castriotum pro pace petenda dirigit. 184
Amesa fit rex Epiroticus per Bassam. 263
Amesa celebratur rex Epiri 266
Amesa Scanderbegi nepos capitur. 270
Amesa iussu patrui ad Alphonsum in carcere sub arcta custodia habendus mittitur. 275
Amesa remittitur in Epirum. 280.
Amesa Constantinopoli ueneno sublatus. 281
Amici, præsidia sunt regni. 368
Andreæ optimatis Didrasti adhortatio ad suos milites & ciues. 88
Anno 1449. nono anno imperij Scanderbegi, bellum Sfetigradense. 115
Antiqua monumenta in Dyrrachio. 363
Apparatus belli Amurathis contra Epirensem. 103
Appuli cum suis & cũ hostibus manus cõserunt. 301
Ariamnites dat tributum Scanderbego. 43
Asianus miles in Europam transportatur. 107
Asianus Mosis manibus conspoditur. 112
Assambegus cum 30. millibus superatur. 307
Astra patent bona & mala agentibus. 265
Auxilia Scanderbegi in Amurathem. 35
Auro peruia mœnia quæ genus ferri cõtẽpsissent 138
Auaritia ingeniosa ad tuendas opes. 206

B

Balesium oppidum. 86
Barbari oratio super modum Tyranni uires efferens. 117
Barbari ad pugnam contra oppidanos sese accingunt. 165
Barbari necantur in fuga. 212
Bassa Isaac supremus capitaneus exercitus Turcici. 256
Baretis oppidum. 291
Barbari Venetorum agrum depopulantur 313
Barbari & Scanderbegi mutua munera. 364
Bellum ortum inter Iohannem Castriotum Scanderbegi patrem, & Amurathem Turcarum principem. 5
Bellorum uarij euentus, & nullibi instabilior fortuna. 131
Belgradi oppidi descriptio. 203
Bellorum nerui Scanderbego à Christianis principibus 208
Belgradenses à Scanderbego petunt inducias. 224
Bellum Ferdinandi cum Iohanne Renati filio 284
Bellum Scanderbegi cum Gallis. 300
Bosa mulier Scodram confugit, & Venetis se tradit, hinc fortuna parat Scanderbegũ Veneto bello. 75

C

Castriotus accusatur affectati regni. 12
Castrioti oratio ad duces, præfectos et milites suos 29
Castriotus Mocream uenit. 73

Castriotus cladem Hungaricam ægreferens, agrum Despoticum diripit atq; incendit. 63
Castriotus à Venetis ciuitate donatus, totius rei Venetæ in Epiro, Illyricoq; summus creatus est imperater. 101
Castrioti oratio ad præfectum Sfetigradensem & oppidanos. 107
Castriotus rursus tentat Sfetigradum oppugnare, sed non succedit. 156
Castriotus irrupit in castra Turcæ. 168
Castriotus cum Mose, uti pater cum insolenti filio agit. 243
Castriotus mouet signa in hostem. 276
Castriotus respuit Tyranni fœdera. 278
Cadauera excoriare, & cutem palea implere. 234
Calapinus Amurathis filius necatur à Mahumete. 197
Captiui Epirenses Constantinopolim ducti. 336
Capti quidam cõsilia Scanderbegi aperuerunt. 264
Carolus Hungariæ rex contra Iohannam. 282
Catalogus malorũ quæ Scãderbeg intulit Turcæ. 65
Cædes Turcarũ, & fuga Scanderbegi è castris Barbarorum in Epirum. 16
Cædes Barbarorum. 53
Cæsa Christianorum quinq; millia. 234
Certamen inter Italos & Gallos. 284
Celebre Fabij dictum. 334
Christianorum in Belgrado prudentia 224
Christianorum inter se discordia. 329
Clementia Scanderbegi iuncta prudentiæ. 19
Colloquium regis Ferdinandi & Scanderbegi. 304
Colloquium legati Turcici cum Vranaconte solo. 183
Colchinium maritima Venetorum urbs. 204
Colloquium Scanderbegi cũ Hamur & Synan. 279
Colloquium Scanderbegi & Picenini. 294
Comes Iacobus à fuga latitat in Italia uilissimo habitu. 302
Comparatio duorum animalium, quorum alteri plura capita, alteri unum esset. 305
Conditiones pacis inter Turcã & Scanderbegũ. 311
Cõditiones pacis ficatæ per Barbaros propositæ 157
Conflictus Scanderbegi cum duobus Persis. 9
Coniuratio principum Christianorũ in Turcam. 325
Consilium in Imperatore spectandum, nõ manus. 68
Consilio bella gerenda. 87
Conditio pacis obsessi Dayni. 100
Croia occupatur. 11
Croia obsidetur à Turca. 164
Croienses norant spernere ferrũ, nõ tantũ uerba. 183
Cupiditas imperij et gloriæ facit omniũ obliuiscì 215

D

Daniel Iurich Sebencinus, Imp. Venetorũ. 79
Daniel dux Venetorum fugit. 84
Daynum oppidum. 38
Daynum in coronæ speciem obsidetur à Scanderbego. 77
De aduentu Moseos contra Scanderbegum cum exercitu. 242
De aduentu legatorum ex Constantinopoli ad Scanderbegum, pro Sanzacho, cæterisq; captiuis redimendis. 273
Debreas iussu Tyranni instauratis Amesæ copijs, & suppleto militũ numero, in Scanderbegum signa mouet. 207
Debreas transfigitur à Scanderbego. 212
Debreas uenit in Epirum. 208
Decem millia hominum electa contra Turcam. 104
De cæde Barbarorum, & triumpho Castrioti, Epirensiumq;. 267
Decernitur auxilium Hungaris. 57
De fuga Amesæ ad Turcam. 253
Demetrius & Nicolaus, ex Berisiorum familia. 236
Descriptio urbis Croiæ. 14
Descriptio Dibræ superioris. 17
De militibus in Dauniam transportatis. 289
De morte Scanderbegi. 370
De morte Alphonsi regis. 279
De pace inter Mahumetem & Scanderbegum. 313
Deprecatio Scanderbegi ad Deum. 290
Descriptio Dibrarum. 139
Descriptio urbis Raguſinæ. 285
Descriptio Vrsaræ, Nuceriæ, Troiæ, Segiani montis. 297
Despotes uendicat sibi regnum à Tyrannide Amurathis, à quo iterum expellitur. 15
Deuastatio segetum, incendium &c. rabies ueriùs, quàm ultionis commodum. 264
Dolor Amurathis ob cædem Bassæ, suorumq;, & eius indignatio aduersus Scanderbegum. 31
Dolor & conflictatio Ottomani principis, ex morte Ballabani, & dissolutione obsidionis Croiæ. 362
Dotes bonæ & malæ Mahumetis. 197
Driuasti urbis oppugnationem induit Amesa. 86
Driuastenses uincunt Amesanos. 90
Duellum Pauli & Caraguſij. 95
Duodeuiginti hominum millia collecta, ut Sfetigradũ obsideretur 151
Duo tempora probandæ amicitiæ. 199
Duo Amesæ: alter præfectus Turcarum, alter Epirensis. 205
Dux Iohannes consulit sibi fuga. 302
Dyrrachij descriptio. 363

E

Edictum summi Pontificis contra Turcam. 319
Edictum de cogendis quinquaginta equitum millibus. 256

Epirenſis ſermo ad milites. 209
Exclamatio in ignauiam principũ Chriſtianorũ. 171
Ex fortiſſimis bellatoribus abactores pecorum, & ouium cuſtodes facti. 54
Exercitus conſtans octo equitum, & ſeptem peditum millibus. 45
Exhortatio Epirenſis ad ſuos, pro victoria. 291
Exhortatio Picenini ad ſuos. 299
Expoſtulatio Scanderbegi cum Ameſa. 91

F

Ferdinandus Scanderbego obuiam procedit. 291
Feribaſſa hortatur ſuos ad pugnam. 133
Feriſius cum nouem millibus mittitur contra Scanderbegum. 70
Feribaſſa occurrit Caſtrioto. 133
Forma circunciſionis Macomethanæ ſectæ. 6
Forma literarum, & reſponſio Scanderbegi ad regẽ Vladislaum. 60
Forma literarum de tollendo Scanderbego. 215
Fortiſſimus exercitus confluit ad Scanderbegũ. 359
Fortiter victis mors malorum & miſeriarum finis. 50
Fortitudo ſola inter uirtutes ſæpe furentes impetus habet. 232
Fortunæ poſſeſsio non eſt perpetua. 191
Fraus excogitatur à Scanderbego contra Mahumetem. 173
Fuga Feriſij. 72
Fuga Scanderbegi in obſidione Begradi, 341
Fuga inhoneſta, ſtante Imperatore. 269
Fuſianus abit in Siciliam. 303

G

Gallorum laus. 298
Gaudium Croiæ à victoria Scanderbegi. 360
Georgius Streſius nepos Scanderbegi. 51
Georgij Thopiæ caſus. 232
Germani neſcij cedere. 154
Girocaſtrum oppidum uicinum Belgrado 228
Grata lautaq; oratio Caſtrioti ad Venetorum legatos, qui cum pace ad eum uenerint. 100
Gratulationes ad Scanderbegum ab externis gentibus. 193

Hellena Regina Myſſorum & Illyricorum. 90
Hortatur Turcã pro ſuſcipiẽda fide Chriſtiana. 325
Humanæ imbecillitatis deploratio. 192
Hungari uincunt. 16
Hungaricæ res Scanderbego ad conſultandum commiſſæ. 59
Huniadis magnanimitas. 62
Huniades Turcarum victor. 46

I

Iactura apud Belgradum. 258
Iacula præuiſa minus feriunt. 266
Imperatoris partes magis in conſulendo, quàm dimicando ſitæ. 134
In ducibus non laudatur prodiga uitæ uirtus. 128
Ingenium Scanderbegi quale fuerit ad diſcendas linguas. 7
In Italos facete dictum & falſe. 218
In quibus periculis Scanderbegus fuerit. 24
In rebus bellicis timidiora & cautiora conſilia probantur. 263
Inſigne reſponſum Daynenſium liberorum ciuium. 85
Inſtauratio urbis Croiæ. 198
Inſtructio acierum Scanderbegi. 51
Inſtructio acierum à Ballabano ad pugnam. 315
Inundatio ſanguinis Albulæ nomen mutauit. 271

L

Lapſus & penè abolitio Ottomanorum imperij eiuſdemq; reſtitutio & augmentatio. 4
Laureatæ literæ. 55
Leccha Zacharias obtruncatus, hinc cauſa belli. 75
Legatio Ottomani ad inducias ab Hungaris in decennium petendas. 33
Legatio Turcæ ad Moſen non uerbis ornata, ſed muneribus & auro. 216
Legatio Scanderbegi ad Alphonſum Appuliæ regem. 216
Legationes Principum ad Scanderbegum. 242
Legati Pontificis ad Scanderbegum. 285
Libertas uindicanda. 19
Libertas aduerſis Dijs non eſt defendenda. 183
Literæ Vladiſlai Pannonũ regis ad Scanderbegũ. 55
Literæ Amurathis Ottomani ad Scanderbegum. 65
Literæ Caſtrioti ad Turcam de pace. 312
Literæ Mahumetis ad Scanderbegum. 322
Literæ à Tanuſio miſſæ. 350
Locus ſepulturæ Scanderbegi. 370
Ludus in Raguſio. 289
Lyſſum oppidum ciuium Romanorum. 36
Lyſſa Venetorum urbs. 364

M

Macedonia Principum altrix. 1
Macomethi leges. 66
Mahumetes fratris occiſor. 318
Mahumetis crudelitas. 170
Mahumetes diſcedens è Croia & Epiro re infecta, Ballabanum cum innumeris copijs in Croiæ obſidione reliquit. 353
Mahumetis conſilia contra Scanderbegum. 173
Mons Garganus. 306
Mores & ciuilia Raguſinorum. 286
Mos gentis, cingulo circa collum conuoluto. 251
Moſes Scanderbego adeſt ſocius laboris. 21
Moſis obiurgans exclamatio in ignauum militem. 84
Moſes perfidus, arma uertit in patriam. 235
Moſes prouocat Scanderbegum ad ſingulare certamen. 245
Moſes ut belli, ita & fugæ dux. 248
Moſes tacite laceratus. 249
Moſis dotes. 250
Moſes redit in gratiam cum Scanderbego. 251
Moſis ſtudium, ignominiam ſuam inſigni aliquo facto abſtergere. 252
Moſes fortiſſime exhortatur ſuos. 270
Motus atq; tumultus in Adrianopoli ex morte Amurathis. 195
Mulier ſocia conſiliorum Scanderbego. 240
Muſachius Topia ſororius Scanderbegi. 199
Muſachij fuga & interitus. 230
Muſtaphas diſſuadet bellum cõtra Chriſtianos. 76
Muſtaphas apud Amurathem ſe excuſat non ſine laude Scanderbegi. ibidem.
Muſtaphas obtinet ab Amurathe, ut cum Scanderbego confligeret 92
Muſtaphas cum alijs duodecim captiuis 20. millibus aureorum redimitur. 99

N

Neceſsitas non fert conſilia longiora. 257
Nicolai Duchagini celebre factum. 59
Nomen Turcarum deletum in Epiro. 21
Non fidendum fortunæ primordijs. 67
Noua nomina Scanderbego & fratribus indita. 6
Noui ex Adrianopoli motus, & fama belli Mahumetis in Scenderbegum. 204
Nuncius mittitur Belgradum à Sebalia, ut dubios confirmet. 228
Nuncius Barbari ad Caſtriotum. 277

O

Obſides dantur Turcæ Iohannis Caſtrioti filij. 5
Obſidio Steluſij, eius deſcriptio & deditio. 25
Obſidio Petralbæ, deſcriptio ac deditio eius. Ibidem
Obſidio Sfetigradi. eiusq; deſcriptio. 26
Obſides dati er Chriſtianis. 222
Octo millia hominum occiſa. 172
Odium Turcæ in Caſtriotum. 182
Omnis generis ſpolia miſsa regibus Chriſtianis. 275
Optimum ſi ab uno ſapientiſsimo Principe cuncta regantur. 305
Oratio Ameſæ, qua defectionem ſuam excuſat apud Ottomanum. 254
Oratio Angeli pro bello aduerſus Mahumetem inchoando. 317
Oratio Ballabani ad Ottomanum. 339
Oratio Caſtrioti ad duces & milites, in profectione ad urbem Belgradi oppugnandam. 219
Oratio Epirenſis ad Principes & uniuerſum exercitum. 360
Oratio Ferdinandi plena laudum Scanderbegi. 304
Oratio noui Imperatoris Scanderbegi ad Albanum militem. 46
Oratio Oratoris Tyranni ad Epirenſem. 185
Oratio Pauli Angeli ad ciues Raguſinos. 287
Oratio Perlati ad Dibrenſes, ne ſe Ottomano dedant. 140
Oratio Picenini ad Caſtriotum. 295
Oratio Picenini ad exercitum. 297
Oratio Scanderbegi ad milites prima. 22
Oratio Scanderbegi antequam Muſtapham aggrederetur. 74
Oratio Scanderbegi, qua auget ferociam ſuorum, & minuit hoſtium. 96
Oratio Scanderbegi ad Principes & confœderatos. 353
Oratio Scanderbegi ad duces caſtrorum. 365
Oratio Scanderbegi ad milites nocte pugnaturos 128
Oratio Scanderbegi ad ſuos, oſtendentis paratum ſe ad duellum cum Feribaſſa. 135.
Oratio Scanderbegi ad ſuos, ante congreſſum cum Barbaris. 245
Oratio Scanderbegi ad congregatum exercitũ. 257
Oratio Tyranni ad duces & præfectos ſuos. 326
Oratio Veneti oratoris Pauli Angeli ad Caſt. 314
Origo & genus Caſtriotæ familiæ. 4
Origo & nomen Albanæ ſeu Epiroticæ gentis. 36
Oronicheum, locus in Dibra. 261
Ottomanum imperium male patum. 333
Ottomani aduentus in Epirum. 264

P

Papa uult Scanderbegum regem facere. 304
Parthinorum gens inter nobiles populos Epiri habetur. 163
Pater Scanderbegi moritur. 11
Pauli Duchagini oratio. 58
Paulus uincit Barbarum in duello. 96
Paulus ſecundus Pontifex maximus. 355
Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiſcopus. 287
Pax inter Turcam & Scanderbegum. 281
Philippi uox in Alexandrum regem. 368
Petrus Emanuel. 265

Perfidia & feritas deſtruunt regna. 146
Periculis aſſueta uirtus. 166
Petrella urbs obſidetur. 24
Perlatus præbibit Dibrenſibus. 244
Per pelues & uaſa ærea inſidias hoſtis experiri. 180
Pius ſecundus contra Turcam. 319
Pius ſecundus Papa Anchonæ moritur. 331
Præcepta pro principe formando. 368
Præſidium Tyranni in Belgrado. 221
Præclara, ſudore & labore perficiuntur. 175
Principum ira plumbea 353
Prouentus Scanderbegi in Epiro. 44
Prouerbium, Digitum ad fontem intendere. 138
Pugnæ ſatietas fit in rebus aduerſis. 76
Pugna Caſtrioti cum Venetis apud Drinonis ripam. 83
Pyrrhus Epirotarum rex. 296

Q

Quæ Caſtriotus ad ſalutem regni procurauerit, audito Tyrani aduẽtu in Epirũ 104
Quæſtio de Scanderbegi ceſſione. 261
Quæ Turca promiſerit Ballabano, ſi uincat Scanderbegum. 337
Quantũ ſpes poſit in uariandis mortaliũ animis. 229
Quid Scanderbegus cum ducibus & præfectis ſuis ſuper auxilio ferendo Vladislao regi ſenſerit. 57
Quo animo Scãderbeg cõtra Chriſtianos bellârit 11

R

Raguſina urbs Epidaurum dicta. 287
Raguſina altera Roma. 288
Redeunt victores ad regiam urbem Croiæ. 54
Reditus Caſtrioti ad urbem Croiæ. 218
Regni libido dulce malum. 75
Reſponſio Scanderbegi ad epiſtolas Amurathis. 69
Reſponſio Ameſæ ad admonitorem Marinum. 87
Reſponſum Perlati datum Turcæ petenti deditionẽ Sfetigradi. 116
Reſponſio, & ingreſſus in urbem regiam Scanderbegi. 350
Reſponſio Epirenſis ad Oratorem Tyranni. 187
Reſponſum Caſtrioti ad Piceninum. 295
Res ſecundæ obtuſiora efficiunt hominũ ingenia. 83
Ruſtica dona quæ Scãderbegus miſit Ballabano. 334

S

Sanguinem pluit 265
Sanzachi dignitas apud Turcas. 7
Scanderbego committitur exercitus Turcicus. 7
Scanderbegi duellum cum Scytha. 8
Scanderbeg victor honoratur muneribus. 10
Scanderbegi conſilium de regno paterno recuperando. 14
Scanderbeg conſcribit exercitum Hungaro auxiliaturus. 60
Scanderbegus caſtra Turcæ inuadit & fugat. 74
Scanderbegus aciem inſtruit contra Venetos. 82
Scanderbegus ad obſidionem Daynenſem ſe conuertit. 99
Scanderbegus Croiam exit. 106
Scanderbegus Dibrenſes & Sfetigradenſes in gratiam recipit. 146
Scanderbegus ſua manu 30. millia Turcarum occidit. 305
Scanderbegus elapſus cum uno miniſtro. 343
Scanderbegus moriturus, filium ſuum Iohannem ſocijs ſuis commendat. 366
Scanderbegus uixit annos 63. 365
Scanderbegus alloquitur filiũ ſuum moriturus. 367
Scanderbegus cum copijs ad Iſmum flumen ſe recipit. 174
Scanderbegus excipitur à Croienſibus. 192
Scanderbeg concedit ad Dibras. 238
Scanderbegus Tumeniſtum occupat. 268
Scanderbegus reſpuit pacem cum Turca. 274
Scanderbegi pugna cum Piceninis & Gallis, eiusq; victoria. 292
Schiſma Vrbani ſexti, & Clementis Papæ. 282
Scodrenſes Baleſium incendunt, funditusq; euertunt. 93
Sebalias cum 16. millibus mittitur ad ludificandum Caſtriotum. 175
Sebalias magnis copijs mittitur contra Scanderbegum. 227
Sebalias victoriam celebrat. 233
Sebalias munit Sfetigradum. 236
Sedendo uincere. 198
Seditio populi Romani contra Bonifacium nonum Pontificem. 282
Sententia Turcæ de Scanderbego. 180
Sermo Ameſæ ad Scanderbegum, de uxore & liberis. 280
Sfetigradenſes erumpunt in Turcas. 125
Sfetigradum oppugnatur. 151
Signa quædam naturaliter in corpore Scanderbegi 5
Simpontum urbs. 306
Simultates peſtiferum malum in rerum adminiſtratione. 86
Situs Sfetigradi. 116
Statura Ameſæ & dotes. 253
Stratagema Scanderbegi, ad alliciendum hoſtem ad pugnam. 111
Stratagema Scanderbegi cum duobus Turcis. 233
Subornati occiſores Scanderbegi. 352
Summa bellorum, quæ geſſit Scanderbeg intra annos decem & octo. 299
Syna præfectus Turcæ cum 20. millibus uult Scanderbegum inuadere. 307

T

Tacita Ameſæ querela. 94
Tanuſius cum tribus millibus equitum præit iuſtum exercitum. 221
Tellus ſanguinis profluuijs humida. 269
Tempus fortibus uiris ſicut nautis expectandũ. 204
Tria millia cum Muſachio oppreſſa. 232
Triumphus Scanderbegi & regis Ferdinandi. 302
Triumphus Sebaliæ, quo uenit Conſtantinopolim. 240
Triumphus Caſtrioti euntis Croiam. 272
Tubicines, cornicines, bellica ſunt inſtrumenta. 267
Tumeniſtus mons. 162
Turca ex aſtris colligit, orbis imperia ſibi promiſſa. 330
Turcæ qui, & unde. 48
Turca ingratitudinis accuſat Scanderbegum. 66
Turca receptui canit infœlicitter pugnans 172
Turca exprobrat infœlicitatem ſuam Dijs. 184
Turca cladem imputat Ameſæ. 206
Tyranni conſilium & inſidiarum genus, pro morte Caſtrioti. 13
Tyrannus audita Belgredi obſidiõe, omiſſa omni alia cura, totus in eam ſoluendam eſt conuerſus. 366

V

Varij rerum motus & ſucceſſus, diuerſiq; bellorum euentus, atq; mutationes ſtatus regni Neapolitani. 282
Vaticinia, ſiue prodigia de Scanderbegi natiuitate 4
Variæ apud Ottomanum ſententiæ ſuper bello cum Hungaris renouando. 32
Velox conſiliũ Scanderbegi in recuperãda Croia. 16
Venetorum exercitus ad urbem Scodram. 78
Venetiæ columen & propugnaculum fidei Chriſtianæ. 35
Venetorum laus. 368
Verſis proris, prouerbium. 212
Victoria Hunniadis, qui & Iancus dictus. 15
Victoria Scanderbegi contra Seremetium. 331
Victoria oppidanorum aduerſus Tyrannum. 176
Victoria Scanderbegi & triumphus. 248
Vincere non ſemper decorum. 308
Vires Scanderbegi trifariam diuiſæ. 78
Vladislaus Pannonum rex contendit ad reſtituendum Deſpotem in regnum. 15
Vladislaus occiditur, ſpreto Hunniadis conſilio. 63
Vladislaus rex, dictus Lancilagus, ueneno ſublatus. 283
Vltima Amurathis uerba, cum proximus eſſet morti. 190
Vranacontis heros Epirenſis urbi Croiæ præficitur. 106
Vranacontis reſponſum datum Scanderbego. 119
Vranacontes deſignatur dux Aemathiæ. 193
Vranacontes reſpondet Scanderbego. 203
Vrbs Trani. 302
Vrbs ciuibus commiſſa, non ciues urbi. 166
Vrſara Appuliæ oppidum. 293
Vulgi mos præclare mentiri. 235

Z

Zacharia Groppa. 152
Zachariæ Groppæ, & Barbari certamen. 244

FINIS.

DE SCANDERBEGO IN HAEC VERBA SCRIBIT Volaterranus lib. viij. Geographię in deſcriptione Macedonię.

TRes præcipuę familiæ hæc omnia loca ſimul cum Epiro poſſidebant, quas omnes Romę uidimus à Turcis expulſas. Inter illas ſecunda eſt Caſtriotarum, è quibus Iohannes Dibras, ſiue Doberienſis Troiam, nõnullaq; alia loca interius obtinebat. Quumq; ab Amurathe Turca bello peteretur, tributi conditione liberatur, obſide filio Georgio puero nouem annorum dato. Hic igitur & indole & uirtute creuit heroica, & robore corporis incomparabili, quapropter Amurathes eum in ſuam ſectam aſciuit, uocauitq; Scanderbech, quod lingua Turcarum Alexandrum Dominũ, ſiue Magnum ſignificat. Hic plures ei prouincias acquiſiuit, inter quas & Mœſiam adſecutus, Georgio Vncheruch Deſpoto ac Nouomonte eius regionis metropoli expugnato, ubi auri argentiq; fodinæ dicuntur eſſe. Extincto patre ac fratre Caraguſio natu maiore, qui erat obſes apud Andrinopolim, Amurathes ei regnum paternum tradidit. Interea Eugenius quartus audita fama, hunc per nuncios & literas ad noſtros, & fidem priſtinam traducere conatur. Ille confeſtim obtemperat, ac rebellans tot pro religione res geſſit, quot antea contra, ac de improuiſo Croiam, Sfetigradum, Steluſium, Modriſiam, & Ternacium, oppida in ea regione occupat. Amurathes contra eum Ameſambech fratris eius filium primo, deinde Vranum ducem cũ copijs mittit. Croiam quatuor iam menſes obſidebant, cum moritur, ac filius eius Mahumetes miſſis totidem ducibus, quos Baſſas uocant, fruſtra uires inſtaurat, cum ille ſemper parua manu ingentes hoſtium cateruas funderet ac fugaret. Sed & uno tẽpore Venetos quoq; bello laceſſebat. Cauſa fuit, quod illi pactam pecuniam maioribus ſuis ob ablata Albanię oppida pendere negabant. Itaq; Dyrrachienſem, deinde Damnienſem, Scodrenſem, & Driuaſtenſem agros late populatus eſt. Venetorum exercitũ ad Drinum fluuium occurrentẽ fugauit, tandẽ inter eos conuentum ſequeſtra pace per Antonium Venerium Albaniæ prouiſorẽ, ut illi Scodra & agro, quẽ ceperat, cedenti mille quingentos aureos quotannis tribuerent. Poſthæc cũ Pij ſecundi Pontificis nuncijs ſolicitatus auxilio Ferdinandi regis in Italiam trajiceret, eum Baroli à Io. Antonio principe Tarentino, Ioanne quoq; Renati regis filio Andegauię duce, ac Io. Picinino obſeſſum ueſtigio liberauit. Romã deinde cũ ueniſſet, mox domũ remeauit, ubi paruo poſt tẽpore ueneno abſumptus dicitur. Vir Pyrrhi quidẽ ſucceſſione, aut Alexandri cognomẽto ſine cõtrouerſia dignus, in tot periculis & prelijs mirũ nullũ in corpore uulnus repertũ, præterq; humerum effractum. Vxorem filiam Arianitis duxit, quæ adhuc Neapoli uiuit, ex qua filium ſuſcepit, qui poſt mortem patris pulſus & ipſe à Mahumete peregrinatur. Hęc ille.

Aeneas

AENEAS SYLVIVS IN DESCRIPTIONE Europæ. Cap. xv.

QVæ nunc Albania dicitur, olim Macedoniæ portio fuit, ad occidentem uerſa, inter Dyrrhachium & Appolloniam fuiſſe prodidimus, nõ incelebres priſco ſeculo ciuitates. Sermo genti neq; Græcis, neq; Illyricis notus. Credimus hoc genus hominum ex Albania quondam ueniſſe, quæ uicina Colchidi in Aſiatica Scythia memoratur, ut ſæpe Barbarorum inundatio nationum, Græciæ atq; Italiæ prouincias occupauit. In hac terra potens Camuſa fuit, qui Chriſtianis parentibus ortus, parum tenax Catholicæ fidei, ad Mahumetis inſaniam declinauit. Sed quàm leuiter Chriſtum deſeruit, tam facile Mahumetis ſacra contempſit, rediit enim ad paternam legem. Et quamuis utranq; religionem contempſerit, neutri fidus, Chriſtianus tamen mori quàm Turca maluit. Paul opoſt Conſtantinopolitanam clade, morbo extinctus. Georgius Scanderbechius eius hæreditatem accepit, nobili loco natus, qui ętatem penè omnem in armis pro Chriſti nomine pugnando conſumpſit, multas & magnas Turcarum turmas bello uicit atq; deleuit. Solusq; quodammodo regionem illam in Euangelio Chriſti continuit, quamuis hodie toties hoſtili ferro petita, magna ex parte deſerta feratur. Rex Alphonſus ſæpe milites in Albaniam miſit, & Croiam urbem in poteſtatem receptam, à Turcis defendit. Nepos Scanderbechij ex fratre, cum Turcarum parti fauens, inſidias patruo moliretur, ab eo captus, & ad Alphonſum miſſus, in carcerem coniectus eſt. Calixtus quoq; Romanus Pontifex auxilia pecuniaria Scanderbechio non pauca miſit. Valona in Albania nõ magna ciuitas eſt, in portu maris ſita, qua breuiſſimus eſt in Italiam tractus. Hanc Pazaites primus ex Turcis occupauit. Rebellantem Amurathes recuperauit. Neſcio quod malum minatur Italiæ.

PAVLVS IOVIVS EPISCOPVS NVCERINVS in Commentario rerum Turcicarum, ad Carolum V. Imp.

VErum enimuero quum poſt hæc omnia Scanderbechus Albaniæ prefectus, ab Amuratha, cui aliàs inſeruierat, defeciſſet, Amurathes ipſe maximo exercitu, ac Mahumete etiam proprio filio ſecum ducto, Croiam uenit, atq; urbẽ ipſam diu machinis bellicis impetiuit. Verum cum eius capiendæ nulla facultas daretur, amouit quidem inde caſtra: ſed tantum dolorem, uel potius rabiem ex ea re contraxit, ut mala ualetudine correptus, Andrinopoli demum è uita exceſſerit, Anno ab inſtaurata ſalute M. cccc l. Menſe Nouembri.

MARINI BARLETII SCODRENSIS DE VITA ET REBVS GESTIS SCANDERBEGI Præclariſſimi Epirotarum Principis, ad Donferandum Caſtriotum eius nepotem, Liber Primus.

PRAEFATIO.

QVVM ET PRAESENTEM RERVM EPIROTARUM ſtatum, & qualis olim is fuerit, mecum ipſe reputo, Donferande Princeps illuſtriſſime, uix poſſum (me hercule) animo conſtituere, an ſcribendi ſuſceptum de illis negotium aggrediar, an potius ante omnem conatū re adhuc integra id totum relinquam, ueritus præſertim, ne quod maxime hiſtoria quærit, modicum fidei mihi ipſi pariam apud animos hominum, præterita forte magis ex præſentium habitu iudicantium, puàm hęc ad illorum formam cum tanta admiratione conditionis humanæ referentium, ut quod profecto me ipſum licet domeſticum ueteris fortunę ſpectatorem primo nō ſegniter mouit, & prudentiſſimum quemq; ſanè falleret, Quippe quum nō ſatis crebiblle uideatur, ut tam repente ex priſtinæ illius fortunæ poſſeſſione ad tantum ſordium, & calcem (ut ita dixerim) miſeriarum ſit decurſum. Nam & ſi Græcorum quoq; atq; aliorum nihilo illachrymoſior ſtatus eandem adducere admirationem, & miſerationē poſſit, utpote qui olim ex orbis terrę dominis in ſempiternam nobiſcum ſeruitutem hodie ſint delapſi. Tamen uix ullius ſatis populi, gentisúe tam repens præcipitatę fortunę mutatio unq; apparuit. Sed ſenſim paulatimq;, ac per gradus illorum fuit lapſus, ueluti Græcia ipſa cū tacita imperij diminutione iugum accepit, Romanis quinetiam (ut miſcere noſtra tam antiquis & magnis audeam) paulominus fermè temporis in amittendo quàm acquirendo imperio conſumptum eſt, Epirotica uero fortuna ac gloria omnis ex eo faſtigio, momento fermè temporis corruit, & libertas ita obtrita iacuit, ut nulla iam prorſus tantę uirtutis ueſtigia, uel priſcę nobilitatis monumenta cernantur. Quod ſi reuiuiſceret Alexander ille, qui primus gentis nomen, ſceptrumq; per tot ora, & ceruices populorum tranſtulit: Si rediret belli artifex Pyrrhus, non agnoſceret profecto Macedoniam ſuā, Principum altricem, locum degenerem fugerent, & aſpernarentur, quē libertatis domicilīū reliquiſſent. Sed ut omiſſis tam uetuſtis lachrymis, ad recentiora (quod pollicitus ſum, & iam pridem propoſui mihi) animum intendam. Quæ Imperij, quæ uirorum, quę rerum omnium facies nuper uiuente Scanderbego erat? Quum (quod maximū cenſeri ſolet in rebus humanis) bellica uirtute toties confractis penè orientis animis, uiribusq; totius orbis oculos in ſe cōuerterent. Neq; contenti intra ſuos tantū fines eam gloriā alere, funeſtiſſimos illos, ſicut uaſtiſſimos Hungariæ mo-

Libertas.
Nobilitas.
Alexander
Pyrrhus.
Macedonia Principum altrix.

riq; motus iuuare properarunt, Et in Italiam poſtremo aduecti, Gallico fu
rore inhibito, Neapolitanum regnum tanta uirtute ſeruarũt, Læta ubiq;
Dulce nomen LIBERTATIS. feſtiua omnia erant, cunctis reſonabat locis dulce illud nomen libertatis,
hincinde principes, regulíq; concordibus iuncti animis, atq; parere, ex
imperare iuxta parati, ueteris formam decoris, ac imaginem fortunę pul
chra contentione effingebant. Nunc illo ſublato confuſa repente ueluti
dolore immodico omnis abijt fortuna, uirtusq;, Ex quo non locum, nõ
corpus (ut ſæpius repetam) non animum non uocem liberam in ea pro
uincia contigit inuenire, Et eò calamitatis eſt deuentum, ut mirer ſępius
quo modo aut ipſi ad ea patienda ſufficiamus, aut nõ aliqua ſatietas for
tunam teneat, & ſatis penſum à nobis ſuppliciorum uideatur. Quare nõ
Mortalis res Epirotica. temere forſan dixerim, mortalem rem Epiroticam cũ eo principe fuiſſe,
ſeu is fatorum ordo popoſcerat, ſeu ea hominis uirtus fortunàq; fuerat:
uerum enimuero dum tam excelſum eum conſtituo, onus me ſuſceptę rei
grauat magis deterretq;, cũ & uires meas metior ipſe, & eam magnitudi
nem operis, ac tam uaſtam ſcribendi materiam intueor, quę ſęliciori ſtilo
condiri debebat, & uocaliorem (ut de ſe cõqueri olim auditus eſt Alexan
der) prȩconem exigebat, tamen uel inuitum me iampridem hoc rapit de
ſiderium, non iniquum fortaſſe, utpote quod & patriæ præcipua pietas,
& ſeruatum mihi ad hunc uſq; diem ſilentium excuſat, conpeſcui (uerũ
ingenue fateor) multos iam annos iſtã ſcribendi libidinem, reieci plura
uota amicorum idipſum ſedulo poſcentium, expectans ſpe, deſiderioq;
pari, ſi tam ampla materia ſcribendi ſcriptorem aliquem excitaret, Qui eo
me exoluens onere, ſimul & ipſi mihi, & excellentiſſimi uiri gloriq; con
ſuleret, Et ab ſurrepente iam, ac inualeſcente tacite obliuione eum uindi
caret, ſed nemo tam pium laborẽ hucuſq; maluit, qũi tamẽ nouas quoti
die orationes (abſit uerbo temeritas) & innumera commentaria uſq; ad
abuſum edere non ceſſant, tanq; non ſanctius profecto pulchriusq; ſit,
Sanctum, quæ alij fortiter fecerint, tradere posteris. quæ fortiter fecerint alij, q̃ quæ ſenſerimus ipſi tradere poſteris, ut cer
tiora ex illorum experimentis exempla, q̃ ex noſtris prȩceptis documẽta
ad res publicas, populosq; gubernandos appareant. Non potui igitur
ipſe diutius in ijs ingrati animi ſordibus (ut liberius loquar) iacere cum
cæteris, & malui impudens fortaſſe potius, q̃ ſubruſticus ita exiſtimanti
bus uideri. Neq; labor me iã uel timor ullus remouebit à ſcribendo, quũ
à gerendo illum non perterruerit, preſertim q̃ hoc maxime omnium me
tangit, q̃ alioquin ad ſe quemcũq; inuitare poteſt, Nam licet non uſq;
adeò ingratitudinis rei cenſeri ſoleant, qui externorũ populorũ, & urbiũ
Ingratitudo in patriam. res geſtas literarũ monimentis negligunt cõmendare, Nullũ tamen ma
ius ingrati animi opprobrium uidetur mihi, quàm ita cum patria agere,
ut quum poſſis illam à mortalitatis, & temporum iniuria aliquo uindica
re modo, id ipſum inani pudore detentum omittere, Quod digitum (ut
aiunt) nequeas ad fontem ipſum intendere. Quamuis enim cauendum
acriter ſit, ne ſtilum materia ſuperet, imparq; uiribus extollatur pondus,

æqui

æquì iudicis tamen erit reputare, quantum cupiditatis patrię cauſa attu
lerit quiſpiam; nõ quantum dignitatis, nam per deum immortalem quæ
grauitas eſſet, dignitasq; ſermonis, quæ tanta rei mole, tantoq; rerum ge
ſtarum ambitu & uarietate non opprimatur? Quoquo me uerto, ingen
tia facta uiri obſtrepunt, uocant undiq; maximarum uirtutũ monumen
ta, & præcipuæ admirationis omnia, ut tantæ rei cogitatione dubius re
ſtet animus. Sed eadem ipſa cauſa, quæ me ad ſcribendum impulit, ſcri
bentes quoq; ſolabitur. Nam quũ nemo (quod ſciam) adhuc rem hanc
attigerit, ſolus ſicut nec placere multum, ita nec ſperni omnino ab homi
nibus potero, quando nulla alia ſcriptorum uarietas, grauitasq; reperia
tur, quæ iuxta poſita, conatui officiat meo, & ſuo ſplendore uelut tene
bras aliquas his ſcriptis inſciat. Hinc & illud non minus fortaſſe ſolatur
quod me legentium animis, & curioſæ conciliet poſteritati. Quod nul
lum uſquam habui in hoc curſu ducem, quem nunc ſequerer, imitarer,
nunc pro ingenij appetitu ſuperare contenderem, ad cuius exemplum
& meipſum componerem, & ordinem dicendorum formarem, non an
nales uetuſtos ullos, non recentes hiſtorias licuit inſpicere, quæ nouo ho
mini, & tantum pelagus ingredienti, adiumenta aliqua præberent. Ve
runtamen haud quaq; dubito futuros poſtmodũ multos, qui patefactã
ſibi uiam fœlicioribus auſpicijs, & indulgẽtioribus diis inire tentabunt.
Cæterum, hæc quidem in fortunæ ſita ſunt manu. Iſtud uero, quod ad
me attinet, bona certe fide præſtabo, contendam, ut nemo, uel infidelem,
uel ſegnem operam meam in hoc iure poſſit arguere. Non enim cõmen
ta in ijs, ſed à maioribus diligenter relata, & à quibuſdam etiam, qui inter
fuerunt, uiſa, memoriæ mandaui, fidemq; plurimorum & ueracium ui
rorum, nõ leuem tantummodo & futilem traditionem ſum ſe
cutus. Ad hęc itaq; mihi pro ſe quiſq; liberaliter ap
plicet animum, ut greſſi tandem è ſtadio (ſi
diis placet) rem tamdiu tot morta
lium petitam uotis, Supe
ris bene iuuanti
bus, ordia
mur.

MARINI BARLETII SCO

DRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi, Epirotarum Principis, Liber Primus.

Lapsus & pene abolitio Ottomanorũ imperij, eiusq́ restitutio atq́ augmentatio.

POST ANTIQVAtam Turcarum imperij gloriam, & abolitum penè Ottomannum nomen superato in finibus Armeniæ Puiazete seniori Scytharum armis, Amurathes nepos ex eius liberis, qui ita forsan posce[n]tibus fatis seruati Græcorum leuitate tot Christianorum futuris malis fuere, post multas suorum contentiones, & domesticum effusum sangui[n]em, primus auorum regnum fœliciter obtinuit, restituit fortunã, & uiribus auctis, Turcarum nomen formidabilius q̃ antea unquam fuerat, effecit. Tamen dum nũc in Asiaticis rebus firmandis, nunc in persequendis Græciæ populis, & extorquendo eorum imperio occupatur, aliquot annis abstinere à Macedonia & finitimis regionibus est coactus. Per id tempus (ne nimis alte exordiendo alienas historias percensere uelle uidear) in Epiro inter cæteros regulos principesq́, satis nobile nomen Iohannis Castrioti, tum cæterarum urbium, tum Croiæ præcipue imperio erat. Et quia neq́ latere penitus Scanderbegi genus æquum duco, neq́ omnem auorum eius seriem perscribere in animo est, illud unum attigisse contentus ero, auctores gentis Castriotæ ex Aemathia nobili ortu fluxisse, imperitasseq́ pari gloria fortunaq́ in Epiro, eos omnes (ut iam orsus sum) Iohannes prudentia, grauitate, ac animi inuicti magnitudine, cæterisq́ deinceps uirtutibus, atq́ egregio etiã (si quid ad rem facit) corporis decore facile superauit. Vxori Voisauę nomen erat, non indignam eo uiro, tum pater nobilissimus Tribalorum princeps, tum forma moresq́, ac insignis super muliebre ingenium animus faciebat. Potest & à prole illi, à quo merito cõmendari fœminę conueuerunt, non minor fortasse fieri accessio laudis, nouem nanq́ liberos peperisse, educasseq́ narratur, quinque fœminas, Maram, Iellam, Angelimam, Vlaicam, Mamizã, mares reliquos, Repositum scilicet, Stanisam, Constantinum, & Georgium. Minimus natu Georgius fuit, cui postmodum apud Barbaros (ut suo loco dicemus) Scanderbego nomen inditum est. Sed anteq́ progrediar ulterius, omittendũ non censeo, quod uel prodigijs ipsis ostensum, & à plerisq́ uaticinatum de hominis gloria accepi. Licet id antiquis simillimum fabulis aspernaturos plurimos non ignorem

Origo & genus Castriotæ familiæ.

Aemathia.

Voisaua uxor.

Vaticinia siue prodigia de Scanderbegi natiuitate.

ignorem. Ferunt enim, quod quum concepisset eum mater, serpentem se enixam eius magnitudinis somniauit, qui totam fermè operiens Epirum, caput inter Turcarum fines protenderet, & cruentis faucibus eos absorberet, caudam uero teneret in mari inter Christianos, & Veneti maxime imperij terminos, narratum id sibi, Iohannes, quum non eius generis res esset, quæ extis ullis scrutaretur, uel Apollinem exigeret interpretem, ingenti lætitia solatus uxorem, nasciturum ex ea uirum ominatus facile est, clarũ bello, factisq́, qui Turcarũ simul hostis acerrimus, idemq́ dux fœliciss[i]mus, & Christianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor imperij perpetuus existeret. Nihil fefellit se, uel alios sollicitus parens, sed aucta magis est uaticinio fides puero nato, nanq́ aliud pulchrius longe clariusq́ bellici decoris signum in dextero infantis brachio uisum, forma ensis ita expressa, ut manu facta uideretur. O insignem naturæ liberalitatem, uel nascentibus nobis subijcit documenta, & in corpore ipso figit insignia, quæ postmodum sint sequenda. Infans deinde protinus cũ passa est ætas, ad arma & arcus reptauit, atq́ in ipsis puerilis ætatis rudimentis id specimen præbuit sui, ut satis cuiq́ futuræ uirtutis dilucerent indicia, is posthac in dies uisebatur in adolescente uitæ cultus, ea morum elegantia, & Christianæ fidei promissa religio quædam, ut omniũ in se ora oculosq́ conuerteret. Vnum parentes, unum fratres, ũnum cæteri illius regionis homines cũm tacita admiratione suspiciebãt, de eo omnes sermones, & læta ubiq́ uulgi murmura erant, uelut rarũ illud ea ætas specimen protulisset. Nam ad ea præsagia naturæ gratia quoq́ quędã corporisq́ species, quæ condit omnia, non deerat. Sed non ex tam fœlici (ut ita dixerim) palmite fructus ullos colligere sollicitis parentum uotis, fata concessere. Nam quum imposito Græcis iugo Amurathes in Macedoniam conuertisset signa, eamq́ satis longo afflictam bello contriuisset, Ioannes diutino defessus bello, ac longis exhaustus incommodis, pacem ab eo petere coactus, ea lege impetrauit, ut obsides filios omnes traderet, uix poterat seruitus maior, aut funestiora, & fœdiora uincula parentibus iniici. Quod enim pacis, quod imperij eo pacto seruati, solatium parẽtibus superesse poterat? Tamen quid non misera uitę cupido, & regni sollicitus amor timidis mortalibus suadet? Maluere infœlices senes cruentissimi hostis fidem sequi, & tot simul se pignoribus exuere, q̃ diutius collabentis iam fortunæ ruinam expectare. Datus proinde cum fratribus Georgius est, qui præ cæteris nimis multum secum priuati, publiciq́ luctus tulit. Sed non ideo patrem concepta iampridem de filio spes deseruit, multis osculis amplexibusq́ in eum præcipue prolapsus, ac deorum fidem appellans, ne inanem expectationem suam redderent, à se dimisit. Atq́ aliquis ex uulgo protensam uitam, uiriles q̃ annos precatus puero, domesticum sibi hostem, incendiumq́ educaturum Amurathem dixit. Deducti ad Ottomanum adolescentuli, primam perfidiam eius in eo sensere, Quod abiecta, quæ eorum parentibus præstita erat, fide, circuncidi

Signa quædã naturaliter in corpore Scanderbegi insita mẽbrisq́ eius manu uelut impressa.

Quæ studia et exercitia Scanderbeg in ipsis puerilibus annis exercere, & quod morũ uirtutis ac fortitudinis specimen in eo dilucere ceperit.

Bellum ortũ inter Ioannem Castriotũ Scanderbegi patrẽ & Amurathẽ Turcarũ principem, paxq́ inter eosdem inita.

Obsides dantur Turcæ Ioannis Castrioti filij.

Macometano ritu ilico iuſſi ſunt. Qua de re, quoniam ſcitu non eſt iocundum quædam hoc in loco recenſere non malum eſſe duco. Haud abſimilem omnino in hoc morem á Iudæis ſeruant Turcæ, præterquam illud quod Macometo ſanciente additum eſt, Quod prius ꝙ circuncida tur quiſpiam, ſi capax rationis eſt, ductus in medium turbæ, monente eo rum ſacerdote, quos Deruiſſas appellant, digitū indicem exerit, & rectus cœlum ſpectans altiori uocis ſono, ut bene audiri poſſit, La, Ila, La, in quit, Mehmet ruſelam. Idem quod, Deus, Deus, Deus, unus, & Maco methus ſuus Propheta. Poſtea à perito quopiam circūciſus offertur po pulo, eiq́ aliud, oblitterato priore, inditur nomen. Aſtantes autē omnes ſi Chriſtianus prius, uel alterius ſectæ erat, promptiſſimis animis, & ma xima lætitia ſtipem conferūt, laudant, deoſculantur, & domus ei poſthac uictusq́ ex publico decernitur. Sed hinc parumper digrediens, deſcri bam qui & quales ſint in Macomethana & Turcaica religione ordines, conditiones, & ſacerdotum, ſiue religioſorum gradus. Primi enim, qui & ſtrictioris ordinis & religionis apud eos ſunt, Daruiſſæ appellantur. De quibus paulo ante meminimus, qui ijdem haberi poſſunt, ut apud nos fratres, qui obſeruantes appellantur. Hi autem (regnante Pazaite eo rum principe, Mahumethis poſtremi filio) multifariam delinquentes & exorbitantes, ob eorum ſcelera & delicta perpetrata, omnes ad unum ab eo deleti, extirpatiq́ fuere. Hi enim ſub ſpecie ſanctimoniæ & religionis tanquam mendicantes ſe ad ſolitudines ponebant, compita, uias, & itine ra, qua mercatores, peregrini, & uiatores tranſituri erant, obſidebant, quos capta occaſione tanquam craſſatores & latrunculi irruentes, illos opprimebant, interficiebant, & bonis ſpoliabant. Quæ res cum ad Otto mani principis aures peruenifſet, is ægreferens, omnes, ut dictum eſt, ad unum tolli iuſſit, ita ut eorum memoria prorſus extingueretur. Hos ue ro & ſecundo loco Hoze (ſic eos Turcaica lingua appellat) ordine con ſequuntur, quibus apud nos pares æqualesq́ eſſe cenſeri poſſunt fratres, quos conuentuales nuncupantur. Poſt hos uero & tertio loco Talaſma ni ſequuntur, qui ſacerdotibus, Secularibus appellatis, ſimilem ultimum locum tenent. Hi etenim tantummodo tres ordines, gradus, & conditio nes ſacerdotum ſiue religioſorum, in Turcaica ſecta eſſe reperiuntur, qui in omni eorum religione, ſacerdotio, cerimonijs, & ſacris ſuis, infer uiunt & famulantur, Nunc ad propoſitum reuertar. Epirenſibus uaria nomina, prioribus mutatis, indita ſunt, ex conſuetudine gentis. Geor gius, ſeu caſu, ſeu quod nobilior inter cæteros indoles, egregium neſcio quid præſeferre uidebatur, Scanderbeg appellatus: idem quod apud nos Alexander dominus. Maxima lætitia ea res apud Amurathem cele brata, ut facere apud nos uulgo ſolent, quum aliquem ex Iudaicis ſordi bus emergentem, ad lucem & ad ſalutem redire uident. Decreta ſunt eis copioſa, honorificaq́ alimenta, ſed Scanderbegum præcipue, cum indo les ipſa, tum ætas (uix dum enim nonum attigerat annū) Tyranno con ciliabat.

Formā circun ciſionis Maco methanæ ſe ctæ, ac ea quæ ipſi Turcæ ob ſeruant circa illos, qui ad eo rum ſectam tranſeunt.

Daruiſſæ.

Hoze.

Talaſmani.

Att. noua nomina Scāder bego, & fra tribus in corū circunciſione iuſſū Tyranni indita, et pro uiſto circa eoſ dem facta.

ciliabat. Præceptores (ut aptior eſt ea ad diſcendum ætas) uarij generis non negati. Breui itaq́ temporis ſpatio, promptum ad omnia ingenium linguam, literasq́ Turcaicas, Arabicas, Græcas, Italicas, Illyricas didicit. Creſcentibus uero paulatim cum ætate uiribus, adoleſcentem illa unica inceſſit libido, nullum ſanè genus bellicæ uirtutis intentatum tranſire, ac nunc gladio, nunc arcu iaculoq́, tum eques, tū pedes, incredibilia propè omnia promptiſſimi corporis experimenta edere, audere aliquid ſemper maius annis. Et priusq́ uis ipſa membrorum ferociam æquaret animi, ac nondum pares bellicis ſudoribus ſpiritus uiderentur, amor fuit uario certaminum genere, æquales quotidie prouocando crebris ſpectaculis, fauorem ſibi apud omnium animos principisq́ præcipue ipſius conci liare, & ſemper aliquid ferre laudis, ac iam inde uiam ad futurum decus, & alimenta ad famam præſtruere. Mox ingentibus lacertis, confirmata iam ætate, ardua quæq́ fortiſſimi uiri munia obire, pati famem, ſitim, al gorem, æſtus, uigilias, quibus ex rebus aſſidua exercitatione optimū pro fecto ſe ad omnem militiam breui præſtitit. Quare non paſſus Amura thes diutius priuatum eum apud ſe uerſari, Sanzachi inſignibus primū decorauit. Gradus autem is eſt dignitatis, apud Turcas ſecundus poſt Baſſas, maior tamen minorq́ auctoritas ineſt officio, prout latius ei ius liberalitas ipſa principis tribuit. Scanderbeg igitur tunc quinq́ equitū millibus præpoſitus fuit. Cæteri quoq́ fratres ijſdem ornati dignitati bus, atq́ ad uaria munia, & bellorum neceſſitates in diuerſas partes miſſi ſatis nominis quotidie promerebantur. Cęterum is non multo poſt uix dum octauum & decimum egreſſus annū, in Aſiam iuſſu Tyranni pro fectus, ac cæterorum ſigna lætiſſimis ſecutus initijs, ibi prima belli auſpi cia ſumpſit, & hoſtili cruore auidam iampridem tinxit dexteram. Tum ibi conflatis alijs (ut fieri ſolet) & alijs bellis pluribus expeditionibus cū copijs ſuis ſemper interfuit, & uictor cū ſocijs ad Ottomanum reuerſus eſt, quibus in expeditionibus opera ſemper eius uirtus fortunaq́ præci pue tum priuatim, tum publice laudata. Omne uictoriæ decus, omnis euentus belli ad eum aſſeueranter relatus, de duce exercitus quaſi non fa cta mentione, ſoli ei triumphū ac uicti gloriam hoſtis militaris fauor, cla morq́ adiudicauit. Nondum inuaſerat Tyrannum æmula uirtutis inui dia, & licet tum ingenium, tū fortuna hominis obnoxia ei eſſet malo, con ciliabat tamen fauorem potius apud omnium animos ſibi rudis, atq́ ſim plex, & ſicut cupida, ita non auara gloriæ adoleſcentia. Honoratus itaq́ uerbis donisq́ egregie eſt ab Amurathe. Paulum quietis datum homi ni (& ut nunq́ Turcis bella deſunt) nunciati ſunt noui motus ex Aſia, electus ad id certo decreto, & ſine uariatione Scandebeg, delataq́ ad eū totius exercitus ſumma, ac imperatorijs faſcibus ob res priore bello bene geſtas decoratus. Ad quod delatus bellum fuſis pari celeritate fortunaq́ hoſtibus priorem gloriam omnem facile ſuperauit. Nam præter ingen tia militum teſtimonia alia quoq́ certiora longe eius gloriæ & fortunæ

Ingeniū Scāder begi.

Sanzachi dig nitas apud Turcas.

Iuuentus Scāb derbegi.

Scanderbeg dux exerci tus Turcici.

monumenta ad Ottomanum attulit, captiuorum magnum numerum, cæsorum hostium spolia, ac signa militaria complura, cæteraq; bellica instrumenta usq; ad abusum, exercitus præterea ita integer, ac penè illesus reductus est, ut uicti quidem apparerent, in uictoribus autem nulla concertationis uestigia cernerentur. Admirata magis fermè prudentia eius est ab Amurathe, quàm rerum tam fœlix successus. Quum is non solius laus, sed cum fortuna quoq; communis esset. Prudentiæ uero atq; consilij fructum, solum sibi ingenium uendicaret. Proinde auctis stipendijs, copijsq;, missus denuo ad ea ipsa loca ac relegatus quasi est, donec quosdam populos urbesq; subegisset Tyranno. Sed nunquam uel fefellit, uel distulit fortuna ullum desiderium iuuenis. Expeditis ex animi sententia omnibus, atq; imperio Ottomano latius etiam quàm iniunctum fuerat ampliato, famam iam sibi ingentem apud exteras etiam gentes peperit. Reuerso Adrianapolim, quũ foris sublatus esset hostis, domi nõ defuit.

Scanderbegi duellum cum Scytha.

Venerat nanq; ex Scythia quidam ferox magis & insanus, quàm fortis bellator, qui familiam omnem Tyranni prouocabat, si quis ferro secum uellet decernere. Genus uero certaminis id proposuerat, ut in angusto loco nudi ambo relicti, singulis tantum gladijs fortunam experirentur. Cęperat tam stolidum consilium barbarus, uel quod prodigus uitæ & sanguinis sui esset, uel ea fortasse inani spe, quod nullum tam ancipitem impendentis periculi sortem petiturum credebat. Indeq; & laudem eam se & præmia sine certamine latũrum sperabat. Nam proposuerat non indigna quoq; munera uictori Amurathes, ut illorum saltem spe excitaretur aliquis, quum nudæ tantum gloriæ fructus segnius alliciat homines. Omnes tñ tam funestum decus, premiaq; eodem tenore aspernabantur.

Epirensem uocat Scanderbegum.

Sed surgẽs, stupẽtibus singulis, plenus animi Epirẽsis, Non incruentus, inquit, Scytha, hæc præmia laudemq; domũ feres, aut honoratior me occiso, & ijs quoq; spolijs onustior ibis. Agedũ igitur, accipe tamdiu quęsitum hostem. Licet accommodatius feris bestijs hoc certaminis genus, sperni à fortibus uiris, saluo pudore, & possit, & debeat: ueruntamen liceat semel & mihi hoc corpus contemnere, quippe quum par membrorum & sanguinis seruandi ratio tibi esse debuerit: sed nihil uilius est homini quærẽti laudem. Donabo proinde hoc & ipse cruoris hodie Amurathi, socijsq;. Scytha nihil territus, ferocioribus adhuc uerbis iniȝcere pauorem ei conabatur, puerum appellans. Adhuc enim in annis pubertatis erat, neq; dum hispida prorsus lanugo grata ora exasperauerat. Tũ deducti ad Tyrannum ingenti clamore uulgi sunt, & assignatus, ut peteret barbarus, certamini locus. Deposita ocius ambo ueste, ultimisq; tunicis, nudi prosilientes in medium, nouo genere spectaculi omnium oculos hausere. Et quamuis fiduciam ingentem uultu uerbisq; ostenderet Castriotus, ingens tamẽ cura mixto dolore spectantium animos incessit. Et simul ætas, simul pulchritudo ipsa corporis, ac decor membrorũ subiectus, oculis multum & pietatis & fauoris excitauerant. Statura celsa, procera-

Filum corporis Scanderbegi.

procaq;, brachia in homine pulchriora nõ uisa, collum robustum obstippumq;, ut laudatur in Athletis, humerorum mira latitudo, color candidus, latenti uelut purpura suffusus. Aspectus oculorum non toruus, non uanus, sed gratissimus. Adiuuabant hæc multum cæteras uirtutes, atq; animi bona augere uidebantur. Intrepidi acceptis breuibus gladijs, non enim longiores loci angustia patiebatur, ingressi locũ, ac ibi dimissi sunt maximo populi silentio. Non consilio ullo ibi, non multum animo, sed impigra quadam & ueloci dextera agendum erat. Erecti ad ictus ambo, Scytha prior incubuit in hostem, & punctim intenso ferro ilia eius petijt. Scanderbegus toto maxime corpore inflexus, ac uelut in arcum deductus, & leua simul apprehẽdens barbari dexteram, ictum inhibuit, & adacto cæsim gladio, guttur illi cum singulis arterijs impigre abscidit. Balbutienti adhuc lingua, ille collapsus humi locum fermè totum corporis mole compleuit. Sublatus repente ab his, qui spectaculo aderant, & accurrentes regij iuuenem illæsum inuiolatumq; lęti ad Amurathem perducunt. Caput cæsi hostis cruentis ipse manibus Tyranno alacer obtulit. Præmia inuitus accepit, quum nõ argenti auriue causa, sed domestici decoris tuendi, & reprimendæ barbaricę arrogantię, susceptũ sibi id onus diceret. Magis itaq; ea modestia acuebat in se studia. Et quod apud sui generis homines plus nimio enitescens uirtus parturiebat inuidiæ, liberalitas naturæ & dexteritas ipsa ingenij amouebat. Haud pigebit referre & illud, quod nihilo minori laude dignum ijsdem animis armisq; edidit, nam profectus cũ Amurathe in Bythiniam magis solatij, cą belli causa. Quum in Bursa ciuitate essent, quæ nunc est Asiatici imperij caput, duo ex Perside uiri, tum ex more gentis insigni uestimentorum habitu, tum egregia figura corporis, ad Tyrannum aduolarunt, Iaia & Zampsa eorum nomina erant, stipendium ab eo petiere, impudentia magis quadam, cą fiducia uirtutis, agentes alter alterius causam, & facta extollentes sua, ac mutuis se iuuantes testimonijs. Postremo Zampsa minor natu, ne appositis tantũmodo inquit ad hoc ipsum uerbis: Magne rex, stipendia tua petituri uenisse uideamur, & in ea incertitudine rerum inanis aliqua arrogantia in nobis, & sordida temeritas arguatur. En daturi ultro tibi sumus experimentum cupidorũ saltem, ne dicam magnorum animorũ. Quotquot homines fortissimos uiros inuitamus, ut ferro iudicent nos dignos, indignósue, qui tuis uiuamus auspicijs. Equum tantum gladiũ, lanceam, scutumq;, ac reliquum corpus omnibus armorum pręsidijs nudatum ostentantes, ita se dimicaturos dixere. Amurathes (ut facilis erat) allocutus benigne homines, promisit, nihil eis apud se defuturum. Deinde circunspectans hinc inde, expectabat, si quis eam prouocationem acciperet. Sed ubi uelut obmutuisse omnes uidit, & tacitã præberi à suis confessionem ignauiæ, ignominiam ratus suam, si ita inulta ea Persarum insolentia abiret. Conuersus ad Scanderbegum, non ignorans quæ eius ferocia atq; ingentes spiritus erant, licet præcipuam periculi sortem omnino tamen

Scanderbegi conflictus cũ duobus Persis, Iaia & Zampsa.

no tamen petiturum ratus: Quid expectas macte uirtute, ait, fili? Tua hæc laus, Hæc te manent præmia. Age insignem adolescentiam hanc, & inuictam dexteram hodierno quoq; spectaculo redde. Nihil moratus Castriotus, deosculatur ex more Principis pedes, equum & arma poposcit, eductusq; maximo plausu uulgi in patentem campum, qui destinatus certamini erat, hostes ad se uocatos, intrepide interrogauit, quem ordinem uellent seruare in dimicando. Statutum est, ut laia prior experiretur fortunam, qui uictor, finem certamini faceret, uictum uero socius in quemcunq; casum sequeretur conditionem. Non recusauit Scanderbegus, licet circunfusi regij iniquũ dicerent, ut idem, si uicisset, fessus & saucius fortasse, recenti atq; integro subijceretur. Summota postmodum ex loco turba, præco signũ dedit, Concurrunt concitatis equis uiri. Persa infixa scuto hostili cuspide magna ui incumbens, ut ex equo illum dejiceret, hastam perfregit. Epirensem capiti tantummodo hominis intentũ ictus omnis fefellit. Itaq; utercq; elusi, gladijs tum demum congressuri, hinc inde abibant. Sed impatiens animi Zampsa, non expectato socij euentu, infensa cuspide Castrioto occurrit. Ille non ignaua uerborũ contentione eo periculi tempore perfidiam hostis accusandam ratus, impigre ad nouos se ictus accingens, iugulum ueniẽtis scrutatus lancea transfixit. Vix eo humi collapso, aduolans laia, horrenda uoce compellans hostem, stricto gladio fermè oppressit. Victor gyrato ocyus equo ad eum conuersus, nudato & ipse ferro impetum uenientis excepit. Et dum triplicatis hinc inde ictibus, alter alterius cruorem haurire contendit. Scanderbegus dexterum uiri humerũ, qua collo iungitur eodem tenore ictus ea ui cecidit, diuisitq;, ut duplex, quasi domini cadauer ea die infœlix traxerit equus. Sic duo fortissimi uiri sub unius manu maximo spectantiũ gaudio cecidere. Sed & si eo fato erepti forent, Amurathis certe indignationem nõ effugissent, qui tam perfide, & proditorum more, militem suum circũuenissent. Ductus ad regem Castriotus est, sicut duplici ouans uictoria, ita duplici capite onustus. Iam priores res omnes bello gestæ, Iam recens Scythæ memoria præ noua gloria euanuerat. Rex, purpurati, ac socij deinceps omnes uarijs donis cumulatissime honestarunt, uindicem atq; auctorem publici decoris eum appellantes. Nimio plus fortasse in hæc facta hominis incubui, sed hæc potissima mihi bellatorũ laus ac tota prorsus ipsorum esse uidetur. Nam quæ in bello gerimus, communia sunt cum alijs: hæc Castriotus peculiaria sibi peperit manu. Malui proinde, si ita necesse sit, ut redundans potius, q̃ ingrata nostra notetur oratio, maxime quod in alijs huiusce generis, quæ ab eodem gesta uenient non procul dicenda mihi moderatiore prorsus stilo sum usurus. Haud cedit his periculi præsentia, uel magnitudine ipsa rei illud, quod in expugnatione Nicomediæ, Prusiæ, Otreæq; non ignobilis Asiatici oppidi spectante Amurathe patrauit. Primus nanq; murum conscendit, signa uictricia fixit, urbem fermè solus intrauit, ac cepit. Missus postmodum in

Scanderbegi uictor muneribus honoratur.

Luxuries orationis in autore.

dum in Europam, sæpius contra Christianos, nunc Græcos, nunc Hungaros, prudentis magis q̃ audacis Imperatoris nomen tulit. Nam quũ eam bellandi necessitatem iniunctam sibi uideret, quã necq; præter suspicionẽ recusare, necq; exequi sine maximo dolore poterat, ante omnia Deum orabat, ut id laudis genus á se auerteret, necq; in eo sanguine hauriendo atroci sibi esse liceret. In cute enim tantummodo & exteriori habitu Macumetanas ineptias, intus Christiana præcepta tenacissime seruabat. Tamen quando sic exigente fato aduersus eos progrediebatur, quærebat assidue, qua ratione & illos minus læderet, & exercitum sibi traditum incolumem seruaret. Ita igitur tum in omni cura castrorum, tum in ipso ingressu pugnę cuncta exequebatur, & modũ quendam cauti ducis ac optimi Imperatoris seruabat, ut necq; Christiano esset infensus, & modestia illa eius, cunctatioq; disciplinæ prudentiæq; militari, q̃ fraudi cuipiam, seu imperitiæ, uel timori propior uideretur. Gerebat nanq; se ita semper, ut necq; superari ipse quoad posset, pateretur, & Christianis salutis opportunitatem omnibus modis ostenderet. Vel si aliter non posset, uiuos caperet, tolerabiliorem seruitutem eorũ ratus, quàm necem. Ita suos tum in castris, tum in ipso belli ardore hortabatur, ut nũc pudorem singulis, nunc metum uideretur incutere. Ita deinceps crudescente prælio maximo ingenio rei suæ atq; exercitus statum in quandam deducebat difficultatem, ut maiori postea laudi sibi apud Amurathem conseruatus exercitus foret, q̃ alijs multiplices atq; insignes uictoriæ. Exin nullius maior uel gratia uel autoritas ferè apud regem erat. Militum animis nemo acceptior. Idem mitis, facilis, clemens, laudem non ex communi ad se trahens, sed in medium conferens. Pecuniarum quantum colligebat, tantum erogabat. Efficacissimam ad conciliandas amicitias merito existimans, & aptissimũ ad uulgi ingenia liganda uinculum. Nõ inuitatus ultro quisq; signa eius sequebatur, & illius gratia uel in apertum tendebat discrimen. Sed non tardata diu fortuna uenenum deprompsit suum. Moritur interea in Epiro Iohannes pater. Auditum id à Scanderbego, Qui, q̃uis (ut par erat) acerbissime lugubre nuncium percepisset, non tamen apertis lachrymis, aut manifesto dolore ocultum animi sensum indicauit, quũ Amurathem uere patrem & principem appellaret. Tyrannus, uelut successor regni, nihil moratus, ualidissimum præsidium ad Croiam & alia oppida occupanda misit. Sicq; facile arrepta locorum omnium incruenta fuit possessio, quum necq; exhaustæ populorum uires idoneæ ad tuendam libertatem essent, necq; negare possent Ottomano ius in rebus Ioannis, filios eius omnes apud se habenti, quos idcirco (ut arbitror) acceperat, ut uacans demũ sine hærede sceptrũ ad eum deuolueretur. Voisauæ, quæ uiro superstes, cum Mamiza filia domi sola ex eius infelicis regni reliquijs restabat, in Aemathia agri nescio quid ad alimenta & sustentationem anilis spiritus assignatum iussu Tyranni. Hanc ante aduentum filij in Epirum senio confectam, obijsse quidam narrant, relicta filia, quę fratri reduci

Quo animo Scanderbeg contra Christianos bellauerit.

Scanderbegi pater moritur

Croia occupatur.

tri reduci atq; Victori eodem uirginitatis tenore innupta ſeruata, ab eodem poſtea uiro tradita & reſtituta omni priſtinæ dignitati eſt. Diſſimulauit hæc omnia ferox iuuenis pari animo, atq; dolorem ex morte patris diſſimulauerat. Amurathes ſatis coniectans moleſtiſſimum id ei & fratribus apud ſe degentibus uiſurum, utpote qui debitum ſibi imperium nõ iniquis uotis tacite expectarent, perfidiam ſuam ſecutus, fratres primum Scanderbegi (ut fama eſt) occulte ſtructis inſidijs ueneno abſumptos, ſuſtulit de medio. Deinde ad Scanderbegum conuerſus, multa uerſabat animo, quomodo & eo uiro, quo tanq̃ Alcide ad ardua quæq; & difficilima obeunda utebatur, imperium ſuum nõ exueret, & eo ſe onere atq; ſuſpicione leuaret. Quare illum ad ſe uocatum fertur longo ſermone, & pluribus uerbis ad idipſum appoſitis ſolatus, tum ob patris mortẽ, tum miſerabiliorem fratrum fortunam. Obtuliſſeq; regnum auitum, uel ditius longe imperium in Aſia, quando ſui iuris eſſe uellet, rogaſſe tamen, ut nondum ſe relinqueret, in ea præſertim mole bellorum. Parata maxima quæq; ei apud ſe fore, quę uel gloriam, uel fortunam condiant humanam. Cognita fraude Iuuenis nõ minori conſilio, uultuq; uerbis accommodato, ſic Amurathi reſpondiſſe dicitur: Viuunt in te fratres mihi, uiuit Iohannes pater ſupreme regũ, ac indulgentiſſime Amurathes. Neq; dum ita mihi apud te eſſe licebit, ullum uel patriæ deſiderium, uel regnandi libido animum inceſſet meum. Itaq; licet cogas hodie me ad hæc munera, uel uerius onera, accipienda, Libenter accipio ingentem animi tui munificentiam, amplector gratiſſimi Principis liberalitatem. Sub huius tamen umbra capitis uiuere nunc certa ſtat ſententia. Vix tum forte maturus conſilium, quum emerita bello atq; inutilis ſenecta inuictum ab hac cupiditate reuocabit animum. Aptior ad militiæ ſubeunda onera, q̃ ad imperij pondus ſuſtinendum, hęc eſt ętas aptior gladio, quàm ſceptro dextera. Quam ob rem da hoſtem nobis Amurathes, ut lætiores uirtute noſtra partum, q̃ te dante regnum accipiamus. Lætus audiuit eum Tyrannus, & tum etiam atq; etiam augens promiſſa, ſpe ingentiore credulus onerare ſtuduit. Cepit iam inde latenter morbum, atq; erumpẽs paulatim malum ſentire Epirenſis, Et licet omnia ſumma ratione diſſimularet, diligenter tamen uitæ ſuæ cuſtos eſt factus. Et quo magis timebat regem, eò plus cõciliare ſibi multitudinem atq; militum animos ſtudebat. Semper tamen aliquo bello occupatus, alimenta quotidie ad famam, ſed non minora ad inuidiam addebat. Nam nõ potuit ita elaborata ingenij modeſtia & quotidianis obſequijs perfidiæ humanæ uias occludere, ut hoſtes ſibi tandem uirtus ipſa non pareret. Namq; exciti purpuratorum nonnulli, quũ tantam indolem creſcentis indies peregrinæ uirtutis æquo animo ferre non poſſent, Vbi promptiorem aliquantulum ad credendũ uidere Amurathem, occultis ſermonibus apud eum aſſidue criminabantur hominem, affirmantes ex nimia largitione in multitudinem, & ambitione popularis fauoris potentiam illum ſibi aſtruere, ſuſpectumq; dicentes in aula

Caſtriotus affectati regni accuſatur.

tes in aula merito id ingenij ſpecimen eſſe debere, facile cuncta perſuaſa Tyranno, præſertim quod de largitione uera omnia dicebantur, & ſenectus ipſa ſuapte natura timida, cætera ſtudioſe in peius interpretabatur, ut non de Epiro tantum, ſed ipſa ſumma imperij tacitus quidam ſuboriretur timor, mensq; forſitan ipſa proprijs ſceleribus obruta, & regni male quæſiti ſollicitus amor, cuncta inter ipſos etiam domeſticos penates infida atq; infeſta reputabat. Quare aucta ea ſuſpitione odiſſe ex oculto cepit, & intentior inuigilare, ſi quo efficere poſſet modo, ut eum latenter de medio tolleret. Non quo deeſſet ſcelerato conſilio licentia, & poteſtas omnia patrãdi, ſed nec cauſa hominis perdendi, nec ulla ſubeſſet ratio. Verebatur aperta ui immeritum opprimere, quum tam acceptum uideret omnibus, ne & pluriũ aliorũ animos ab ſe alienaret, & eo peſſimo exemplo in poſterum externæ uirtuti ſuum clauderet regnũ, qua maxime ſemper Otomanum creuerat imperium. Sed per id tempus orta alia maiora negotia foris, eas domeſticas ſuſpitiones exhauſere. Decretum nanq; bellum eſt in Georgium Myſiæ principem, Deſpotem Seruiæ uulgo appellant. Non inuitus Tyrannus id onus ad Scanderbegũ detulit, uel quod nullius opera fœliciore in rebus ſuis utebatur, uel uidẽs adeò militię cupidũ, & promptũ ad pericula, ſperabat aliquo hoſtili caſu, quos plurimos afferunt bella, planè caſurum. Facto itaq; delectu, Caſtriotus in Myſios profectus eſt, præter morem ſuum iniquior tum aliquantulum Chriſtianis fuit, ne ſi tergiuerſando oblata uictorię occaſione in eum hoſtem uſus non fuiſſet, fomenta ad ſuſpicionem præberet Amurathi, inclinato iam pridem ad omnia credenda illius animo, quem maxime cõciliare ſibi ſtudebat, donec pulchra aliqua opportunitas effugij affulſiſſet ſibi. Itaq; ſæpius Deſpotem bello fudit, & uictor Adrianopolim eſt reuerſus. Rurſusq;, quũ idem Deſpotes, recuperatis uiribus, cornua erigere cœpiſſet, denuo exercitu aucto miſſus aduerſus eundem Caſtriotus, ſuperatũ prælio, fugatumq; pluribus caſtellis exuit, ac militem multa hoſtili gaza diuitem reduxit. Sedato foris tumultu, ſenex in auctorem ipſum uictoriæ, ocijq; eodem ſcelerati propoſiti tenore conuerſus eſt. Hinc audito ingentibus præmijs propoſitis multa ſingularia per id tempus certamina edixiſſe, quum ſatis ſciret Scanderbegum nihil unquam detrectaturum, ut ita periculis eum exponeret omnibus. Sed hæc conſilia ſicut impia, ita una irritaq; apparuerunt. Nam quum plures tum ex domeſticis, tum externarum gentium uiri fortiſſimi ad eam præmiorum & gloriæ ſpem accenſi indies confluerent, conſurgerentq;, hic ſemper maximo animo, nec minore fortuna, ſingulis ſeſe obtulit, & uelut fatalis quidam uictor ſupra omnium admiratione atq; fauore, & præmia, & laudes ſolus reportauit. Vni tamẽ Ottomano tanta uiri uirtus, quę uel hoſtis ſuos atq; ſuperbos animos fregiſſet, nunq; aliquid poterat clementiæ inurere, quin magis quotidie creſcẽte ſuſpicione, eius animus iritabatur, excandeſcebatq; perſeuerantius ad quærendum aliud tacitæ ultionis genus. Sed cur tam

Scanderbeg plurics ab Amurathe in Myſiam cũ exercitu aduerſus Georgium ſiue Deſpotem miſſus, uictor inde Adrianopolim ſemper reuerſus eſt.

Tyranni conſilium, & inſidiarũ genus, pro morte Caſtrioti.

credulus ipſe inanes has ultiones Amurathis & ſtolida conſilia Scanderbegi cp̃ econtra prouidentiam uane ſequor, & non ad Deum potius unico uerbo ſeruati ſalutem hominis refero? Hic profecto mentem ademit Tyranno. Hic bellorũ impedimenta, & nouos ex Myſia motus. Hic demũ Hungarorũ arma excitauit, ne deuotũ Chriſtianæ dignitati caput tã fœde extingueretur, ut priſca aliquando libertas illa reſurgeret in Epiro. Nam ſi nulla fuiſſet hic diuini numinis ratio, compos certe ſuæ ſententiæ Ottomanus extitiſſet. An deerant mille alij necis modi, quibus præter minimam ſeditionis ſuſpitionem eum potuiſſet circumuenire? ubi uenena, ubi inſidiæ, ubi confictę criminationes, regum arma, erant? Caſtriotus his inſidijs paulatim detectis, quum difficile uideretur, ſi diutius manſiſſet apud Tyrannum, tot laqueos deuitare, decreuit tandem paterni regni uirtute aliqua & ingenio uendicandi conſiliũ expedire (id quod olim non immemor libertatis animus concoquebat) tacite occaſionem quærens, ut Amurathe relicto, in optatã tamdiu patriam ſe recipere poſſet, ubi ingenti ſtudio, ac omnium uotis expectabatur. Sed nulli unquã mortalium ea conſilia ſua patefecit, non uerbo, non indicio ullo tacitum eius deſiderium à quopiam eſt deprehenſum, licet & plures ibi eſſent maxime Epirotici generis, quibus propter familiariſſimam uitæ conſuetudinem non iniuria fidere potuiſſet, & poſt Iohannis patris mortem exciti tum fama eius, tum cupiditate amiſſæ libertatis recuperandæ aliqui ad ipſum diuerſis temporibus ab optimatibus Epiri mitterẽtur, offerentes facultatem, occaſionemq̃ adiuuantibus populis extorquendi paternum imperium ab Amurathe. Conſcius tamen ipſe humanæ leuitatis, & magnitudinem periculi perpendens, prudenter diſſimulabat, præſertim cp̃ facilem cæterarum rerum poſſeſſionem ratus, de Croia recuperanda, cuius præcipua erat ſollicitudo, anceps animi erat. In ea enim ualidiſſimum præſidium impoſuerat Tyrannus, ut neq̃ armis, aut ui ulla, ſed præclara aliqua arte ingenioq̃ uendicari poſſet. Eſt enim Croia Epirenſis imperij caput, in excelſa & prærupta montis crepidine ſita, inuia undiq̃ & inacceſſa penè, adeoq̃ inſigni naturæ opere munita, ut præter famem reliquum omnem hoſtilem furorem facile poſſit contemnere. Quare Scanderbegus, ſi quando tentaretur, laudabat omnium uoluntatem, & non abolitam ex pectoribus gentis memoriam libertatis. Sed magnas uires Amurathis dicebat, neq̃ durum imperium, non eſſe excitandos ſtolidè motus ad quos non ſufficiant uires: neq̃ curandum de tam momentanea poſſeſſione libertatis, ut poſtmodum nõ in eandem ſeruitutem, quæ ſatis tolerabilis erat, detruderentur, ſed in grauiora longe uincula compingerentur, & uictimarum more ab indignato ex ea rebellione Tyranno poſtea iugulentur, & inter cætera cõſolans ſemper eos quantũ gratia ipſe poſſet, & auctoritate apud Amurathem annixurum ſe pollicebatur, ut quo rei natura pateretur, lene id eis iugum ateq̃ moderatiſſimum illius imperium efficeretur. Ita prudentiſſime & illis & ſibi uſquequaq̃ conſu

Libertas Epiri.

Scanderbegi conſiliũ de regno paterno occupando.

Deſcriptio urbis Croiæ.

lebat,

lebat, expectabatq̃ quotidie, ac ſtruebat tacite ſibi occaſionem ad erumpendum, non alio certe ſimilitudinis modo, quàm ſi quiſpiam concluſus ſeditionem in urbe, & conſternationem rerum omnium tacitis uotis expoſcat, ut conuerſis eo in caſu ad id incendium extinguendũ ciuibus ipſe difractis uinculis pariter & cupitam tamdiu libertatẽ uendicet, & duras prætoris ſecures effugiat. Neq̃ tamen diu fortuna deſiderium eius fruſtrata eſt. Deſpotes namq̃ Myſiæ, de quo retro diximus, interea partim rebellantibus ſuis ab Amurathe, partim uicinorum armis, & opera amicorum adiutus, nunc eiectis, nunc cæſis quibuſdam Turcarum præſidijs priſtinum ſtatum recuperauerat. Ottomanus itaq̃ acriter in eum accenſus, non amplius rem per alios, uel duces, uel exercitus gerendam ratus, ipſe delectu ingenti habito ad opprimendum Georgium, & exuendum regno contendit. Et æque facile, ut conceperat, ex animi ſententia peregit omnia. Nam impar Tyranni uiribus Deſpotes, primo fermè impetu prę ſidijs omnibus nudatus, confugiens ad Hungaros, relicto imperio illi in cruentus ceſſit. Scanderbegi conſilio operaq̃ in ea expeditione potiſſimum uſum fuiſſe Amurathem dicunt, quoniam pluribus antea bellis ibi fœliciter geſtis, locorum & regionis peritior erat, ſed nulla tum uſq̃ uoti ſui explendi occaſio homini affulſit. In propinquo tamen aderat, quia uix Adrianopolim reuerſus Amurathes dimiſerat exercitum, quod alij motus increbreſcere ab Hungaris, & alia uis periculi inſtare cepit, Quũ Deſpotis fortuna Iuliano Cardinale ſancti Angeli agente, quem ad idipſum Eugenius Pontifex miſerat, Vladislaum regem ad arma excitaſſet, ut eũ in regnum Myſiæ reponerent. Tyrannus eo audito, inſtauratis impigre copijs Ixxx. hominum millia confecit, & non expectans eorum aduentũ in Myſiam Baſſam Romaniæ, & Scanderbegum cũ xx. millibus in Hungariam maxima celeritate ueniẽtibus occurſuros præmiſit. Ipſe de more cum reliquo robore exercitus & impedimentis eſt ſecutus. Chriſtianæ quoq̃ copiæ tum numero, tum militum ducumq̃ uirtute inſignes erãt, xxxv. armatorum millia. Hunniades præterea ille, Iancus uulgo dictus, ingentis nominis bellator, cuius uel ſolo nomine uictos ſæpius Turcas audiuimus. Repreſſerat tamen illud ferociam hominum, quod deficiente pane, quum frumẽto cocto ueſcerentur milites, maior pars illorũ ægritudine ſubita fuerat oppreſſa, cauſato ex eo genere cibarij immodico quodam uentris profluuio. Aduolans igitur ocyus Baſſa, non longe à Moraua flumine caſtrametatus eſt. Impatiens eius rei Hunniades, ſpectatores primum occulte ad contemplanda ſingula, & perſcrutanda de Amurathis aduentu miſit, Vbi de numero copiarum, & Tyranni conſilijs certum iudiciũ tulit, ut x. millibus ex toto exercitu ſuo utilibus ad arma electis, relicto in caſtris rege Moraua ſuperato, maximo impetu contra barbarũ proceſſit. Ille animi dubius, primo retroceſſit aliquantulum, mox paucitate contempta, expectato Hunniade pugnam iniit. Scanderbegus contemplatus tempus, quo initum iampridem conſilium deſiderium cp̃

Simile.

Deſpotes uendicat ſibi regnum à Tyrannide Amurathis, à quo iterum expellitur.

Vladislaus Pannoniæ rex, exhortationibus Eugenij Pontificis, maximis copijs cõcendit ad reſtituendũ Deſpotem in regnum, cui Amurathes ualido exercitu occurrit.

Victoria Hunniadis, qui eo Iancus dictus.

Vladislai pugna cõtra Baſſam.

ex animi ſententia exolueret ſummo ſtudio cladem Turcis procurabat. Et primum cum legionibus ipſe ſuis paulatim hoſti cedere, atq; terga dare cepit. Deinceps aliis eo exemplo metum incutere, ac fugam quandam ſuadere. Baſſa quoq; concepto inde timore, uel quod præter morem tam peritum militiæ uirum ad fugam magis q̃ ad pugnam paratum uideret, uel proditum ſe ab eo crederet, ſegnius intulit pedem. Ex quo Hungari creſcente (ut ſit) ex alieno metu audacia, haud magna cum re, ac incruenti fermè hoſtem fuderunt, profligaruntq; Turcæ relictis impedimentis pallati ſine ordine, ſine ſignis, nullo ducum, nullo ſociorum reſpectu, fuga qua ſola poterant, ſe ſaluabant. Hunniades uictoriam ſecutus, finẽ cædi nõ fecit, donec quippiam ſuperfuit reliquiarũ. Strages ubiq;, et omnia pauoris ac tumultus plena erant, præſertim in direptione ipſa caſtrorum. Vnus ex Satrapis Tyranni, magnæ uir autoritatis, uiuus captus, cæterorum quatuor millia, Baſſa uix cũ paucis euaſit. Tum Scanderbegus, qui ſedulus obibat omnia, cõicata ante re cum amicis, inter quos & Ameſæ nepos fuit egregiæ indolis adoleſcens, quem Repoſius, poſtea Caraguſius dictus, à Turcis ante inſidias Ottomani uxore ducta ſuſceperat, Vbi inclinatam Turcarum fortunam, & ſtratas ſuorum acies uidit, aſſecutus ſcribam Auricularium Baſſæ, quem ad id ſumma ratione obſeruabat, apprehenſum hoſtili animo coniecit in uincula, ab eoq; confeſtim mortis timore nihil quicq; recuſante, fallaces literas ad Croiæ magiſtratũ extorſit, quibus iubebatur nomine Amurathis Scanderbego nouo præfecto deſignato, præfecturam & urbis curam omnẽ tradere. Aliaq; multa ſcribendo addita, quę probabili quadam ratione rem fulcirent, & ad credendum magis inuitarent. Literis exaratis, ſcriba repente cum cæteris comitibus fugæ obtruncatur, quo diutius ea res lateret Amurathem. Necq; in eos tantũ ſeuitum, ſed quotquot tum in Caſtrioti ditions uenere omnes necati. Ita ille exercitus pene ad internecionem cæſus eſt. Nam qui militarem furorem ſubterfugere, in incolarum poſtea manus incerta fuga delapſi, eodem fato ſunt abſumpti. Milites plures Epirotici generis, qui in eo prælio fuere, ubi id factum Scanderbegi audierunt, ut pallantes ex fuga hac illac oberrabant, tum hoſtis fugiendi cauſa, tum patriæ præcipue deſiderio tacti, circa eum ſe collegerut, factumq; ſubito eſt trecentorum non ignobile agmen. Hunniades uictor cũ ſuis ingentibus ſpoliis onuſtus, ad ſocios ſe recepit. Non omittã hoc loco, quod multi dicunt, Scanderbegũ ea conſilia cõicaſſe cum Hungaris, Hunniademq; prius de ſingulis latenter per nũncios ab eo inſtructum, atq; accerſitum maximo ſtudio cum copijs. Quicquid extiterit, ut pro comperto nõ habeo, ita haud quaquam magnopere affirmare contendo. Id autem crediderim, omnia ſumma ratione acta, quum alioquin rei euentus non iniquus ſæpenumero conſiliorum iudex huic ſuffragetur ſententiæ. Cæterum in præſentia relicta pauliſper Hungaria, dũ tanti fama mali, & eius cladis nuncius graditur ad Amurathem, in Epirũ reuertamur. Expleta igitur hinc inde ira & exolutis

Hungari uincunt.

Scanderbegi uelox conſiliũ in Croia recuperanda.

Cædes Turcarum, & fuga Scanderbegi e caſtris barbarorũ in Epirũ

& exolutis uotis omnibus, Caſtriotus uictor non ignobili & ipſe præda ornato magis q̃ onerato milite cum agmine ſuorum inde maximis itineribus diſcedens, ſeptimo die Dibram ſuperiorẽ peruenit. Locus autem is eſt in finibus Triballorũ, lxx. millibus paſſuum diſtans à Croia, celebris multum apud Epirotas, eò quod fortiſſimos uiros gignat. Fide præterea & multis rebus egregie geſtis pro Iohannis patris imperio, dum is ab Ottomano uexaretur, Scanderbego non ignobilis gratiſſimus q̃ erat. Vrbem aliam uel Caſtellum non habet, præter Sfetigradũ in limitibus ipſis ad Macedoniæ ora. Sed tũ per ualles, tum per montes, nullis ſeptos muris, circunfuſi incolæ ſolo munimento naturali locorum ab iniurijs hoſtium ſeſe tutantur. Primo itaq; hic conſtitit Caſtriotus, necq; ulterius procedere illi uiſum eſt, donec quædam, quæ in rem ſuam erant, ordinaſſet. Accerſitis igitur ad ſe maximo ſilentio optimatibus quibuſdã loci (nam noctem quoq; ad aduentũ ſuũ obſeruauerat, ut exactius cælaret omnia) apertis ſuis conſilijs hominibus, ſingula ex animi ſententia peregit. Nemo autem (ut perhibent) tunc repertus fuit, qui uel timore Ottomani, uel tam audacis facti diffidentiæ, uel ita (ut fit) proprio ſuadente ingenio de poſtulatis eius aliquid demeret, quum potius & tamdiu alitum deſiderium, & ingens uiri fama per tot annos percepta (quod maximum erat) præcipuum libertatis ſtudium, eum mirum in modum ſingulorum animis conciliauerat. Circunfuſi igitur omnes in ipſum contentione quadã, nunc feſtiui & geſtientes, nunc manantibus ex nimio gaudio per ora lachrymis, hi manus, hi faciem, caputq;, hi pedes, ac totũ deinceps corpus longis amplexibus deoſculabantur, gratulantes iam inde fortunæ, gaudentes imperio, nominiq; Epirotico, ac res extendentes ſuas, ſimulq; ei corpora, filios, animos, & ſi quid melius in anima latet tradẽtes deuouentes. Prouiſum id primo, ut diſponerentur maxima diligentia cuſtodiæ, ne interim aliquis ueniret à Tyranno nuncius ad detegendam eam fraudem præfecto Croiæ. Deinde ſtatutum de delectu habendo, ut quũ ab eo accepiſſent ſignum, omnes q̃ maximis poſſent uiribus, conſurgerent ad arma. Ex trecentis equitibus quos ſecum duxerat, paucis retentis, cũ quibus Croiam iret, ad tradendas præfecto literas, & accipiendum magiſtratum, reliquos omnes cum totidem fermè Dibrenſibus peritis regionis præmiſit occultiſſime ad latitandũ per ſyluas & ſaltus uicinos Croiæ, donec ipſe urbis poſſeſſionem occupaſſet. Tunc latenter introducturus eos intra mœnia, ad Turcarum præſidium opprimendum. Hæc omnia per eam noctem perbelle procurata, nam in exitu Autumni erat, quũ ſatis protenſæ ſunt noctes, mane nondũ clara luce ipſe deſiderij impatiens, & cui maxima uis periculi in minima morula uidebatur. Accepto equite impedimentisq;, ſequentibus nonnullis Dibranis, Croiam maxima feſtinatione perrexit. Et cum approximaret loco, ut ea re fidem maiorem facto adderet inter equitandum Ameſam, cũ duobus uelut ſeruulis ſe præire ad urbem iuſſit, qui ſingula nunciaret præfecto, diceretq; ſe cum impe

Deſcriptio Dibræ ſuperioris

Triballi populi Moeſiæ, Vide Plinium libro 3. cap. 26.

Maxima periculi uis in minima morula.

dimentis, & reliqua familia in propinquo esse. Iuuenis (ut sagacissimi erat ingenij, & sermonis, oris, uestimentorumq; habitu uere Turca apparebat) ubi primum urbem ingressus, adijt præfectum. Salutatione de more facta, tum ad Scanderbegi mentionem appositissimis uerbis descēdit, se scribam eius singens, & multa modestia subijciens, illum iamiam cum comitatu suo affore. Credita sunt, ut narrata omnia, permittentibus ita Dijs. Et iam expedire se barbarus, iam sarcinulas componere cœpit suas, priusq; literas uidisset, & Tyranni uoluntatem nosset. Tum superueniente Scanderbego, illis resolutis, inspectisq;, adhibita abunde fide, & mox imperio cessum. Ingenti lætitia omniū exceptus in urbem est. Tum præsidium ipsum hostium, tum ueteres ciues, & omnis ferme ætas obuiā (ut fieri solet) processit. Ingens fama uiri quæ ubiq; ferebatur, tunc expectatiorem singulorum animis honorabilioremq; reddebat. Adamabāt Turcæ populare ingenium uiri, quare lætus quisq; imperium eius accepit. Croiēses uisa principis sui prole, ueluti ex profundis emersi sordibus iam inde spiritum & sanguinem recepere, Tacitis subinde uotis occulta Scanderbegi consilia reputantes. Atq; aliquis ex senioribus, seruato usq; ad eam diem antiquo desiderio indolem infantis omnem educationis seriem, ac primordia ipsa nascendi, & sollicita parentum uaticinia memoria repetebat. Nullus tamen audebat animum suum aperire duci, & tam iusta arma capere, nisi ultro ipsum auctorem ad uendicandam libertatem prosilientem uidisset. Scanderbegus cū pauciſſimis repertractata, ut cū opus esset, iuuentutem excitaret ad arma, aliud quippiam mouere prohibuit, donec præsidium illud armatorum accepisset in urbem. Eo autē noctu clam accersito, & accepto, obseratis portis uici omnes, ac tutiora urbis loca impleta armatis, ignaris adhuc Turcis, uel timore dissimulantibus, augente pauorem nocte. Tum à Castrioto signum ad cædem datū. Primo procursu militum, stationes uigilum petitæ, qui per muros contextis (ut fit) cassis, oportuni iniuriæ, iacebant. Cæsi itaq; facile omnes, & ijsdem locis mox alij ex nostris suffecti. Eodē tenore impetus in domos priuatas factus, præeunte agmine Croiensium, Scanderbegoq;, tum militis, tum ducis officiū egregie obeunte. E fractis clausris multi in lectulis oppressi, ac iugulati sunt. Sed ubi is rumor alius ex alio ad reliquos peruasit, exciti magno numero ad arma, prout furor noxq; concedebat, prodeuntes in forum conflare aliq; agminis formam conabantur, ut uel laudabilius caderent, uel inhibito paulisper hoste, prorumpentes ad portam, fuga se saluarent. Occlusis tamen uijs omnibus, re utraq; frustra tentata, passim iumentorū more mactabantur. Tum quando neq; fugæ spes ulla, nec speciosæ mortis occasio aderat, ad compressos tamdiu gemitus, & inuisas fortibus uiris lachrymas conuersi, compellare nomine Scanderbegum, orare, obtestari, ut iam finē cædi faceret, neq; ulterius fœlicis auspicia regni sanguine humano pollueret, malletq; uiuos saltē seruatos seruili fortuna speciē triumphi sui augere, q; fœdare omnia cadaueribus

Aduētus Scanderbegi ad præfectum urbis Croiæ, & Vafra successio eius in præfecturā & urbis custodiam.

Scanderbeg signum dat ad cædem.

occisorum

occisorum, & tam lætum diem ea inclementia dehonestare, ac innoxio illorum sanguine imperium sibi licet iustissimum uendicare: nihil se tale meritos, non infensos ciuibus, non iniurios ulli extitisse. Commissam sibi urbem ab Amurathe uelut amicos, non hostes, incoluisse, neq; nunc obstaturos repetentibus libertatem: iam ferrū & arma deponere se, atq; supplices uictori tendere dexteras. Ingens consternatio rerum, clamor, gemitus, querelæ, minæ lachrymæ confusq; ubiq; resonabant. Quantum potuit in illo furore suorum, & ardore cædis Castriotus, nunc uerbis ipse reuocans milites, nunc signo dato deprecantium rationem habuit, & in ortū diei rem distulit, sperans occlusos undiq;, & tot oneratos malis homines, tum blanditijs, tum minis allici forte ad Christianam fidem posse. Tamen ordinato summa ratione milite, & assignatis suis quibusq; locis obseruare iussit, ne aliquid per fraudem moliretur hostis: ipse cum Amesa & alia multitudine sequente extemplo ad portam perrexit, & inde eum cū Dibrensibus nonnullis Dibram misit, ut nunciarent participibus consilij recuperationem urbis, & cætera quæ acta erant, monerentq; omnes capessere arma, ac sollicitare socios, & populos uicinos, ad libertatem uindicandam, atq; in eo tumultu rerum, & improuiso pauore, opprimerent hostium præsidia, præsertim dum Amurathes partim ignarus rerū, partim Hungarico bello occupatus esset: se nanq; expurgata urbe Turcis, ac pacato ciuium statu, cum instructis copijs, & quammaximo posset robore uirorum illico aduolaturum. Conuersus deinde, orto iam sole, ad reliqua in urbe peragenda, uoce pręconis, præmoneri iussit, ut qui baptizari, & Christianam fidem profiteri uellent, abiectis armis ad se irent, uim nullam eis fieri passurū, sed ad munus ipsum uitæ; alia quoq; officia cumulatissime additurum. Qui id negligerent, in hostium numero censerentur, & omne in eos ius supplicij permissurum. Non multū tam horrida uox obstinata pectora, & perdita ingenia mouit. Pauci sana consilia accepere, ita uetusta præcepta auorum, teneris infixa animis, coaluerant, & ossibus ipsis fixa inhęserant. Maluere infœlicia corpora sontes potius sequi animas, q; cū superū, tum hominū præstanti perfrui clementia. Dimissis itaq; iam precibus Turcæ, quū nimis durę uiderentur conditiones nostris propositæ, ad inanem prorumpentes fugam, differebant magis supplicium q; fugiebant. Nanq; dispositi per omnes urbis aditus armatorum ordines, facile pauidas opprimebant, licet multi uelut in rabiē uersi, quum oppetendę iam mortis species ante oculos obuersaretur, stricto ferro uiam sibi quibusdam locis per medios hostes aperirent, tamen non omnes manus effugere poterāt, uel decursantes hac illac, sicut caueæ occlusæ aues, singula urbis compita oberrabant, & non inuenta effugij uia, aut á superueniente hoste opprimebātur, aut suis ipsimet gladijs concidebant. Accipio nanq; aliquot manibus suis perijsse, alij per phana & delubra peruagātes, latitantesq; ab auido sanguinis milite extrahebātur, & uelut uictimę pro libertate immolabātur. Libertas in omniū erat ore.

Clemētia Scanderbegi iuncta prudentiæ.

LIBERTAS uindicanda.

Libertatis dulce nomen.

Libertatis dulce nomen undiq; resonabat, multi illorum domos adhuc ti
more non egressi, & ibi se continentes, ea ipsa loca sanguine suo replebãt,
nisi qui in intimis recessibus, & penetralibus latitantes, Sagacitatem mili
tum paulisper fefellere. Ad Scanderbegum quoq; satis magnus confuge
rat numerus, non quod tam funesti spectaculi timore propositum, mu
tassent homines, sed ad prorogandos, quoadusq; liceret, infœlicis uitæ
terminos. Nam quum sedato eo furore, & sublata in urbe belli materia,
Castriotus ad baptizandos intendisset animum, maior pars ad preces &
obtestationes uersa rogare, ne inuitos cogeret ad eã rem, simulare se posse
præsenti eo mortis pauore Christianos futuros, sed nunq; ueteres suorũ
sanctiones obliuioni tradere posse, nihil recusaturos, si ad supplicium spe
ctent, nihil tamen ad animum transmissuros: uolentibus ea tradi, non co
actis debere, obsecrare tamen per iniunctam eius dexteram, per satis iam
ultos patris, & fratrum manes, ut se nuncios saltem eius cladis, & tantę rei
gestæ dimittat ad Amurathem. Deposita iam cum armis ira, Scanderbe
gus, licet indignam aliqua miseratione, sceleratam censeret gentem, con
spectans tamẽ inermes & supplices tendentes dexteras, facile uita pariter
& libertate donauit. Sed paucis (ut audio) uti eo munere licuit. Nam ur
bem egressi, in libidinem aliorum, & auidas uulgi manus incidere. No

Castriotus oppressio Croiæ præsidio Tyranni urbeq; recepta, Christianos primi pes de ijs cerationes facit, eosq; ad arma excitat.

uis Christianis (nam aliquot fuere) ad ingentes gratulationes, affatim de
omnibus prouisum stipendia, domus, uictus, & reliquum famulatus ex
publico decreta: tamen custodiri iussi, donec nouę caracter religionis re
centibus animis coaluisse cognosceretur, præcipueq; in ea nouitate rerũ,
ne aliquid fraudis molirentur. Qui postea ex uarijs latebris emersere, alij
prout in mitiora incidere ingenia, seruati in uinculis, quum ingentem pe
cuniam pro uita pepigissent: alij occisi extemplo. His perfectis, & reno
uatis omnibus ac ordinatis in urbe, uexillisq; Tyranni ac signis, sicubi
sunt inuenta, laceratis, incensis, & abolita penitus eius memoria, atq; ue
stigijs deletis, primores quosdã urbis Castriotus per uicina loca Croien
sis nominis, ad nuncianda omnia, & excitandos ad arma q̃plurimos im
pigre expediuit, sed nullo opus uel nuncio uel hortatore erat. Armati fe
rè omnes inuenti, ducem tantummodo & auctorem aliquem certis ani
mis expectantes. Quare confectæ confestim non ignobiles copiæ, tum
longius progressi, alios sollicitare pergebant, Præsidia Turcarum quæ
inuenta fuerunt, omnia ad internetionem cæsa. Vbi hincinde satis auctæ
uisæ sunt uires, itum sine mora ad urbem. Nihil tardatus Castriotus, mo

Dibra. Amesa.

tis signis, maximis itineribus Dibram contendit, insignis armatorũ nu
merus ibi circa Amesam inuentus, ac quieta omnia: nam præsidia hosti
um quæ fuerant, iam pridem sublata. Præfectus quoq; uetus Croiæ, &
familia omnis, ad unum occisi, ac direpta impedimenta. Primum omniũ
Scanderbegus, antequam ad uendicandum sibi reliquum imperium per
geret, duo amplius fortissimorum hominum millia ibi in finibus nõ lon
gè à Sfetigrado oppido & Mocrẽo monte locauit, tum ad occludendos

exitus

exitus hostibus, qui in prouincia erant, tum ad obsidendos aditus, si qui
ab Amurathe interea mitterentur. Nam inde magis commodum & tri
tum iter in Epirum ex Macedonia Thraciaq; erat, ipse cum reliquis co
pijs in Dibram inferiorem descendit. Obtulit ibi inter cæteros fortuna
Mosem Golentum Petri generis, atq; animi nobilitate insignem uirum.

Moses Scanderbego adest socius laboris.

Quo præcipue comite omnis tum uirtutis, tum laboris Scanderbegus
in cunctis magnis atq; difficilimis rebus est usus. Tum alia loca & oppi
da circunadiacentia permeauit, Quæ quũ neq; muris circundata essent,
neq; magnis hostium præsidijs munita, facilem profecto aggressum &
aditum præbebant, & iam omnis fermè ætas cęterorum uelut omissa cu
ra, armis tantummodo acceptis, eum sequebatur, ac uindicem libertatis
conclamabat, libertas in omniũ ore pectoreq; resonabat. Dum hæc age
rentur, multi (ut audio) pluribus ex locis collecti in unum Turcæ, facto
agmine occurrunt nostris, tentaturi fortunam, sed nihilo difficilior eorũ
q̃ aliorum uictoria. Tum cæteri, uidentes inania iam consilia per uim ei
resistendi, dedentes se, armaq; ante eum proijcientes, malebant fidem q̃
dexteram experiri. Ille tum ne inermes, ac subdentes iugo colla sæuien
do crudelitatis sibi nomen ascisceret: tum ut animos suorum ea humani
tate ac ingenij dexteritate conciliaret, omnes militibus delegabat, ac totũ
ius clementiæ supplicijq; ad eos transferebat: inanes preces, inanes uoci
ferationes apud eiusmodi ingenia erãt, surdæ ad omnia militum aures.
Nemoq; seruatus præter paucos, à quibus aliquid magnum pro redem
ptione sperari poterat. Scanderbegus neq; approbabat palam, neq; eam
damnabat crudelitatem. Tacitè tamen idipsum cupiebat, & ita agebat o
mnia, ut penitus nomen Turcarum in prouincia deleretur. Cęterũ quia

Nomen Turcarum deletum in Epiro.

ubiq; ipse adesse non poterat: ratio enim suscepti negotij celeritatem exi
gebat, diuisis copijs, nonnullos ex principibus iuuentutis cum uarijs ag
minibus hincinde ad cætera expedienda, ac excitandos socios, & ad præ
occupandos hostes, præmisit. Amesa cum ducentis ferè uiris (quia non
satis idoneum præsidium ibi, neq; præsidij caput relictum uidebatur)
Croiam ire iussus, ipse nunc hac, nunc illac pererrans, ac perlustrans o
mnia, aliquot dies in recuperandis reliquis locis, ac conciliandis præsen
tia sua populorum animis consumpsit, unum restabat, sed prȩcipui labo
ris, ac difficultatis opus, oppugnatio reliquarum urbium, in quibus po

Oppugnatio urbium in Epiro magnæ molis erat.

tissimum stabat recuperati imperij momentum: tamen quum præualiꝰ
dis Tyranni præsidijs omnia tenerent, maioribus uiribus aggrediunda
ea res, & non sine consultatione aliqua agenda uisa. Quare impetratum,
ut omnes qui diffusi passim, & ad uaria ministeria missi ab eo fuerant, au
ctis q̃ maxime possent copijs, q̃ primum integrum, forte Croiam conue
nirent, ipse quoq; cum suis urbem peteret, ibi eos expectaturus. Non mul
tum inter eius & illorum aduentum interceßit more. Sed & fama ipsa rei
plures alios exciuerat: aduolarunt enim ad eum plericq; nobilissimi du
ces, præsertim eius affines, cum præclara militum manu; inter cæteros

Musachius

Musachius Angelinæ, ita uulgo dictus, ex Angelina sorore nepos, Goicus, ac Georgius Streſij fratres ambo ex Iella, item sorore. Ginus Musachius Vlaice maritus, nam Iohannes pater priusquam uita ceſſiſſet, filias omnes diuerſis principibus ac optimatibus prouinciæ in matrimonium collocauerat, præter Mamizam, quæ recuperatum à Scanderbego poſt imperium, ac pacatum prouinciæ ſtatum, Muſachio Thopiæ nupſit. A Stephano quoq; Cernouichio, qui Maram uxorem, & ex ea liberos habebat. Gratulationes cum parte & militum & pecuniarum nõ defuerũt Colluuio. Præterea uulgus cõfluxerat, & in omnes horas confluebat, ut xij. iam millia hominũ numerus armatorum excederet, erectus maxime eo ſuorum fauore Caſtriotus in procinctu habitis omnibus, & ad profiſciſcendum paratus, priuſq; moueret ſigna, ſimul de ratione agendorum conſultans, & milites adhortans ſuos, in hanc maxime ſententiam exorſus fertur: Necq; nouum, necq; inopinatum quippiam hic uideo, Duces ac Milites fortiſſimi, quod non iampridem animus meus præſagierit, & ſibi promiſerit, quum & ueterem gentis nobilitatem, & publica ueſtra ac priuata in Iohannem patrẽ officia mecũ ſedulus repeterem. De me enim (uerbo abſit audatia) nullo unq; uitæ tempore dubitaui, quũ hanc mentem, hanc pictatem in patriam ſeruarem, hos gererem pro libertate ſpiritus, eadem ueſtra quoq; deſideria paria mecum uota erant, ut ſæpius (id quod libenter memini, & nunc audacter refero) degentem apud Tyrannum omnibus ſtudijs atq; officijs ad hoc muneris inuitaſtis, oblitus ſortaſſe tum patriæ, oblitus mei decoris, & immemor prorſus libertatis uiſus ſum uobis, quum nulla ſatis certa ſpe, nullo præclaræ cogitationis indicio mæſtiſſimos domum remitterem, conſulebam certe mihi uobisq; eò ſilentio, Ciues, ea ſimulata animi remiſſione, quippe quum & eius generis res eſſent, quæ priùs fieri q; dici debebant, & uos freno potius quã calcaribus indigere uideremini. Cælaui, fateor, conſilia mea uos, ſuſpicui tam diu uoluntatis rationem omnem: non quod uel fides ueſtra mihi ſuſpecta, uel animi non ſatis noti eſſent, quum priores ipſi in ea rerum alea cogitatus ueſtros præmonſtraſſetis, ſed deterrebat mortalium fragilitas, & inconſtantia humana, quæ quum ad omnia præceps feratur, ad libertatem rapitur magis q; ducitur, nihil penſi, nihil ordinati habet: & ſi minimum occaſionis ad eam nõ modo uendicandam, ſed tentandam arriſerit, non mille (ut aiunt) enſes, mille pericula, non manifeſta mors, & apertum fortunarum uitæq; diſcrimen à propoſito auertere poteſt. Verum ubi fruſtra tentata re inanes conatus detexeris, aut funeſtiſſimũ ſupplicium, aut deterior longe ſeruitus manet, omnisq; in poſterum abſcinditur ſpes, ac lapſa ſemel occaſio in perpetuum euaneſcit, ſemel tentatur ea res: quod ſi perperam ceſſerit, imperpetuum facultas amittitur. Proinde (uerum ingenue fatebor) uix mihi ipſe ſatis tutus eius conſilij particeps uidebar, timebam ne lingua tantæ impatiens rei, ne parietes ipſi domus me proderent: teſtis eſt Ameſa nepos, præcipuus poſtea adiutor conſilij & comes

Oratio Scanderbegi ad milites.

Periculoſum libertatẽ appetere.

Ameſa adiutor Conſiliorũ Scanderbegi.

& comes laboris, & alij perpauci, quorum opera & fideli & impigra in exequenda ea re ſumus. Quod quum eadem mihi cum illis uitæ intercederet conſuetudo, idem uictus, idem proprie animus eſſet: nemo tamen me patriæ memorem, niſi in Hungarico bello deprehendit: nemo Chriſtiani & liberi hominis uocem, niſi tum cum impune potuit, audiuit. Poteratis alium uos Epirenſes (non enim deerant præclara ingenia in hac prouincia) auctorem libertatis, & ampliatorem rerum ueſtrarũ atq; animorum inuenire, maluiſtis tamen (ita forſan uolentibus Dijs) libertatem hanc licet ſeram à me expectare, q; uel per alios quærere, uel ipſimet uobis conficere. Non eſt perteſum tam egregios ſpiritus in libertate educatos, animos barbaricis ſubiectos ſordibus tam diu tenere, ut me hunc aliquando uideritis. Sed quorſum iſtud liberatoris nomen patientia ueſtra uſurpo mihi? Non attuli libertatem huc, inueni, uix ſolum ueſtrum tetigeram, uix nomen meum audieratis, cum aduolaſtis, occurriſtis quadam contentione omnes, uelut patres ueſtros, fratres, filios, à mortuis remeaſſe, uelut Deos omnes acceſſiſſe audiſſetis. Præoccupaſtis illico, obruiſtis ea magnitudine officiorum, ea animorum alacritate, ut tantum ſeruitutis uidear uobiſcum cõtraxiſſe mihi, quantum acquiſiuiſſe apud uos libertatis, non imperiũ ipſe uobis, non urbem hanc dedi, uos tradidiſtis mihi, armatos inueni, non arma tradidi. Libertatem in pectore, in fronte, in enſibus, in haſtis, ubiq; geſtantes comperi, & tanq; oppressimi tutores à patre relicti ſeruatũ mihi ad hunc uſq; diem ſceptrum, pari fide atq; diligentia reſtituiſtis, & in maiorum meorum poſſeſſionem labore atq; induſtria ueſtra incruentum deduxiſtis: nunc in cæterorum * (Dijs iuuantibus) ducite. Maiorem uel maximam iam partẽ operis abſoluimus. Croia recuperata, agro omni ſubacto, Dibris & reliquis deinceps populis nobis adiunctis, ac hoſtium nomine ex campis ſublato, oppida ſuperſunt. Si ad incommoda illorũ ſpecto, uidens omnibus à nobis obſeſſis, præoccupatis, nuda tantum mœnia incluſis relicta, bono ſum animo: ſi ad locorum difficultatẽ & præſidia intus à Tyranno poſita, maximo uel ingenio aliquo, uel pertinacia utendum uidetur. Sed melius hæc præſentes in ipſo hoſtis conſpectu, & ferrum ardenti dextera tenentes, q; nunc abſentes, & ſuſpenſis animis, conſultantes iudicabimus. Mouenda itaq; impigre ſigna, & induendi ubiq; uincentium animi, adiuuabit conatus noſtros fortuna, quæ hucuſq; in ſingulis nos egregie eſt & comitata & ſecuta. Petrella tamen prima omnium petenda nobis, nõ quod alijs ſitus difficultate, uel munimento naturæ id oppidum cædat, ſed ex eo quod uicinior eſt huic urbi, maiorẽ famam, & timorẽ Croienſis fortunæ, eo nos credo inuenturos, multa ſpectacula tum uirtutis ueſtræ, tum calamitatis ſuæ in oculis habuere, mouere poterunt hæc non parũ fortaſſe, & in quo non mouebunt, pertinacia certe noſtra ſupplebit, unum illud fixũ omnibus, obſtinatumq; eſſe debet, niſi ea expugnata ſit urbs, & uoti compotes ſimus, domum non reuerti, experiundum eſt omne artis, laboris, patientiæ

Libertatis nomẽ Scanderbeg ſibi uſurpat.

Libertas.

* *Intellige poſſeſſionem.*

Fortuna comes.

Petrella oppugnanda.

tientiæ, ferri, auri, argentiq; genus, ut inde prima huius uictoriæ auspicia sumantur, si per uim capere eam annuent Dij, nullus relinquendus obstinatis apud nos miserationis locus, sed uel insolentissime utendum uictoria, ut cæterorum frangamus animos. Si dedentibus oppidanis potiri ea incruentis nobis licuerit, magna modestia tum priuatim, tum publice agendum erit, ad inuitandos alios ad deditionem animos. Hac oratione cognita maxime modestia Scãderbegi, & laudata est ab exercitu, neq; de consilio eius quicquam mutatum, aut grauate acceptum. Moses cũ tribus equitum millibus uelut antesignanis primum ad urbem missus, Castriotis cum reliquis copijs iuxta secutus. Nonnulli dicunt eum machinas quasdam Croiæ inuentas secum duxisse ad oppidanos deterrendos, alij sine tormentis & tentata & expedita omnia. Ego (si concedendũ est quod omnes clamant) per integrum ferè mensem totum ab eo imperium recuperatũ, egre assentiar, ea deducta fuisse impedimenta, præsertim quũ hiberno tẽpore concreta gelu, & glacie omnia uix expeditis equis uirisq; iter tutum præberent. Deductis sub muros copijs Epirensis, partitis ordinibus, urbẽ impigre qua melius potuit, ratione cinxit. In Tyranna maiore, sic dicta, propter aliam minorẽ, quę prope Croiam iacet, quia aptior ad castrametandum locus erat, maior pars militum exposita, idem obsidens & obsessus cogitabat. Prior tamen Castriotus alloquendi benignitate & munificentia promissorum animos hostium præuenit, electoq; uno fidelis & expertę operę uiro, quem ex Hungarici belli reliquijs secũ in Epirum illum ad oppidanos misit. Deditionis præmio, præter uitam bonaq; priuata, si mutata cũ imperio fide manere apud se uellent, stipendia abunde oblata. Si ad Tyrannum mallent reuerti pecuniæ singulis, & non uilia munera præfecto promissa. Pronos iampridem ad deditionem homines, Vafer miles appositis ad idipsum uerbis facile quocũq; uoluit, impulit: non à Scanderbego primum exorsus, sed à malis, & Amurathis occupationibus, ex Hungarica clade ac conspiratione Christianorum in Turcas, tum ad ipsa mandata ducis præclara quadam fiducia uenit, subijciens crebro audientium animis Croiensis præsidij fortunam, ac cęterorum calamitatem, qui passim per omnes prouinciæ angulos lupis canibusq; relicti iacebant, ea omnia partim ab alijs audita, partim uisa, credita facile sunt, acceptæq; conditiones, dummodo saluis rebus suis abire liceret, cessuros urbe, de alijs præmijs non curatum. Missi itaq; à præfecto, qui rem cum Scanderbego agerent, & iureiurando sancirent, firmatis omnibus, & barbari egressi sunt sine mora, & præsidium nouum acceptum in oppidum. Cæterum non immemor consilij sui Castriotus, honoratos uerbis hostes, pecunijs quoq; equis, & cibarijs adiuuit. Dein de Mosem, & nonnullos equites cum eis misit, usq; ad imperij fines, ne alicubi uel insidijs, uel aperta ui à suis uiolarentur: sicuti plerisq; in alijs, ita hic quoq; non minus admiranda ducis nostri fortuna, q; uel uirtus, uel prudentia occurrit mihi. Et sicut in seruando eo apud Amurathem præsto

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Petrella obsidetur.

In quibus periculis Scanderbegus fuerit.

præsto fuere, ita hodie in restituendo illi imperio Deos omnes non affuisse solum, sed contendisse non ab re dicere ausim. Petrella oppidum, licet non amplum circuitu, inexpugnabile tamen; propter loci naturam, & altitudinem montis, in cuius uertice stat, armis, uiris, comeatu affatim munitum, hyeme præsertim alienissimo ad obsidionem urbium, tempore tam facile imperium eius accepit, ut non solum militem ullum in ea potiunda, sed ne uerbum quidem (ut aiunt) frustra amiserit, laudanda tam non inanis in hoc patientia eius, indefessumq; corporis robur, quàm indefatigabilis uigor animi, omnia celeriter obeuntis. Recuperata enim ea urbe, & ordinatis intus ac procuratis quæ necessaria uisa sunt, non modo die, horáue, sed ne momento quidem temporis ibi moratus est, quin extemplo collectis uasis, militem ad alia oppida uelut fugiẽtia deduceret, operta niue omnia erant, exhausti frigore hominum uultus, gelatæ manus, indurata & ueluti concreta omnium corpora, neminem tamen præter præsidium tecta uel muros urbis intrare pâssus est, neq; ipse uoluit ingredi, ut pudorẽ quendam eo exemplo iniiceret alijs. Sed neq; illud longe maius, quod de eo fertur, silentio prætereundum censeo, quod à primo scilicet die, ex quo in Epirum uenit, usq; ad uendicatũ imperium, uix duabus horis quaq; nocte somno indulsisse memoriæ proditum est, miraculũ diuini proprie corporis, ac inexhaustæ fortitudinis. Ideo fortasse patientia illa laboris, uigilijs, ac exercitatione assidua, & uirium magnitudine consecuta est, quod in Papirio illo Cursore, excusant antiqui, cibi uinicq; capacissimus dicitur fuisse. Brachio nudato semper pugnabat, nullo frigoris, nullo æstus discrimine habito, rem ausus plus fortasse habituram ad posteros admirationis, q; fidei. Nos tamen eó, unde discessimus, reuertamur. Recto itinere Petram Albam itum est, quæ à Petrella xxx. millibus passuum, à Croia xxx. millibus distat, Petrella à Croia xxv. Oppidum hoc in Aemathia est in sublimi montis cacumine situm, paruum alitu tamen, præter famẽ nullam uim hostium timens. Præterea ad ipsas montis radices præterfluens Aemathus fluuius, non minus pulchritudine, q; munimenti, & commoditatis loco illi addere uidetur. Vix fixis humi signis consedit sub muris miles, & missi ad Scanderbegũ quidam ab oppidanis ultro deditionem urbis fecere. His etiam quæ Petrellensibus ante fuerant omnia promissa & seruata, ac missi quidam ex nostris cũ præsidio hostium, qui ab iniurijs prouincialium eos tutarentur. Firmata rebus necessarijs urbe, uix data facultate respirandi, Stelusium eodem ardore petitũ, xxv. millibus passuum oppidum hoc à Petra Alba disiungitur, à Petrella xl. à Croia L. ferè. Hoc quoq; oppidum, licet ab amplitudine iure laudari non possit, à naturali tamen situs munimento, amœnitate, ac cœli salubritate non immerito extolli potest. Mons est in Aemathijs campis, excelsus, in medio specioq; cuiusdam uallis uelut de industria positus, iugum ipsum pulcherrime muris septum id castellum facit. Huc quũ solis occasu aduenissent nostri, nihil ea die actum, sed in crastinũ dilata res.

Descriptio Petrellæ.

Scanderbegi pauciſſimi somni.

Obsidio Petralbæ, descriptio ac deditio eius.

Obsidio Stelusij, eius descriptio & deditio

Mane missis ad oppidanos legatis Castriotus, primo nihil præter uerba tulit, nullumq; certum responsum datum. Nam uariatũ maxime sententijs inter barbaros est, & res propè ad seditionem deducta propter pertinaciam, uel ut uerius dicam, constantiam præfecti dissentientis à cæteris de deditione ac excitantis multitudinem ad arma. Victus tamen à maiori suorũ parte, quũ æquũ conditionis genus acceptare noluisset, coactus est postmodũ sordidius longe, & funestius iugũ subire: nam milites flectere uerbis eum nequeuntes, uinctũ cũ alijs eius sententię sociis ad Scanderbegum deduxere, & conditionibus acceptis, tradidere urbem. His plusq; cæteris liberalissime de singulis prouisum à nostris. Maior pars ob patratum facinus Ottomani timore domum redire noluit, ibiq; mansit. Eorum quidam baptizati: alijs liberum arbitrium eius rei relictũ, uictus tamẽ ex publico nemini negatus. Sfetigradum restabat, quod idẽ apud Illyricos signat, quod sancta ciuitas, nihil moratus in Stellusio Epirensis, copias illuc summa celeritate traduxit. Hoc oppidum in superiore Dibra ad fines imperij iacet, in excelso monte, ut de cęteris diximus, uelut aquilæ nidus, conspicuum, ambitu pari fermè cum Stellusio. Hęc omnia quæ numerauimus oppida, nullum antiquæ memoriæ conditorem habent. Nam illa, quæ ueteres, Macedoniæ & Epiri reges, ac externi principes construxere, ut Meandria, Heraclea, Toglus, Nicopolis, Echinus, Leucas, & alia nonnulla quum Latini nominis hostes, uel totius magis humani generis incendia & pestes, Gotti, ac Gallogręci, orbem inuasere, diruta ab eis omnia, atq; solo æquata fuerunt. Vnde prouinciales, & locorum reguli, longo post tempore cupientes dispersam sordide multitudinem in unum colligere, & aliquam effingere prouinciæ formam, quũ difficilem ueterum reliquiarũ reparationem uiderent, & æque si fuissent reparatæ illæ urbes omni pristinę calamitati, & hostiũ iniurię obnoxias, quia maiori ex parte campestris erat, in altissimis montium iugis sedes sibi eligentes, hæc castella condidere, pusilla ideo, quod neq; locorum habitudo maiorem circuitum murorum patiebatur, & ut facilior foret eorum defensio, quum aliqua uis hostium ingrueret. Licet Croia, ut imperij caput, sicut pulcherrima omnium, ita amplissima sit, conditorem eius fuisse Carolum inuenio, diuitem uirum, ex nobili Thopiarum genere, qui tempore quo Scanderbegus Epiro potitus est, in Scuria, haud ignobili Epiri parte, inter Tyranam & Dyrrachium imperitarunt, ubi sub hostium oculis Castriotus consedit, dispositis ordinibus, stationibusq; extemplo agere cum oppidano de deditione cœpit. Et ut facilius exemplis moueret homines, commemorari eis iussit singula quæ Croiæ, Petrellæ, Petrealbæ, Stellusio acta erant, præcipue de liberalitate eius, officijsq; in presidium Stellusiense collatis econtraq; ac prefecti uinculis, quẽ iamiam ante illorum ora cum alijs obstinatis mactari uisuri essent. Mouit ea legatio singulos, præfectum præcipue propter alienæ fortunæ documentũ subiectum oculis. Quare timens prior ipse suam efferre sententiam, & respondere

Obsidio Sfetigradi, eiusq; descriptio.

Petrella, Petralba, Stelusius, Sfetigradus, conditorũ nominibus carent.

Gotti. Gallogręci.

Croiæ conditor Carolus.

respondere hosti propter multitudinis inconstantiam, & mutabilia uulgi ingenia, accepto, habitoq; honorifice legato, conuersus ad suos multa modestia. Quid iubetis, ait, fortissimi uiri, & fidelissimi milites, aut quid ad hæc hosti respondeamus? Tum unus ex astantibus satis coniectatus ex uerbis ipsis tacitam ducis uoluntatem, Postquã fortes, & fideles se hostem Scanderbegum appellauit sublatum strictum ensem dextera concutiens. Hic, ait, fortissime Dux pro nobis responsum ferat. Nihil oportuit appositis ad idipsum uerbis, nunc ex Croiensi, nunc ex Stellusiensi fortuna libera pectora perterrefacere. Sicut diuersi uultus, uariæ mortalium facies, ita diuersi sunt hominibus habitus animorum. Vnusquisq; suo ingenio sapit, furit suo quisq; facto. Nos leges non Petrellensibus, non Stellusiensibus dedimus, necq; ipsi dent nobis. Non transeant tam sordida mancipiorum exempla ad fortium uirorum animos. Dedignantur sublimia ingenia in honestis, nedum in turpibus aliena facta imitari. Suo quisq; more uiuit. Agedũ mactetur ante ora nostra Stellusiẽsis præfectus, immolentur socij: creditis ne in eorum nos corporibus interituros? Nunquid noster ibi extinguetur spiritus? Nunquid noster inde effluet cruor? Sed ô fœlicia corpora illa, ô uerẽdos mihi semper manes, qui præclaro libertatis & fidei seruandę studio, aurũ, argentũ, ferrumq;, & quicquid uel cupit, uel timet misera mortalium conditio, perinde contempsere. Fer tu itaq; hæc uicissim priuati militis mandata ad ducem, si imponere nobis has conditiones quærit. Nudet iam brachium illud nõ adeouscp formidatum fortibus uiris. Cogere fortasse nos ad suas leges aduersis Diis poterit perlicere: certe non poterit. Cæterum, necq; tamen is est Scanderbegus uester, quem olim audiuimus, sublimi ingenio, uirũ facilem in ignoscendo, & non minus hosti, q; sibijpsi æquum. Cur enim Stellusiensis prefectus, qui libere, quod fortiter, quod iuste pro rege suo, pro fide, pro libertate senserit, in uinculis tenetur? Cur parãtur secures? Non meruit gladium, non mortem, qui tam præclare eam, ut libertatem seruaret, appetijt. Ingenti admiratione omnium auditus est miles, neque interpellatus, donec ultro uerbis finem fecit. Tum circunfusa undiq; turba, Scuta, gladijs cõcrepuere, & iuxta id signum clamor approbantium sublatus. Præfectus auctus maxime, & confirmatus animo in ea suorum uoluntate, dimisso ex urbe legato, mox ad custodias cõuersus, milites ad sua quenq; ministeria transmisit. Per muros licet ordinata pleraq; antea essent, tum augens, tum renouans omnia summa ratione collocauit, multa interserens hortamina inter apparandũ, & inueniisse se dicens in omnium animis, quod certa prius spe concœperat, Augeri magis deberi eorũ constantiã exemplis aliarũ urbium, quę tam fœde iugũ hostile subijssent: cogitarent quæ essent præmia laturi ab Amurathe, se soli inter tantam reliquorum perfidiam libertatis, & Ottomani imperij nomen seruassent in Epiro. Contraq; si animos summisissent, grauiora se omnia quàm Petrellenses, Stellusienseq; timere merito debere, quum excusabilior illorũ perfidia

Petrellenses. Stellusienses.

perfidia uideatur, quod in uiſceribus ipſius prouinciæ conſtituti obſeſſi undiq; ab hoſte circumuallati, uelut coacti fuiſſent ad deditionem, ſe in limitibus ipſis hoſtilis imperij collocatos, & fortiori adhuc oppido munitos, eas inanes excuſationes, factasq; cauſas allegare nõ poſſe, quũ adeſſe ſubſidium à Tyranno, & ſolui obſidio momento temporis poſſit. Solabatur præterea breues eos labores futuros, propter incommodiſſimum ad obſidionem hybernum tempus, ac credere facile ſe hoſtem ubi pertinaciam eorum nouiſſet, nihil quicquam moliturum in muros, ſed ſtatim conuerſis ſignis abiturũ. Ad ea uerba conſiliaq; illud quoq; non minus prudens factum addidit, quod Chriſtianos omnes, & ueteres ciues, quorum nonnulli ibi ſicut & in alijs oppidis ab Amurathe fuerãt relicti, eductos ex urbe, ne proditioni ullus eſſet locus in ſuburbia miſit. His ita paratis, hoſtis intrepide expectabatur. Caſtriotus interea audito oppidanorũ reſponſo, & elaborata barbari oratione, riſu ſibi obiecta diſſoluẽs: Inſignem apprime militem, inquit, ſi ita facere ſicut dicere nouit: ſed ſi facultas aderit nobis, fœlicẽ eum quoq; fœlicibus Stelluſienſium manibus addemus. Mox duci præfectum ante ſe cum captiuis illis iuſſit, & oblata crucis imagine, aliquos credentes & confitentes baptizauit. Deſdrotus cum ceteris in cõſpectu omnium necatus. Sublatus ilico clamor ex urbe & multis conuitijs noſtri ſunt cõciſi. De ratione oppugnandę urbis tres fuere ſententiæ: Alij nihil tentandum in muros cum opertis glacie ac niue locis omnibus inacceſſum eſſe montẽ, & uix pedibus conſiſtere poſſe militẽ dicerent. Quare relicta prorſus obſidione propter hyemis incommoda, in uernum tempus differendam eſſe oppugnationem. Alij facien dum militum eſſe delectum, apparandas ſcalas & machinas, cæteraq; id generis inſtrumenta, & pertinacia aduerſus pertinaces utendum, neq; dũ reſpirare cuperent ipſi, & uelut aues uernam temperiem expectare, relinquendũ tempus hoſti ad ſubſidiũ ab Ottomano capiendum & reparandas uires. Moſſes inter utroſq; neq; tentandam oppugnationẽ, neq; deſerendã obſidionẽ ſtatuit, alio tamẽ modo q̃ ipſi ſentirent: nam per præſidium quod ibi ad confinia ad alias neceſſitates paratum tenebatur, optime & conſuli exercitui, & non interpellari obſidionem poſſe, & incluſos teneri intra muros hoſtes, atq; ita paulatim rem protrahi in commodius anni tempus, neq; illis ſpaciũ concedi ad reſpirandum. Hęc ſententia quę media erat, accepta, & ad autorem ipſum id onus à Scanderbego delatũ, accinctumq; præſidium illud duum millium, quod non longe aberat, & mille additis relictus ibi cum eis Moſes, reliqui ſublatis ſignis Croiam petiere. Ibi quoq; uariatum ſententijs eſt de totius rei ſumma, & belli ratione, multis ægre deponentibus arma, ſuadentibusq; ſequendam uictoriã, & inferenda in hoſtilem agrum ſigna, ac aliquid de imperio Amurathis abradendum. Alijs alleniſſima tempora allegantibus, niues, glaciem, imbres, uix ſuſpecturum tot incõmodis militem. In campis præterea exuſta gelu omnia nõ præbitura iumentis alimẽta. His aſſentiens Caſtriotus, ut & aliquam

Sententiæ de ratione urbis oppugnandæ.

& aliquam ſuorum rationem habere uideretur, & recuperatũ imperium interim melius firmaret inter dimittendum exercitum, his uerbis militi gratiarum actionem exoluit: Neſcio quid prius, quid poſterius laudandum ſit in uobis milites, uirtus ne, an fortuna: hanc illa inuitauit, hæc iuuit illam, & (quod maxime in hoc genere rerum gerendarũ oportebat) conſilia, conatusq; ueſtros celeritate æquauit. Quare maximum præſagium hinc futuri Epirotici ſplendoris, & dignitatis ueſtræ cœpi. Quid negatura imposterum fortuna nobis? Quid nõ ſuperatura patientia ueſtra non uideo? Vix trigeſimus hic dies eſt, ex quo ſecundis auibus poſſeſſum à barbaro ſolum poſſeſſam patriam animi dubius, ac penè ex tam longa peregrinatione ignotus tetigi. Hodie Sfetigrado excepto, non nomen eſt, non odor (ut aiunt) eius in prouincia relictus: gratiæ imprimis agendæ ſunt Deo, qui ita mentem hoſtibus ademit noſtris, ut tot fortiſſimorum locorum poſſeſſionem incruentam etiã in uos tranſtulit. Tum patientia ueſtra ſuis non fraudanda laudibus, quæ non cœli minas, non hybernam intemperiem, non ſubiecta tot oculis aſpexit incommoda, nõ caput detorſit, donec conceptum iampridem deſiderium ex animi ſententia exoluiſſet. Nunc utrorumq; uoluntatem laudo, & qui ſequendam, & qui differendam uictoriam ſentitis. Quippe quum nihil debeat fortem uirum tardare, per aquam (ut aiunt) per ignem, per inuia quæq; permeabile iter habere conſueuit uirtus. Tamen ſi nihil hæc dilatio iniqui eſt allatura, poteſtis citra iniuriam meminiſſe, humana quoq; uobis corpora eſſe, Ite proinde fœlices, & uictrices dexteras, ac quod ſupereſt, ſpiritus refocillate, ſolidiores poſtea in nouos actus ad clementius anni tempus reuerſuri. Tunc arma condico, tunc ſudores omnibus, tunc perpetuam belli materiam, tunc ſtipendia eſtis, quæ nunc promeruiſtis, cumulatiſſime accepturi. Nam ſi ita per ſilentium Ottomani licebit nobis ſine obſtaculo bellum, ut cœpimus, gerere, depopulandus eſt ager hoſtilis, diripiendus, incendendus, ac tentanda quædam præſidia locorum, ſi adiunge re nobis poſſimus. Sed ſi bellum (id quod propius uero puto) aduerſus nos decernet Tyrannus, accommodanda erunt ex tempore, & conſilijs ipſis hoſtium conſilia noſtra. Quicquid tamen de alijs ſumus acturi, in Sfetigradum primus quiſq; impetus, prima arma depromenda. Turpe æque ac moleſtum uidetur mihi, ut ibi radices adhuc per ſummam ignominiam Epirotici nominis teneat hoſtis. Sed cedendum nunc tempori fuit, ne ſi pertinaciam Sfetigradenſem maiore pertinacia ſuperare contenderemus, fruſtra re tentata, turpius uicti abiremus, & inſolens hoſtis paulatim conatus noſtros contemnere aſſueſceret. Non enim cum uiris tantum, ſed cum cœlo ipſo pugnandum eſſet. Vitio datum accipio priſcis quibuſdam Imperatoribus, quod per imprudentiã, reiq; militaris ignorationem paratiſſimos exercitus magis incõmodis rerum, q̃ hoſtili gladio amiſerint. Cæterum adeſt etiam præ foribus natalis Chriſtianus, nõ puto aliquid tentandũ in hoſtem hoc tempore, non uitam alicui auferen

Oratio Caſtrioti ad Duces, præfectos, & milites ſuos, prebus bene geſtis, ac Imperio recuperato.

Fortem uirum nihil remoratur.

dam, quo ipſi uitam & lucem accepimus tempore, ſed crebris uotis (ut ſæpius repetam) ubicꝙ gratiæ ſuperis perſoluendæ pro libertate, pro imperio, pro uxoribus, liberiſcꝙ, pro iiſdem ipſis recuperatis. Ego uobis, ſi ob aliud quippiam impar ſim, milites ad gratias referendas, ob id præcipue eſſe confiteor, quod tot præclara nepotum pignora, tot gratiſſimorum, & inuictorum ducum aſpectum reſtituiſtis mihi. Magna quæcꝙ his ducibus, his adiutoribus animus ſpondet ſibi, dabunt occaſionem, dabunt materiam ipſi, unde uobis quocꝙ olim ingentes gratiarum actiones habeam. Nunc ſi quid in me eſt, quod ad uos uel ornandos, uel illuſtrãdos attineat, efferte audacter deſideria ueſtra, nancꝙ (ut arbitror) eam pro magnitudine ueſtrorum in me meritorum debeo uobis animi gratitudinem, in me nunquam deſiderabitis. Vulgum non tenuit pudor, & honeſtiores etiam quoſdam, quin ſumpta ex eo ſermone fiducia, uelut timens unuſquiſcꝙ, ne alius prior poſceret, undicꝙ circa eum effuſi, ut uaria pro habitu ingeniorum expoſcerent, hi equeſtria, hi pedeſtria ſtipendia, pecunias alij, equoſcꝙ, alij quarundã uectigalia uillarũ, multi quibus in mutatione imperij arrepta patrimonia fuerant à barbaris, & ad alios translata, reſtitutionem ueteris fortunæ. Quæ tum expediri præter contentionem potuere, facile omnia conceſſa relicta, quæ annexam alicuius iniuriam habebant, in aliud tempus reiecta. Dimiſſo exercitu, Scanderbegus urbem ingreſſus cum ſuis, nam multi manſere cum eo, præſertim nepotes, & principes conſanguinei, primum omnium Ameſam cũ ſocijs quibuſdam, qui illum ex Hungaria fuerant ſecuti, lauacro baptiſmatis fidei Chriſtianæ reſtituit, & barbaros plures ſimul qui tum Croiæ, tum alijs locis inuenti fuerant, intermiſſa prius re in ea celeritate belli gerendi. Hęc lætitia ad Natalitiam feſtiuitatem addita, pluribus diebus eſt celebrata, Scanderbego à prouincialibus tũ priuatim, tum pub. de more geſtis multa Xenia miſſa, principes uicini ſicut nuper apta ad bellum, ita nunc pacem, & otium ornantia uarij generis munera dedere ueſtimenta egregia, & aliam pręcioſam ſuppellectilem, non ignari in eo habitu rerum, & bellico tumultu, nihil eum præter arma attuliſſe. Breue id ocium Caſtriotо fuit, nam inter epulas fermè ipſas nuncius à Moſe aduolauit barbaros qui ex prouincia in loca uicina confugerant, facto non ignobili agmine ſociorum, & collectitia multitudine ad ſe opprimendũ properare. Quare feſtinaret ipſe, nam uereri ſe uel longius ab hoſte protractum deferere cogi Sfetigradenſe negotium, uel ſi ſub muris tentare fortunam uelit, medius ab oppidanis & illis introcludatur. Hæc omnis eius motus cauſa fuit, nam reliquiæ illæ Turcarum, quæ manus noſtrorum effugerant, præſertim Petrellenſe, Stelluſienſe, & Petralbenſe præſidium poſt eam fortunam collecti circa Alchriam oppidum id eſt Ottomani nominis in Macedonia, quũ uiderent Scanderbegum miſſo exercitu Croiam in hybernа cõceſſiſſe, & ſedatos iam uelut per ocium omnis belli tumultus. Tum ultionis ſtudio, tum cupientes præclaro aliquo facinore ignominiã ſuã, & per-

Ameſa baptizatur cũ ſocijs.

Xenia miſſa Scanderbego.

Alchria oppidum Turcæ in Macedonia.

& perfidiæ errorem apud Ottomanũm excuſare, excitata alia multitudine, Sfetigradum ire pergebant, ubi audierant Moſem cum præſidium ad cuſtodiam finium, & urbis obſidionẽ relictum. Caſtriotus licet nõ multum eo nuncio moueretur, quod nunquam eam colluuiem fines ingredi auſuram credebat. Tamen ne aliquid negligenter in noua poſſeſſione imperij ageret, uel Moſi deeſſe uideretur, ocius conſcenſo equo, cum coniuuis ipſis & ſocijs epularum, ac centum fermè militibus ex urbe ductis, ad eam periculi ſuſpicionem exorientem extinguendam, contendit: ſed nihil uel timore, uel feſtinatione illis dignum inuentum. Nam ubi aduentare Scanderbegum ſenſere hoſtes, ſicut timide proceſſerant, facile retroacti uix ueſtigia ſui reliquerunt. Tamen hæ res malorum ipſis cauſa fuit, nancꝙ indignatus Epirenſis, quod & data ſibi eius incommodi uiꝯcꝙ cauſa, & ſublata per eorum fugam materia laudis foret, acceptis mille equitibus ex Moſis præſidio, hoſtile ſolum ingreſſus, ut ea iniuria, ſi poſſet, laceſſitum hoſtem prouocaret ad pugnã, multa hincinde procurſans per campos ſubuertit, deuaſtauit, depopulatus eſt, atcꝙ allectum ea prædę dulcedine militem, totius deinceps hyemis cibaria doluit.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS HISTORIARVM Scanderbegi Liber Secundus.

QVAE GESTA IN HVNGARIA SVNT (VT IAM perfectis rebus noſtris ad aliena reuertamur) quum certis nuncijs cognouiſſet Ottomanus, licet fama quocꝙ ipſa prior, ſolito pernicior, quum male quippiam affert, uario tumultu, metucꝙ, & luctu ſimul publico, ſimul priuato omnia impleſſet, Scanderbegi opera Baſſam profligatum, deletumcꝙ exercitum, ac propè ad internitionem cæſum, unum cum Ameſa illum, & adiutoribus conſilio è prælio incruentum euaſiſſe, moxcꝙ in Epirum profectum, ſummo dolore eo Amurathes nuncio perculſus, percunctandi ſtudio ubi rei ſeriem omnẽ, & Scanderbegi conſilia edidicit, in extorquẽdis præſertim à Scriba fallacibus literis (necꝙ enim uel id latere diutius potuit) primum illi tam audacis facti, & inſperati (ut fit) mali admiratio uocem incluſit. Deinde mitigato paulatim dolore, in uerba prorumpens, uox nunc minax, nunc querula, uim eam omnem fermè indignationis exhauſit, nunc ingratum Scanderbegum, nunc ſceleratum appellans. Venenũ iamdiu ſeruatum, euomuiſſe dicebat. Idem fuiſſe facturũ iampridem, ſi ei furori atcꝙ ſcelerato conſilio modus adfuiſſet, tempus captaſſe, quo tutior impunitiorcꝙ

Dolor Amurathis ob cædem Baſſæ ſuorũcꝙ & eius indignatio aduerſus Scanderbegũ.

punitiorq́ nefandi uoti cõpos exisseret, propter grauiores suas ex Hungarica clade belli necessitates, & maiora rerum momenta. Quærebat nũc callidus Princeps, quo magis in eum suorũ animos excitaret, sibiq́ conciliaret. Quæ eum ratio (q̃uis nullam rationẽ scelus habere diceret) ad tã impium facinus impulisset. Quum liceret apud se illi & ditissimo & maximo esse, nihilq́ penitus eorũ desiderare, quę insatiabilis quisq́ hominis animus ad omnem uel domesticæ, uel militaris rei gloriam sibi ipse uotis exposcere potest. Nunquam alienigenum hominem maiori apud se cura habitum, educatumq́, & peregrinæ uirtuti ingentiora prę̃mia proposita ficta quadam rei indignitate, ac doloris impatientia principum suorum fidem appellans, iterato sępius sermone clamabat, bene nunc actum secum atq́ cum Ottomano impio dicebat Amurathes, maximo se onere domestica fraude atq́ insidijs liberatum, aliam fortasse uim ueneni, aliud pernicioſum incendium futurum fuisse, si ea pestis intra parietes suos diutius coaluisset. Illud se tantum dolere, de eo arbitris dijs pariter atq́ hominibus conqueri, neq́ unq́ id sceleris inultum fore, pati posse, quod in Hungaria ab illo præter ius omne, fasq́, nefario consilio hostibus victoriam traditam audiebat. Si enim aliqua suberat contra eum ulciscendi ratio, & iusti doloris species, quod paternum eius regnũ possideret. Quid exercitus meruerat per oẽm fœditatẽ crudelitatemq́ uelut victima hosti oblatus? Quid innoxius suorum sanguis? Quid scriba tandem innoxius, qui neq́ ipse impias manus effugere potuit? His sermonibus Ottomanus incitatos per se barbarorum animos magis accendebat, sed attulere maiora, ac maxima quæq́ additamenta ad eum dolorem alij, atq́ alij ex Epiro nuncij captam Croiam à Scanderbego, capta eodem tenore cætera oppida, cæsa præsidia dicentes, ac regnum auitum eius omne in illius potestatem miro totius gentis fauore redactum. Cæterum cum hęc Ottomani animum summe mouerent, omissa tamen aliarum ferè omnium rerum cura, in Hungarum bellum mentem conuertit. Id unum certamen singulis propositũ uidebatur. Id omnium consilia, atq́ desideria singulorum, & publica uota exposcebant: uariæ purpuratorum sententiæ ægrum senis animum hincinde distrahebant. Nonnulli qui nihil periculi putabant, donec penitus debellatũ nõ uiderent, tendendum omnibus copijs aduersus Hungaros censebant, neq́ pro parte uictoribus totius belli euentum, atq́ triumphum per summam ignauiam & secordiã cedendum, præsertim quod & idipsum sine domestica proditione ac perfidia factum non fuerit, aliud præterea esse Bassam cum xx. anteſignorũ millibus, aliud totius Ottomanum robur exercitus, & florem Europæ Asiæq́, ac insuetam uinci regiam cohortẽ expectare. Quibus alia mens erat ab his, & maiorem ruinam uerebantur, quantũ illi propter Scanderbegi perfidiã Bassę fortunã excusabant, tantũ onerabãt isti propter paucitatem hostium, quod Hunniadem cũ minoribus dimidio copijs, q̃s fuisrem tantum uel incruentum peregisse dicerẽt. In eo quod illi regia signa, & mag

Variæ apd'Ottomanum sententiæ super bello cum Hungaris renouando.

Hunniades.

& magnitudinem copiarum ad Bassam referentes extollebant, adducebant hi Vladislaum cum totius Hungariæ ac Poloniæ nomine, iuxtaq́ Italorum auxilia cum Iuliano Romanorum legato, ac Germanorum arma, qui omnes adhuc nulla belli eius auspicia susceppisſent, sed cupidissime pugnandi copiam expectarent. Despotis præterea satis fauorabilem causam nunq́ deserturos Christianos, donec illum auitum reponant in regnum Scanderbegum. Demum nouum hostem exortum contemni non debere, nosse omnes, quo uir ingenio, qua fortuna, qua rerum bellicarũ peritia esset. Iam temporis momento paternum imperium omne deleto hostium nomine, sine matris (ut aiunt) dolore uendicasse. Quid deinceps firmatis imperij rebus, & conciliatis populorum animis factu rum? Excitaturum profecto ad arma quoscũq́ Christianos Principes, & nõ labori, non periculis, non uigilijs ullis parsurũ, ut aliquid quotidie de imperio eius abradat, stultũ fore inter tot hostes à tergo, à fronte, à lateribus, inter tot arma, euentũ aliquem nisi infœlicem expectare. Satius esse summittere semel animos fortunę ne sępius summittantur, & aliam corporis partẽ detegere, ut aliam magis iniurię obnoxiam tegas, tẽpore magis geri bella, q̃s armis. Haud grauate restituendam Myssiam Despoti, ut à tot incõmodis bellorũ aliquantulum respiretur. Sed quid restituendã? mutuandam potius, auferri enim quoquo tempore uel facilius q̃s data sit posse. Mouere hęc multũ ad ea iampridem inclinatũ senem tamẽ ne tam facile ad eam sententiã prorumpens timoris indiciũ aliquod prę̃ferent multis hincinde de industria dictis quasi inuitus ad id applicare uisus est animũ. Quare decreta legatio ad Hungaros, & oblata Myssia Christianis, ac inducię belli in x. annos petitę. Hunniades qui tunc maxime ęgro tantibus cęteris, omnia tũ belli tum pacis munia obibat, uidens inutiles copias suas ad arma, oblatas cõditiones à Turcis nec recusauit, nec distulit. Quidã tamen dicunt purpuratũ illũ Tyranni, quẽ diximus eo prę̃lio à Ianco captum, ad xl. millia aureorum, quę pro se redimẽdo promiserat, admonuisse eum, ut Myssiam peteret ab Ottomano, nihil enim negaturũ propter Bassę fortunã, prę̃sertim quod & in apparatu ipso belli id ipsum suis se concessurũ diceret. Et ita factũ, atq́ prius ab Hunniade missos legatos ea cuncta, ut retulimus, transegisse. Sed ferũt Amurathẽ, ubi post ea de nostrorũ ęgrotatione audiuit, multũ indoluisse, & defleuisse quasi apertis lachrymis, tam certã uictoriã propter inanẽ timorẽ è manibus elapsam sibi. Ab Epiro nihil amplius per eos dies auditũ, nisi excursiones quędã, & ludificationes militares ad fines imperij. Itaq́ Tyrannus tum propter incõmoditatem hyemis, tum q́ nõ satis Hungaricę pacis fidem ad animũ transmiserat, quos adhuc audiebat stantes in armis, donec imperium recepisset Georgius, ex tempore capturus consilium Epiroticas res distulit. Iam sessus summe equidem, tot causas quotidie, tot rationes excogitare, allegare, quæ nota subinde nectentes impedimenta hosti rerum nostrarũ statũ augeri, indies firmari, quiescere tam fœliciter sinerẽt. Nam ea

Poloni. Romani. Germani.

Legatio Ottomanj ad inducias ab Hungaris in decennũ petendas, quibus etiam Myssiam sine bello offert.

Acceptio conditionum pacis ab Hungaris.

Purpuratus tyranni qui apud Pannones captuus erat, quadraginta millibus aureorum redimitur.

Castriotus immunis à bellorum turbine, hyemem pene totã transegit.

Nam ea hyberna intemperies suspecta Hungarorũ fides tum materiam quietis prębuit nobis. Quid postea cõstitutis Mysię rebus, abscedẽtibus Hungaris? Quid bruma fugata tardauit Amurathẽ, ne aliquod tamdiu coctæ ultionis genus in Scanderbegũ depromeret? Ante enim idus Iunias nulla belli auspicia aduersus eũ sumpta inuenio, nisi fortasse ex Hungarica clade fractum animis senem magis ocium suum, q̃ Epiri iacturã, & omnes iniurias à Scanderbego acceptas, æstimasse dicamus. Relicto Mose, Castriotus Croiam redijt, ibiq̃ immunis à bellico labore (tempus enim prohibebat) in ciuilium rerum procuratione, & componendo priuatorum statu hyemem traduxit, sed non totam: nam in propinquo ueris accepto Amesa & paucis equitibus, ad conquirendum militem, profectus confecto exercitu sex millium hominum, Sfetigradum petijt. Quid faciat? Sicut difficultatem locus, ita pertinaciam hostium animi nõ mutauerant, non minæ, non lenia uerba proderant, tormenta non aderant: quæ si affuissent, aliquid fortasse ad terrorem ualuissent, modicum certe ad urbem potiundam. Experiri uero fortunam cum tam aperto suorum discrimine, & certa quasi militum pernicie temerarium uisum est. Proinde & quæ melior, & plurium erat, sententiam secutus, intermissa aliquantisper cura Sfetigradensi, in alia loca imperium ampliaturus intulit signa,

Scanderbeg ampliat imperium suum.

primum tamẽ quicquid frugiferi circa urbem fuit, corrupit, deuastauit, & agrum omnẽ obsessis ademit, ac nihil ferè pręter nuda mœnia reliquit. Ferunt tamen ueniisse occulte ad eum colonos quosdam loci, eos præsertim, qui in suburbijs morabantur, rogasseq̃, antiquorum officiorũ memoriam recolentes, quæ in Ioannem patrẽ olim contulissent, ne se quoq̃ eo pacto, nihil tale meritos, euerteret, parceretq̃ uastationibus eius agri, quando inde uerius illis q̃ hostibus auferrentur alimenta. Non deesse tempus, non defuturam uiam meliorem, qua sumi ultio de præsidio Tyranni, & extorqueri è manibus eius ille locus posset, se captaturos occasionem, futuros q̃ maxime adiutores eius rei, si quid usquã affulsisset spei. Audita hæc libenter Castrioto & credita etiam sunt. Quid enim dubitaret tum de Christianis hominibus, tum de paternis olim subditis? Quare sublatis signis, eam sęuitiam alió transtulit. Tractus enim quidam eius regionis erat pulcherrimus, habitantiũ multitudine refertus, & frequentibus inhabitatus uicis Mocrea accolæ appellant Triballos uersus. Huc cũ exercitu proficiscens, imperij sui terminos latius extẽdit, ampliauitq̃, quám Iohannes pater possidet. Hostes nullibi inuenti, nam Turcæ aut iamprídem sublati fuerant, aut aufugerant. Incolæ & reliqui Epirotici generis, mox abiecta Amurathis memoria, nouum ducem, & nota olim signa, aquilasq̃ (nam rubea uexilla nigris, & bicipitibus distincta aquilis (id gentis insigne erat) gerebat Scanderbegus) uel non intitati sequebantur. Tum ex ijs in alia & alia loca, nunc mitis, nunc terribilis irrumpens, quotidie aliquid imperio suo addebat, ordinabat semper aliquid per prouinciam, disponebat præsidia, custodias collocabat. Reuisebat crebro

Mocrea, Triballi. Vide Plin. li. 3. cap. 26.

Vexilla & insignia Castriotæ gentis & familiæ.

Croiam

Croiam, ac cætera loca, oppidaq̃, Nunc hac, nunc illac oberrabat sedulus, perlustrabat, contemplabatur singula, montes, colles, syluas, saltus, ualles, & latebras quasq̃, quo pacto minima suorum iactura olim cum tanto hoste belligeraret, quod supererat temporis omne excursionibus assiduis, & deuastationibus hostilis agri impendebatur. Nolebat enim milites suos otio marcescere, afferens semper in medium id Fabij Maximi, negantis utile esse loco uno sedere exercitum: itineribus, & mutatione locorum nobiliorem ac salubriorem esse. Latuerunt non diu hæc Amurathem, iam alij atq̃ alij ab Alchria & reliqua Macedonia nuncij uestibula eius replebant, direpta omnia, & deformata clamantes, nihil usquam pręter mortem & seruitutem conspici, non contentum paterni imperij recuperatione Epirensem, tota die infestis agminibus cæteros regios colonos infestare, agros diripere, & multarum iam rerum possessionẽ adeptũ, nihilq̃ indies desolita ferotia sęuitiaq̃ remittere. Dibrã utranq̃ iampridẽ uoluntarias se imperio eius addixisse cæsis propria manu Turcarum præsidijs, aut uinctis nouo duci traditis. Hæc loca olim Iohanni patri subiecta fuere, tamen (ut iam dictum est) ab Amurathe oppressus, pacem ab eo petitam tulisset, una cum filijs obsidibus, Dibras quoq̃ ei pactis conditionibus tradidit. Sfetigradum inde dicebant iam propiorẽ ut caperetur, fore, quũ in Dibra inferiore positum, omnibus undiq̃ ab hoste possessus, nihil reliquum habeat ad belli subsidia, uel alimenta uirorum. Mocreas desciisse, & pleraq̃ alia loca, quæ nunq̃ Castriotæ gentis imperium sensisset, aut incolarum rebellione, aut timore, aut longis coacta malis, iugum eius subijsse. Pepulerunt hæc nedum ira, sed necessitate potius quadam Tyrannum ad arma, quare celerrime, & cõsultationibus habitis, & lato decreto delectum ingentẽ fieri iussit, quo sine ancipiti certamine, & integro exercitu suo Scanderbegi nomen penitus deleret, Epiricq̃ defectionem, & tot ab eo illatas iniurias ulciscereturille nedum obscuris nuncijs (ut non desunt quotidie in tanto motu rerum) sed à certis hominibus & amicis, quorũ plures adhuc illi iampridem conciliati apud Amurathem erant, quos mutata fortuna mutare non potuerat, certior de singulis factus, sicut ad pericula capessenda multum præbuerat audaciæ, ita etiam inter ipsa pericula plurimũ consilij adhibuit, cogitans enim quantam rem animo concœpisset, quodúe susceptisset humeris pondus, & ueritus non satis idoneas suas uires ad tot quotidie renouanda & perferenda fore bella, quæ iamiam in uisceribus Epiri se uisurum non falsus uates ominabatur, externa quærere auxilia statuit, quo & securius rebus consuleret suis, & iminentis impetum procellæ multis adiuuantibus propulsaret. Primum igitur omnium ineundam societatẽ, & genus aliquod perpetui fœderis cum uicinis Principibus regulisq̃, tam Epirotici, q̃ Illyrici generis decreuit, difficilem certe rem aggressus, quũ natura ad dissentiendum q̃ ad conueniendum aptiores sint homines, facillimam uero expertus, ut mox aperuit euentus, & omnis deinde rerum tenor declarauit.

Dictum Fabij Maximi.

Auxilia Scanderbegi in Amurathem.

Consiliũ de iũcundo fœdere cũ uicinis principibus.

rauit. Id autem tũ priuate cum ſingulis per literas, uel nuncios, uel per ſe ipſum commode agi non poterat, pulcherrimum uiſum eſt, ut commune concilium in aliqua Epiri parte omnibus indiceretur, ubi & præſens uirorũ aſpectus, & in medium collatæ ſententiæ expeditius conſultiuſq; quid utile eſſet, quid honeſtum, inuenirẽt, in electione quoq; ipſa loci pari prudentia & moderatione uſus eſt: non enim uel Croiam inuitati fuere Principes, ne magis propriæ q̃ alienæ dignitatis rationem habuiſſe uiderentur, & ſuſpitionis etiam aliqua ſubeſſet cauſa, uel Apolloniam, Daynum, Xabiacum, aut aliquod Epirotici nominis oppidum, ne aut inuidiæ foret, aut aliqua tergiuerſati onis cæteris cauſa, cum uel moleſte quidem in aliena traherentur loca, uel (non indigniora ſua, aut etiam magis digna exiſtimantes quod eſt hominum genus, ſua præ cæteris extollentium) ad aliena accedere loca dedignarentur, Lyſſum oppidũ erat, Aleſſium communiore uocabulo dicimus, duobus & uiginti paulo plus milibus paſſuum à Croia diſtans, inter eam & Scodram urbem ſitum, nõ ineptus ad id negotium uiſus eſt locus, cum ob cõmoditatem ſui, tum ob Venetorum gratiſſimum æquq; omnibus ac acceptiſſimum imperium: illorum enim ditionis id erat oppidum. Miſſi igitur undiq; qui inuitarẽt uiros, & locum diemq; conuenturis prædicerent. Nemo ſelectorum tardatus eſt, nemo quippiam cauſatus, nullum publicum, nullum domeſticum (ut fit) impedimentũ quempiam tenuit, cõtentione quadam omnes & promptiſſimis aduolarunt animis: ſatis efficax id fuit ſignum, quales ſe ad reliquos deinceps belli uſus præſtaturi eſſent, hunc concedant aliquantulum mihi legentium animi, concedat hiſtoriæ grauitas, euagariq; paululum ſinat: Quippe cum nimis curioſe fortaſſe, uelut in albo quodã referre illorũ nomina ſtatuerim, qui id concilium tunc præſentia ſua, ſed longe magis Epiri dignitatem honeſtarunt, ut doleant poſteri, & miretur tam ſubitam Epiroticæ rei calamitatem, & ſordes noſtras, ex illarum rerum imagine commonefacti, licet nihil forſan ab re, uel factum uel dictum uideri debeat, quod patriæ, quod tuis pia ratione & officioſe impendas. Verũ priuſq; eorum referam nomina, qui ad concilium conuenere, non incongruũ mihi uiſum eſt, hoc in loco recenſere, remq; à pleriſq; exoptatam, ueluti ſub oculis ponere, unde ſcilicet origo Epiroticæ ſeu Albanæ gentis exordiũ habuerit. Epirotæ, qui & Albani appellati ſunt, ex Albanis priſcis, & nobilibus olim Italiæ populis, qui Colchidis etiam portionem incoluerunt quandam, originem traxiſſe dicuntur, à quibus ſermonem Albanum, ſeu Epiroticum fluxiſſe (ut mea ſert opinio) non male fortaſſe quis dixerit, quum ibi ſex & decem linguas uigere Strabo referat: de eorum quoq; origine eũ Pius Pontifex, diuini humaniq; iuris peritiſſimus, tum nonnulli recentiorũ, qui Trogum Pompeium ſunt ſecuti, eadem ferè ſenſerunt. Trogus enim Pompeius Albanorũ originem Italicam eſſe dicit, aſſerens Albanos Herculem ex Italia abſcedentem ſecutos fuiſſe, cum is Gerionis armenta in Italiam deducta, in Albano monte

Comitia in Lyſſo oppido.

Lyſſum oppidum ciuiũ Romanorum ab Epidauro centũ mill. paſſuũ Pli. lib. 3. c. 22.

Origo & nomen Albanæ ſeu Epiroticæ gentis.

In Strabone libro 11. legis, linguas habẽt 26.

monte paſcui fertilitate pellectus aliquantiſper habuiſſet. Ab his igitur Albani orti ſunt, quorũ pars hodie in Peloponeſo, pars in Macedonia, ſiue Albania & Epiro ſedet. Horum autem princeps eſt Georgius Scanderbegi, magnanimus & inuictus Princeps, qui multa per ætatem noſtram aduerſus Turcas pro Chriſti nomine prælia geſſit, qui ætatem penè omnem in armis pro fide catholica pugnando cõſumpſit, qui multos & magnos Turcarum exercitus parua etiam manu bello uicit atq; deleuit, cuius conſpectum nunq; ferre Turcarũ acies potuere, qui ſolus quodammodo regionẽ illam in Euangelica Chriſti fide continuit. Sed nunc ad propoſitum noſtra recurrat oratio. Ariãnites Thopia Golemus, ſiue Latiniore uocabulo Commatus, magni uir nominis & autoritatis, tum propter longam generis nobilitatem, tum ob maximam rerum bellicarũ peritiam, & dignitatem præcipuam oris, uultusq;, quod non ultimo loco ſpectat uulgus, inſigni equitũ peditumq; comitatu cõuolans, cæteros omnes præuenit. Hic oppreſſus olim ab Amurathe, tributum ab illo imperatum non negauit, ſed nunc oblata occaſione erectus, animo concepta iampridem odia, & ſeruatos glorioſe ſpiritus egregie deprompſit, ne moq; ardentius ſe aut prò libertate pepigit, aut in caput illorum iurauit, neq; modus deerat ad eam animi cupiditatem explendam, & ſat idoneæ eius uires cum aliis iunctæ, ad reformandam fortunã Epiri uidebantur, quæ ſolæ aliquando integra tyranni bella ſuſtinuiſſent: nam à flumine Aoo, ſiue Aeante, licet ei incolę aliud ſuperindiderint nomen, Vauiſſam appellantes, ad ſinum uſq; Ambratium ferè per omnem maritimam Epiroticæ regionis oram imperium eius extendebatur. Hic eſt ille Ariamnites, qui apud Macedones & Epirotas cognomẽto Magnus & dictus & habitus eſt. Nam magna profecto & præclara in Turcas pro Chriſti fide & Euangelio geſſit, uarias ac ingentes de eis clades, ſtrages q; edidit, & quoad uixit ſemper inſecutus eſt. In Meumethem eorum principem in Epirum irruentem irruit, quem fœdauit atq; afflixit. Nam eius caſtra aggreſſus ſignis regiis uexillis, atq; tabernaculo ablato priuauit, illum q; è prouincia & regione ſummo cum dedecore, clade, & ignominia abſcedere cõpulit. Secutus eſt eum Andreas Thopia, clarus uir genere, factisq;, nec minus ætate uerendus, cũ duobus filiis, Comino, & Muſachio, Tanuſioq; nepote, quorum maiores fundatores Croiæ & Petrellæ fuiſſe diximus. Horum quoq; non pœnitendę uires, & ſat amplum imperiũ in Epiro inter Tyram minorem & Epidamum fuit, tamen præter eorũ locorũ dominium, quę abolitis penitus antiquis nominibus, Scuria, Muſachiema, Cherabi, Farca uocant Accolæ, Cimeræ, Vlixeæ, imperio noti erant principes. Montanus is eſt locus, Corcyræ oppoſitus. Indomita gens habitat, feroxq;, ne bellicoſa dicam, Cimerotas uulgo dicimus, nullius rei, artiſue auxilio, præterq; naturæ, & locorum munimento tuti. Inſolentiam Turcarum poſt ſubactam Epirum, mortuo Scanderbego ſemper fœliciter contempſere, & egregia quadã libertate naturę, ignari alieni

Georgius Scanderbeg.

Ariãnites Thopia Golemus.

Aous Aeas dictus à quibusdã Pli. lib. 3. cap. 23 Strabo lib. 7.

Andreas Thopia.

imperij uſq; ad hæc tempora uixere, nunc (ut audio) ultro accerſitis ex Apulia Hiſpanorum præſidijs ſignisq;, & ducem norunt, & policiorem formulam uiuendi accepere. Inter eos & Georgius Streſius nepos uenit, Balſæ filius, Iohannes & Boicus fratres domum relicti, nondum ætatis gratia, uel ad conſultandum, uel belligerandum idonei: horum ſedes intra Croiam & Lyſſum tam amplæ q̃ amœnę erãt. Ex Muſachijs quoq; plures affuere, id nomen eſt genti: his ſicut idem uoluntatis, idem etiã habitus animorum erat cum Scanderbego, ita neq; imperium ab illo ulla ex parte ſeparatum, diſtinctumúe habebant. Quinetiam magnanimi præſto fuere principes Nicolaus, & Paulus Ducaginus, ſpectatis armis ambo, ſed eximio quodam præ cæteris religionis cultu notior Paulus, qui agrum ultra Drinum flumen, Xadrimam ſuperiorem appellant Epiroté, uſq; in ſuperiorem Myſiam poſſidebant, regionem amplam, & frugibus fœcundam, fontibusq; ac riuulis ſaluberrimis irriguam, & ferocißimis inhabitatam uiris: ibi multa uetuſtatis ueſtigia uiſuntur, oppida, ędificia, templaq; notiſſima Dei, proſtrata nunc undiq; & diruta ante oculos iacent multa, quin etiam in eo tractu marmorea uiſuntur monumenta, in quibus pleraq; Romanorum & aliorum Imperatorum nomina licet intueri: inter hæc & ueſtigia quædam, quibus ſatis percipitur, Paulũ Apoſtolum ibidem fidem Chriſti populis annunciaſſe. Acceſſit & Lucas Zacharias, quo nemo unquam impenſius, eodem fidei & beneuolentiæ tenore, Scanderbegi partes eſt ſecutus. Hic licet latiori dignus imperio, tamen ſatis amplam Xadrimæ partem ſuperioris, necnon Dayni oppidum à maioribus ſuis & conditum, & per manus ſibi traditũ tenebat. Puſilla ciuitas eſt in edito monte, prout omnes ferè urbes Epiri, ſita, agrũ tamen habet campeſtrem uberem, ſaluberrimumq;, uenationibus, apiũ, ac omni frugum & arborũ genere refertũ. Amœniſſimus amnis Drino à parte, qua occidentẽ ſpectat, eam alluit, quę ita contentione quadam uetcres celebrarũt ſcriptores, ut uix loci quippiam ad dicendũ relictũ uidea tur poſteris. Tamẽ quia multa ad hunc uſq; diẽ ex ueteri rerũ facie (ut fit) immutata ſunt, nõ malum erit fortaſſe, ſi ipſe aliquid etiam hodie dixero. Epirum à Dalmatia atq; Illyrico, ut nonnulli uoluere, diſterminat amnis Drino, & haud multũ Eridano magnitudine inferior exordium ſumit à Macedonicis populis ſeptentrionali plaga, Lyſſiq; urbẽ celeri curſu prętterfluens, in ſinu Rizico iuxta Acroliſſum mari Adriatico ſeſe immiſcet, ubi & inſulam facit, cuius ambitus ſeptem millia paſſuum complet, hac tempeſtate Lyſſi nomen retinens, eò q; ueteri oppido, quod in ulteriori fluminis ripa poſitum erat, à Turcis incenſo, multitudo illuc confugiens domicilium perpetuum ſibi tanq; tutiore loco fixit, & nomen ipſum urbis ad inſulam tranſtulit. Aderat præterea tam fœlix pater, quàm fortunatus princeps Petrus Hiſpanus, cum Alexio, Boſdario, Vruoo, & Mirco, filijs ferè inter ſe ęqualibus, & pari figura corporũ, ac indole animorũ q; ſimiles, Leccasq; deinceps Duſmanus cum Petro, & alij reguli uicini, quibus

Georgius Streſius.

Poſt ſinũ Rhizicum, Liſſus oppidum eſt et Acroliſſus & Epidamnus. Strabo lib. 7.

Plinius habet Drinus lib. 3. cap. 26.

Paulus in Epiro Chriſtum annunciat.

Lucas Zacharias.

Daynum oppidum.

Pli. lib. 3. cap. 22. Amnis Drilo ſuperq; cum oppidum ciuitũ Kom-Scodra à mari 18. miliũ paſſuum.

Petrus Hiſpanus.

Leccas.

quibus Peones, Pelagonesq; ſuperiores uſq; in Myſſiam Sardonici, & oppidula quædam, ac loca circa Driuaſtum & Baleſium parebant. Progrediebatur non longe poſt hos Stephanus Zernouichius, cum Georgio & Iohanne filijs tanto patre nihil indignis, qui in Illyrico ſiue Liburnia ad ripas lacus Xabiacum & Falconem munitiſſima oppida cũ agro latiſſimo poſſidebat, non defuere Chriſtianiſſimi & inuictiſſimi Principes Veneti, quorum tunc imperio (ut de Scodra mea taceam) pleraq; haud ignobilia oppida, & non minima Epiri pars poterat gloriari. Traxit poſtremo ea conſultatio alios principes iuuentutis, qui tum propria, tum communi cauſa operam ſuam contra Turcas pro publica ſalute & dignitate fortiſſime ſunt polliciti. Nunc ad Scanderbegi orationem me conuerto, qui poſtq; omnes, qui ad concilium euocati, in templo maiori in unum congregati ſunt, ſic orſus eſt:

Adhortatio Scanderbegi ad uniuerſum Concilium, pro tuenda orthodoxa fidei.

Vtinam, Patres & Principes optimi, aliquis ſit credendi finis Chriſtianis noſtris, & Ottomanę nos fidei ſatietas tandẽ aliqua teneat, immo perfidia plusquàm punica palam fiat. Neq; enim ego hodie quietum patriæ ſtatũ inuiſus fortaſſe noui belli autor turbarem, & uos ad haſce belli incommoditates, & maximarum rerum pericula ſollicitarem, niſi Iohannes Caſtriotus pater ille meus, Princeps alioqui prudentiſſimus, tantum olim perfido huic Amurathi fidei habuiſſet, dum funeſtę pacis prętextu, uelut certa pignora obſides ab eo filios non difficilius quàm petierat, impetraſſet. Sed quid de parente meo diutius conqueror? Communis eſt hic error. Commune fatum omnium Chriſtianorũ Principum. Quid de Greco dicam? quid de Myſorum & aliorum deinceps Chriſtianorũ imperio? Omnes profecto nimia iſta credendi facilitas perdidit, nihilq; iam illis à perfido Ottomano relictũ eſt, niſi ut tantũ eos pœnitere poſſit. Quare nihil eſt Patr. Con. quod uobis in hac parte orationis à me dici poſſit, quũ ſatis alieno malo utili exemplo edocti eſſe debueritis. Dum tamen hæc cõqueror, & Ottomanas ipſe fraudes mecũ diligentius repeto, & ante oculos pono, pariterq; uos intueor, prudentiam æque & concordiam ſpecto, illud me maxime cõfirmat, & bono iubet eſſe animo, quod uix ullam ab eo gentem, prętereq; dolis & inſidijs ſubactã, uel ſua ipſa credulitate, & domeſticis euerſam ſimultatibus cerno. Age tamen dicat quiſpiam, multa quoq; ab Ottomano uirtute parta, innumeras prouincias plura hac ętate imperia armis eius ſub iugo miſſa, numeret longos triumphos, irrupit ferox in Aſiam, percurrit nõ ſemel Greciam, Myſiamq; incruentus toties penetrauit, ſic ne igitur indomitã Albaniam inuictã Epirum iniuriæ illius opportunam putauerimus? ubi tot duces, tot principes inuictiſſimi, tot bellicoſiſſimi populi unà concordes uigent in armis, quanti enim faciant barbari, uirtutiq; ueſtræ tribuant, huiuſce rei certiſſimum ipſe teſtimonium afferre poſſum, qui cum illis domi militięq; plures annos traduxi, inuiti, coactiq; cõtra uos bellandi neceſſitatem omnẽ ſubeũt: inuitus uero atq; timidus animus quid boni, quid magni gerere

A perfidia Turcica.

Ab alieno exemplo.

A fucceſſu Turcæ per dolos & infidias.

A fortitudine Epirenſium heroum.

possit, dicat mihi strenuus atq; optimus miles. Sed dū me cupiditas ista dicendi, & iusti doloris causa longius protrahit, non defuturos multos fateor, qui doleant, quod se tamdiu paci, licet non omnino honestæ assuetos, nunc ad hęc belli incommoda euocem, dicantq;, quencunq; euentū paret fortuna, nihil tamen posse sine cruore suo expediri. Dolebunt idem tidem matres, filios in belli discrimina missuræ, conquerentur uxores de uirorum salute sollicitæ, & orbitatem sibi timentes paruuli domi relicti liberi. Appellabunt me omnes fortasse crudelem, & detestabuntur (quod ominari horret animus) nouum belli periculorum, & sanguinis auctorem, quanq; libertatis potius (absit uerbo temeritas) assertorem & conciliatorem uocare deberent. Vix suppetit oratio mihi ad eam legitimam & iustam defensionem, auertat hoc tamē Deus optimus maximus: non est ita publici boni oblitus animus, ut unus tot uestras undiq; querelas audire, tot communia omnium mala unus uidere possim, quin si mei alicuius consilij pœnitet, P. C. neq; è Repub. & ex omnium dignitate hæc belli capiendi à me ostensa occasio uidetur, & Croiam sum Amurathi (si ita conducibilius uidetur uobis) & hasce omnes infœlicis regni reliquias mox restituturus, priuatoq; periculo saluti prospecturus meę potius, quā regnaturus publico uestrum. Illud unum tantum subditi mihi populi, & innoxij ciuium sanguinis uicem doleo, quos sine duce, sine tutore, uelut uictimas hosti offerri nō patitur animus haud immemor fidei illius, quā nuper in me sibi restituendo omni ætati testatam reliquerunt. Sed quid per Deos immortales (ut uobiscū iam liberius loquar.) An igitur ęquū erat ciuem uestrum à patria semper extorrem in seruitute apud Amurathem inter tot pericula in damnata religione degere, potius q̄ in Epiro in natali solo apud Christianos, apud uos, quicquid ętatis erat reliquum exoluere debuisse? An in Epiro pręterea esse, & Auorum sedes, paternū imperium, sepulchra, templa, Deos ipsos in barbarorum potestate per omnem fœditatem & ignominiam aspicere diutius potuisse? Quid de Croia demum (ut nulla sit patriæ pietas) an urbs tam munita, tā opibus clara ualidissimaq; in hostium manu relinquenda fuit? Cor Albani imperij, & una ad omnes bellorum & pacis commoditates à maioribus nostris condita, negare istud quidem (ni nimis ipse blandior mihi) uix potestis, Patres Iustissimi. Mitius tamen cum Amurathe agi potuisse quispiam dixerit, non ita iritandum barbarum, non per tot scelera uel patriam recuperandam fuisse, si modo scelus id potius, quàm necessaria uitę defensio appellanda sit, quæ non homini solum iure gentium, uerū brutis animalibus lege ipsa naturæ est cōcessa, si tamē scelus hoc appellamus. Quid de tot eius in me odijs, tot simultatibus dicendum erit? Quid de insidijs illis? quæ non solum uobis, sed uniuerso fermè terrarum orbi uulgatæ, uel cruentissimo hosti aliquid potuissent lachrymarum elicere. Quid demum de miserabili fratrum meorum cæde? quos omnes eodem fermè temporis momento apud eum funesto fato absumptos his oculis uidi.

Confutat argumēta detrectantium bellum in Turcā.

A publica utilitate.

A religione.

A patriæ pietate.

Croia cor Albani imperij.

A crudelitate hostis.

Parum

Parum ne hoc igitur (proh dolor) meme ad hunc usq; diem imbutas sanguine meorum manus aspicere potuisse, & apud homicidam impiū tam certo uitę periculo omnes fermè dulcioris ætatis annos transegisse? Sed quid in his immoror? Ostendet propediem omnia an probe, an impro be facta, euentus belli iustus iudex: unum illud polliceri ausim omnibus, uos militem me uel ducem inuicta patiētia ad omnes labores subeundos, ad quęq; obeunda pericula habituros, non dies, non noctes, non aliquo tempore, uestrę pariter & Christianæ rei sum defuturus: & quamuis animi hanc mei cupiditatem uirtus, & rerum gerendarum gloria ęquare nō poterit, æquabit certe diligentia, & fides singularis longeq; superabit, tamen nō pœnitendum saltem in eo consilium nostrum esse poterit: nam quū hostis ingenium, artes, dolos, moresq; deinceps omnes (quod maximum censeri solet in rebus bellicis) tā diutino uitæ usu optime norim, nihil incaute sum, nihil temere, nihil nō considerate acturus, ni fatum aliquod urgeat, quod nulla uis humana uincere potest. Cur autem hæc leuia commemoro? quum maiora uel maxima planè omnia belli huiusce fomenta Deus uobis optimus dederit. Habetis uobiscum Senatum, populumq; Venetum, unicum Christianæ fidei columen, terra, mariq; hac ætate longe potentissimum, & qui cum omni hominum memoria triumphos suos comparare, & de uniuerso laudis genere certare queat. Habetis hosce principes eius Reipub. non minimam partem, qui tum sua, tum patrum uoluntate, atq; decreto, nobis omnia (quid nobis? Christianæ certe Reipub.) pollicentur, iustissimum bellum non recusant, grauibus & ipsi à perfido barbaro iniurijs lacessiti. Timendum ne quicquā est his ducibus, his autoribus? Quid amplius, quæso Albani principes, à Dijs immortalibus petere potestis? Pudeat iam nos (si Dijs placet) fortunæ nostræ, turpe tum nobis, tum Veneto nomini turpissimum, eos diutius (ita me mala nostra dicere cogunt) dominos ferre, quos patrum nostrorum memoria infamis ille Scythiæ uicus uix seruos perferre poterat, quibus nihil contemptius fuit, & latrocinijs tantum, ac rapto uiuere assueti eó creuerunt hodie, ut extrema quæq; nomini Christiano audeant minitari. Dies me deficeret, si omnia enumerare uellem: pudet hostis humilitatem referre, cū quo bellum gerendum sit uobis. Agite dum igitur principes, patriam, uxores, liberos, fortunasq; uestras per summam gloriam uobis uendicate, defendite, & ad ueram libertatis tranquillitatem reuocate. Ecquid sentitis, in quanto contemptu uiuatis? Qui libertati idem, & uobis finis sit. Si tamen tolerabilis uidetur fortuna uestra, sumite pro me arma iustissima, non Albano, non principis filio, non consanguineo uestro, sed Christiano, sed transfuga. Nō loquor apud recusantes iusta bella, Principes, defendite eum, quem Iohannes Castriotus princeps ille, de uobis non male meritus, fidei uirtuti q̄ uestræ si posset, cōmendaret. Sed si adhuc nihil uos mouet fortuna mea, & uel ignominiosam pacem huic bello præponitis, ad gentis ipse meæ, populorū, & ciuium fidem confu-

Euentus belli iustus iudex.

A fide Scanderbegi & diligentia.

A præsidio Dei.

Senatus populusq; Venetus.

Ab auxiliarijs potentiss.

ab hostis humilitate.

A libertate patriæ, uxoris, liberorum &c.

A meritis Iohānis Castrioti.

giam, quancunq; dederit ſortem fortuna unà cum illis æquo animo ſubi
turus, qui tam magno æque ac grato animo ſuam ſalutem pro mea ſalute
deuouerunt. Defenſuri tamen (ut arbitror) & uos eſtis P.C. Ad quid
enim iſtuc conuocati tanto ardore conueniſtis, niſi ad bellum, quum nul
Ab hypotypoſi hoſtilium ſpiritum. lus alius uobis mei uſus eſſe poſſit, niſi in bello ſit? Cæterũ uideo iam ita
omnium animos concitatos, & in cõcitatis animis hoſtiles ſpiritus. Con
templor ſuperbos uultus, ut armatos iamiam aſpicere uidear mihi. De
fendetis inquam uel inuiti, quum ſolum ab Amurathe oppreſſum auxi
lium ueſtrum implorans audieritis, quum hoſtem impatientem, ac uicto
ria elatum, libertatẽ atq; imperia ueſtra euertentem, & rabido cruentoq;
ore, pollutis atq; ſacrilegis manibus ad ſanguinem ueſtrum hauriendum
proruentem uideritis. Non expectetis tamen (obteſtor) eas rerum diffi
cultates, non expectetis quouſq; ſerum forſan iſtud à uobis auxilium pe
tatur. Sed nunc nunc uires uiribus, arma armis conferentes, uel expecte
mus quamprimum erupturum hoſtem, uel in eum ultro irruamus, quũ
coniunctos uiderit, uel pœnitebit eum conſilij ſui, uel ſi ire perget luctuo
Ab extenuatione potentiæ Turcicæ. ſam fortaſſe uincendi cupiditatẽ malo ſuo eſt depoſiturus. Timet adhuc
forſan quiſpiam ueſtrum, & in ancipiti ſententia nutat animus, non unũ,
neq; debilem aduerſus nos Amurathem exercitum miſſurum, ſed & plu
res & ualidiſſimos, uel ipſum forſan uenturum ad eam iniuriæ atrocitatẽ
ulciſcendam: parem autem non eſſe exercitum noſtrum aduerſus eas ui
res. Fateor iſta omnia quidem, & libenter fateor, magna tamẽ omnia ani
mus meus præſagit, ſed uereor ſpondere quippiam incertis animis, quũ
futura in oculto ſint, & omnis lateat euentus. Quod uero ad humanum
ingenium & conſilium attinet, promptum uobis rerum omnium reme
dium oſtendam, quippe quum nihil tam difficile ſit, quod non hominis
A natura iuſti belli. conſilio expediri poſſit. Ingenioſa eſt ad ſui tutelam natura, & quicquid
iuſte geritur, fœlices ſortiri ſolet euentus. Sed quid hoc pacto difficulta
tem augeo? Nonne (ut de armis taceam) ſitus ipſe locorum, & Macedo
A ſitu Macedo niæ tutiſſimo. niæ ſuapte natura tutiſſima regio, uos ſatis aduerſus quoscq; impetus tu
tabitur, qua nihil ad propulſandam iniuriam omnem aptius, nihil com
modius eſſe poteſt. Nonne præterea loca ſingula, oppidaq;, ante hoſtis
aduentum muniri poterunt uiris, armis, commeatu? Quid ipſe poſtre
mo cum exercitu à uobis commiſſo, intra muros ne & rectis incluſus eo
modo oportunam calamitati prouinciam relinquam? & agrorũ ueſtro
rum direptiones, uillarũ incendia, & publica id genus mala ex tuto loco,
& alta aliqua turri, cum pueris ueſtris degener aſpiciam? Non patietur
quidem animus tantæ ignauiæ ſibi eſſe neſcius. Adero ſemper in hoſtis
conſpectu, cum copijs, cũ militibus meis, & licet non iuſto prælio, & aper
ta ui impetus eius periculo ultimo tentaturus. Ita tamen utiliori alio mili
tiæ genere, & incruentis fortaſſe legionibus meis Amurathis uires pari
ter & animos propitijs Dijs frangam, ut relictis poſthac omnibus, uaſa
rijsq; (ut aiunt) abiectis, omnẽ uobis prædã ſit relicturus, niſi malucrit in
hoſtili

hoſtili ſolo & alienis campis exercitum ſuum in tantis rerũ omnium in
commodis conſeneſcere, & obſeſſo cẽq; obſidenti ſimilior eſſe. Vobis ni
hil quicq; defuturũ eſt, ipſe enim ſemper in oculis ueſtris ero, omnia obi
bo, ſingula peragam, quæ ad oppidanorũ & exercitus mihi traditi uitam
non ſuſtentandam, ſed laute quoq; alendam facere uidebuntur. Sed cur
tantũ uobis me oſtento hodie? & ſuperbas minas iſtas, fortia dicta, ac fe
roces impetus non hoſti potius ſeruo? Quid item de Amurathe nunc ti
midis mẽtibus obloquimur? Nihil eſt quod de aduẽtu eius terreamur,
ſatis de hoc ſum ipſe à domeſticis eius tum in recenti illo rerum mearũ tu
multu, tum proximis diebus admonitus, ita barbarorum quoq; animos
mihi adhuc cõciliata iampridem beniuolentia, & iuſtior cauſa ſeruat, in
gentem tamen exercitum aduerſus nos, ſi quo intentius fieri poſſit, para
ri quotidie, tum fama ipſa, tum omniũ ſermones affirmant. Quare tollen *A fugienda mora.*
da eſt omnis mora, P.C. abijciendæ iam noſtræ iſtæ conſultationes, quas
bellorũ neceſſitates expectare non poſſunt, peragenda omnis prouincia,
edictum proponendũ, percenſenda capita, exercitus impigre ſcribẽdus,
ne quũ hoſtis in conſpectu erit, & tubarum clangor ad milites euocan
dos auribus obſtrepet, nos tum ſera belli cõſilia quæramus. Surgite iam
igitur Patres inuictiſſimi, dignos tandem iuuantibus Dijs, uos Chriſtia *A debito.*
no imperio omni deinceps futuræ ætati oſtendite, gratiarum tamen à me
actiones pro hodierno beneficio armati ſub galeis ante ſigna in ſudore
in puluere expectate, tales deniq; habituri, qualia belli præſidia dederitis.

Poſtquam dicendi finem Scanderbeg fecit, Principes omnes in eum, *Scanderbeg cõſtituitur Imperator et dux belli.*
ut libertatis, & totius gloriæ autorẽ, uerſi, ex omni parte uno ore, claraq;
uoce ſententiam eius cõprobantes, maximis laudibus efferebant. Singuli
itaq; ultro iuribus ſuis, populis, armis ei cõmiſſis, ac uelut per manus tra
ditis, totiusq; rei ſumma ac belli cura demandata, unum ſibi imperatorẽ
illum atq; ducem elegerunt. Ad unum cuncti eos imperij faſces ingenti
fauore & clamore ſatis idoneũ rati, cuius uel nomine ſolo tanq; fulgure
quodam omnis Macedoniæ angulus aduerſus quoſcq; hoſtium impetus
defendi poſſet. Adhæc & illa rerum bellicarũ peritia, & imperatoria con
ſilia omnia, longus præterea cum barbaris morum, ac uitæ uſus, & diuti
na conſuetudine, experientiaq; iudicium firmatum, animos omnium cer
tiore ſpe uictoriæ accendebãt. Sed & illud poſt multa promiſſa, oblatio
nesq; maximum fuit, quod Ariamnites ſurgens primus omnium, quũ *Ariãnites dat tributum Scanderbego.*
multo decore uerborum, & Iohannis patris imperium, & inſtitutum filij
ac fœlicia tum uirtutis, tum fortunæ auſpicia laudaſſet, tributũ annuum
ei inſigni & prompto animo obtulit, quod accepit: hucuſq; inquiẽs Amu
rathes, dum funeſtiſtimis ipſe armis ignominioſam pacem præpono, &
fœdam libertatẽ cẽq; infœlix bellum malo. Accipe tu approbantibus Dijs
hominibusq; macte uirtute uir, accipe hoc non ingrati ſaltem, ſi non ma
gnifici animi pignus, quod pro Epirotica, pro mea libertate, dignitate,
imperio, liberis, populis tuendis ultro decerno tibi. Licet cõmunia iam

tibi mecum esse uelim milites, arma, equos, & quicquid aliud uel fortuna mihi, uel pertinax uirtus ab impio hoste seruauit, Sed hoc non pacis, non belli discrimine habito statuimus tibi inuictissime (ut hoc te primus nomine appellem) Albanorum princeps, ac uindex libertatis, tum alij plures ęmulatione quadã satis ampla tributa pro habitu fortunarũ sibi ipsi imperarũt. Andreas cũ Tanusio nepote insigni liberalitate nemini cessit, magna uis pecunię hoc modo ad belli usus inuenta, hinc forte fama diuulgatum est, Scanderbegi prouentus in Epiro ducenta annua aureorũ millia excessisse: nam licet latius imperiũ cęp alius princeps possideret in prouincia, tñ nimis onerosum fuisse subditis fatendum esset, si eam summã à suis tantummodo exegerit populis, ardentibus quotidie omnibus bello, & uiris altera manu (ut sic dicã) colentibus agros, altera ferrum tenentibus, ni in salinis forsan magnum huius rei momentum fuerit, quas longe pulcherrimas habebat, in loco qui Campupescupi dicitur, inter montẽ, & locum cui Selita nomen est ex altera parte, ex altera sanctũ Nicolaum à petra notissima tellus, uel infamis potius Senatus olim Romani obsidione, atcp fortuna. Reliqui quibus nõ ea uis erat, nõ facultas ut tributorũ onera subirent, corpora ipsa, & perpetuam operam uoluntarij spopondere. Venetorum magnificentia non annua tributa cum ceteris, sed quotidiana fomenta & pręsidia, satis & fortunę, & dignitatis suę memor, nõ recusauit. Quũ igitur omni genere laudis atcp officiorũ alius alium superare cõtendentes, hominẽ sibi deuicissent, mox diuinis supplicationibus ad icti robur fœderis, ac tam insignis societatis ornamentũ peractis, pars Croiam cũ ipso petijt. Alij in loca quisq; sua ingenti gaudio, spe ingentio re sunt dilapsi. Moses primus omnium cũ prędio de finibus Croiam reuocatus, relicta tantũ prędexigua manu, & per iuga quędã dispositа, quæ custodias ageret, uenit. Quincp paulo plus hominũ millia in eo prædio erãt. Nam proficiscens inde Castriotus ad conciliũ, multos domũ dimiserat, tũ edictũ impigre propositũ, & missi plures ex proceribus ad delectũ habendũ. Sed necp Amurathes cõcitatis iampridẽ suorũ animis ocia dulcebat. Deeratúe ulla ex parte in omnibus peragẽdis, quę ad eã belli materiam tantis odijs animisq; conceptã facere uidebantur. Coactoq; exercitu xl. milliũ lectissimorũ equitũ, Alybassam unũ ex prędectis suis strenuũ & armis & cõsilio uirũ, ac multis ea ętate apud barbaros bellorũ titulis insignẽ ad id muneris ducẽ elegerat. Necp difficilẽ futurã uictoriã, tum copiarũ robur, tũ imperatoris uirtus sperare faciebat. Iam his ubicp rumor erat, ea Turcarũ spes cogitatioq;, ut captũ crederes Scanderbegũ, suplicium de eo sumi diceres, uelut in obsessa quãdoq;, nec dũ capta urbe, temeraria, & prępostera militum cõsilia prędã sibi nec cruentã futurã uictoriã promittunt, ac spolia diuidunt iam cõtentione quadã inter sese id agẽtes. Ita sunt humana ingenia secum tantum colloqui assueta, & ad maxima quęcp spondenda sibi nimio plus facilia, & prona. Itacp in Epiro etiã iam omnia uario tumultu misceri, & maximi quidam rerum motus instare uidebantur

Scanderbegus albanorũ princeps, uindex libertatis.

Prouentus Scanderbegi in Epiro.

Salinæ in Campupescupi.

Selita Selitæ populi. Plin. lib 4. cap. 11.

Timor in Epiro propter Turcas

uidebantur. Fama præterea de Alybassę aduentu omnia adhuc in maius uero extulerat, timor quidam nouus ac insuetus multorum occupauerat animos, & uana etiam quędam trepidis credere & uereri suadebat. Agrestes passim cum pecoribus ad urbes uicinas confugere, Oppidani muros munire, ac pro portis, tancp uisus esset hostis, excubare: senes ubicp trepidi, patriam, uxores, liberos, Deos ipsos cõmemorantes, iuniorum uirtutem appellabant, accendebantcp: mulieres quoq; quas publicus pauor per uicos omnes extractas armatis immiscuerat uiris, quæ nunc suorum animos miserabili ac iusto fletu excitantes, nunc per templa & delubra sollicitæ aris omnibus patriæ salutem commendabant, stupentibus etiam ad parentum lachrymas, unacp plorantibus paruulis filijs. Scanderbegum uerò unum necp auditus Alybassæ aduentus, & hostilis fama exercitus, necp uulgatus suorum timor ulla ex parte mouebat, ut nedum periculum ullum, sed uel periculi suspicionem maiorem crederet, quam semel animo induxisset. Ridebat autem tum hostis uanos conatus, tum uaniorem suorum trepidationem. Itacp quum omnia prius prudentissime per uniuersam prouinciam dispositissent, ne nimia hostis contemnendi licentia suorum ingenia ab ea belli cura laxaret, auerteretcp, multis tum dictis, tum factis omnium animos tanta fiducia erexit, specp uictoriæ accendit, ut nihil unquam desiderio maiore, quàm hostis aduentum expectare sint uisi, ut quisq; certatim enixam fortitudinis præliando ostenderet operam, fidemcp principi suo tum priuato, tum publico merito modis omnibus testatam relinqueret. Fuit & illud longe maximum in eo inuicti animi, atcp admirandæ fiducię exemplum, quod & singulorum in se oculos ingenti admiratione conuertit, & Alybassam quoq; ipsum, si id Scanderbegi factum contemplari potuisset, tam ingentem ducis fiduciã maxime admiraturum crediderim: nam quum tot ad eum gentes & populi ferocissimi undicp aduolassent, ut non unus, nec ignobilis exercitus confici posset, & ante oculos eius starent, iussa tantummodo expectantes & petentes arma, ille omnium animis q; æque collaudatis, lectissimorum hominum opera accepta, & octo tantummodo equitum, septem peditũ millibus secũ manere iussis, alios tam ex ueteri prædio, cp nouo delectu domos remisit, ex quibus etiam nonnullos ad diuersas belli necessitates per loca quędam disposuit: mirati sunt omnes tam audax consilium uiri. Sed pũto præclarum, & expertum bellis ducem cogitasse: Si uictus aduersis Dijs cum ampliore exercitu fuisset, non ita se idoneum postea ad reparandas uires, & instaurandas nouas copias futurũ, & ideo dispositа credo pluribus locis præsidia ab eo fuisse, ac uelut seruata subsidia quædam, ut aliquid esset reliquiarum, quod & fortunam recuperare, & incautę alioquin propter rem bene gestam hosti uictoriam extorquere posset, licet nihil tale ipse dicere sit auditus, sed prędaro, eodemcp oris habitu, & uocis sono certam quasi uictoriã, & expedita ex animo omnia polliceri. Itacp non unicam illam rationẽ credo fuisse, cur ampliores nõ sint retentę copiæ

Timor in Epiro propter Turcas.

Scanderbegi magnanimitas et confidẽtia.

Exemplum inuicti animi et admirandæ fiduciæ ducis.

Exercitus cõstans octo equitum et septem peditũ milibus

copię, ut aliquid ſcilicet ſpei, ſi quid durius incidiſſet, in reſtituenda fortu na eſſet, ſed egregiam quandam ac mirabilem propè hominis fiduciam, id quod uidere etiã ſæpenumero licet in magnis præſertim ingenijs, quę raro admodum fefellit fortuna, & hoc laudant potiſſimum & admirantur homines in Scanderbego, quod toties, ac ferè ſemper cũ minoribus longo interuallo copijs tot incredibiles penè ex hoſte tulerit uictorias, unde ipſe plerunq; nõ ſine hæſitatione quadam multa ad poſteros tranſmitto prius ferè q̃ illa ad animum admiſerim meum. Cæterum non iniquum fortaſſe credere, quod & ſeculis noſtris natura aliquid cõceſſerit, ut & ipſi haberemus quod miraremur, age nanq; potiſſimum huius uirtutis & fortunę exemplar, Huniadem ante oculos noſtros ponamus, qui toties Turcarum uires fermè ſolus contudit, & ſępius uictor cum paucis euaſit, q̃ cum pluribus alij exceſſere. Sed omittamus tam ſollicite fidem nobis ad hanc rem ambire, præſertim quod tam recentia, & quæ penè uidimus ipſi, negare niſi impudenter non poſſimus. Caſtriotus ubi ſinguli nomina dedere, percenſito, perluſtratoq; exercitu, mouens ſigna multis remanentium ſupplicationibus, uotis q̃ populi in diſcedentes nuncupatis Croiam reliquit, & non procul à Dibra inferiore inhibitis uexillis, quũ aduentare hoſtem magis magisq; audiret, imperato per præconẽ ſilentio, nouus Imperator nouos milites nõ iniuria alloquẽdos eſſe duxit.

Huniades Turcarum uictor.

Oratio noui Imperatoris Scanderbegi ad Albanum militem.

Vellem milites fœlicioribus meis rebus, atq; meliori imperij tempore & uos me ducem nacti eſſetis, & ipſe hoc tam præclaro fidei ueſtrę ſpectaculo perfrui poſſem, quippe quum nec tanta ſingulis hodie uerecundia obſtrictus uos ad hæc noua belli incommoda, cæteraq; id genus mala in uitarem, & gratiſſimus nũc ciuibus in quiete & ocio gratias agerẽ, quas olim cruentiſſimis militibus non incruentus dux pro ſudore, pro periculis, pro hoſti dando ſanguine referẽdas præparaui. At quando ita urgentibus fatis mea tulit fortuna, ut neceſſitatis ſim uobis index, & periculorũ magis q̃ ocij autor, ferenda omnia ſunt uel æquo, uel forti animo, & ſubeunda quantalibet belli huiuſce magnitudo, ut in pace aliquando & ocio uiuere poſſimus, ſumenda libenter & propere arma, ut præciſis tandem tam diutinæ ſeruitutis nexibus, fugatoq; ex ueſtibulis hoſte, fœliciorem poſthac degamus uitam, & imperpetuũ libertate fruamur. Sed dum uos alloquor nunc, intueor, omnium in me animos pertracto, ſingulorũ beneficia ſpecto, uix ipſe mei compos, nunc doleo, & lachrymis fermè temperare non poſſum, quum ſubit recordatio miſerrimi temporis illius, quod apud Amurathem impium longo à uobis, longo ab oculis ueſtris interuallo ſeiunctus, per omnem indignitatẽ & iniuriam pertraxi, nunc ſeruitutem ipſe meam, nunc omnes ætatis annos recolo, pariterq; deploro, quum metior ex habitu animorum ueſtrorum, quis libertatis, qualis imperij mei ſtatus apud uos fuiſſet, atq; nunc, nunc planè ſentio, & barbari maleficia, & omnem malorum meorum ſeriem, quotq; amiſerim bona, priuatus tamdiu dulciſſimorũ ciuium conſuetudine. Ex altera tamen parte,

A neceßitate.

Bellum ſuſcipitur pacis gratia.

A fine ſuſcepti belli.

A calamitate anteacti temporis.

parte, quum me diligentius colligo, & tacitus ipſe mecum nunc huius exercitus formam contemplor, omnia æquo animo fero milites, neq; fortunę iam meæ, neq; tot perfunctorum malorum, neq; longiſſimæ pœnitet ſeruitutis, quando nunc ex ea tot bonorum, & perpetuę forſan nobis libertatis occaſio eſt oblata, quando (ut cætera taceam) tam ſpecioſæ fidei ueſtræ agnoſcendæ conceſſa mihi eſt cauſa. Quid enim perferendũ non fuit, ut tot nunc ardores ueſtros ſpectarem, tot in me uobis reſtituendo uota audirem, totius denicq; Epiri florem ante oculos hodie haberem, arma tantummodo petentem, & pro me attrectantem? Quid illo ſpectaculo pulchrius? Omne Epiroticum nomen, & tot Venetos Senatores, ac Senatorum filios ad hanc fortunam meam, uelut ad communem periculi ſortem conuocatos fuiſſe, præſto uidiſſe, quod non Iohanni Caſtrioto parenti meo illi, animis ueſtris tam acceptiſſimo, non ulli (ut ita dicam) hac ætate Principi contigit. Et ut ad uos iterum noſtra ſe conuertat oratio, quid illud rei nouæ miraculum, totam fermè Macedoniam uacuam uidiſſe? dum ex omni parte uoluntarij ad me milites cõcurritis, & cõtentione quadam, arma quiſq; bellum q̃ poſcitis, ut nemo patriæ, nemo magis ſuorum deſiderio tangeretur, ita me defenſo unà domos, focos, uxores, liberos, Deos ipſos defendiſſe uidemini: approbet cõſilia ueſtra Deus optimus maximus. Quod igitur ad uos hortandos dicendum erat, nihil eſt quod à me agi poſſit, quũ & ita animatos uideam, & uerba fortiſſimis uiris uirtutem non addant: quid præterea armatis uobis, ferrumq; tenentibus, armatus & ipſe dixerim, ſatis ſcire debetis, & hoſtis uos admonet, quem iamiam in conſpectũ habetis: admonent tot rerũ indignitates, & armant omnes, ſingulosq;, tũ priuata, tum publica ira. Dicam tñ quod & ſi non dicerem, res ipſa palam uos docere poteſt, quæ hęc noſtrę (queſo) ſeruitutis ſpecies? Neq; Chriſtiani iam ſumus, neq; barbari, ſemel aut fortiter moriendum, aut arripienda poſſeſſio fidei pariter & libertatis, quod hoc mali genus? Quotidie capitur, quotidie diripitur Epirus, in manu tantũ ſalus poſita nobis, aliud nullum effugium. Quẽ nunc barbarum in nos creditis uenire, quæ mandata defert? ad quod ultionis genus properat? Iam ſingulis ſuum ſtatuit ſupplicium, nõ iuſto belli odio, nõ ueri hoſtis more, ſed furore, ac rabie quadã ad ſanguinẽ ueſtrũ hauriendũ fertur. Quare ſi cui patrię pietas, ſi cui ſua uirtus, ſi cui parentũ ſplendor ſubdere ſpiritus poſſunt, ſumite arma, acuite iuſtiſſimũ ferrum, Croiam, & auorũ ſedes, quas tã fortiter autore me incruẽti recuperaſtis, cruenti (ſi ita res ferat) defendite, & regnũ quod hucuſq; tanta fide ſeruaſtis mihi, & ſeruatum tanta uirtute reddidiſtis, in poſterum ſeruate. Maior debet eſſe animus, maior ſolet dici uirtus arcentis, q̃ inferentis iniuriam. Prędam illi poſcunt, regnandi ſola cupiditate ducti in nos ruunt: uos ne prędа ſitis, & ut ciues patrię debitum exoluatis, pro qua nunq; nimis ſanguinis datum uideri debet, omnia fortitudinis ſigna demonſtrate, nunquam pro ea ſatis pugnatum, cuius pietas omnem ſuperat pietatẽ. Sed (ut

A ſpe fœlicitatis futuræ.

Amplificatio à uoluntate ſuorum per comparationem.

Incrementum.

A miſeria ſtatus præſentis.

Exaggeratio crudelitatis Turcicæ.

Concluſio.

Ab honeſto.

A facili. Sed (ut hæc iam libens omittam) quid defuturũm eſt uobis ad ſummum uictoriæ & gloriæ calcem, ſi oblato beneficio uti uelitis, quum non modo quicquid eſt uſquam Albani nominis uobiſcũ in hac cauſa uideatis, ſed Venetos quoq; principes illos, quos uniuerſa pariter colit & formidat Italia, pro ueſtra libertate ſtare cõſpiciatis, nunc recuperandæ tamdiu amiſſæ patriæ, nunc ampliandæ fortunæ ueſtræ ſpes & occaſio adeſt, inducite in animum, quod non induxerunt patres auiq; ueſtri (pace illorũ dixerim) ut concordia hac Macedoniæ, principum altricis, priſtinum illum ſtatum effingatis, & ex ignominia hac propicijs dijs Epirum imperpetuum uendicetis, ipſi præterea uel cõmilitonem, uel ducem habere memalitis, ad omnes labores periculaq;, uos non ultimus ſequar. Et ſi in cæteris non ita fœlix audacia erit mea, hoſtis tamen ingenia, mores, artes omnes uobis ſub manu dabo, qui cum diuino ita forſan agente fato, maximum uitæ tempus ad ſacietatem uſq; tranſegi funeſtiſſimo exemplo, prio malo edoctus. Piget me referre hoc loco eius humilitatem, quamuis alacriorẽ faciat militem facilioris ſpes promiſſa uictoriæ. Vix dicere audeo nunc ne langueant uires, euaneſcant animi nimia eius cõtemnendi licentia, quippe quum ſæpe contemptus hoſtis ancipitem fecerit uictoriã, & cruentum ediderit certamen, quare ita cum fiducia ſui & ſine contemptu alterius gerenda eſſe bella, primum fore præceptum antiqui militiæ conditores ſtatuerunt. Videbitis tamen ipſi, cq; primum cõtemnetis perditiſſimum hominum genus, quos & antehac ferociter æque ac fœliciter uel pauci contempſiſtis. Ecquis non contemnat, pariterq; abominetur uiliſſimam gentem? quæ omnis eſt ex ſeruorum colluuione collecta, furtis, & latrocinijs potius, q; ueris aſſueta prælijs. Nonne (proh pudor) quorum hodie nomen tantum apud timidos mortales inualuit, Turcæ ſunt iſti ſerui, ex Scythis fugitiuis, qui (ut fertur) ſedes patrias ultra Riphe os montes, & Taracontas inſulas, etiã Aquilonis hubera ad Septentrionalem oceanũ habuere? Gens fœda, ignominioſa, in luſtris ac lupanaribus educata, quæ non luporum, non uulturum carne, non abortiuis hominum fœtibus abſtinet, & cætera cuncta appetit, quæ uel ipſa fugit natura. Eos, fama eſt, Magnum Alexandrũ tanq; pecora in ouile, & ſepem intra Hyperboreos montes ferreis clauſiſſe repagulis, qui uix aliquid unquam à ſe iuſto prælio partum, gloriari poſſunt, dolis tantum & inſidijs magna ſibi imperia adepti, & maiora indies adepturi, ſi eius exercendæ perfidiæ materia præbeatur. Ecquid creditis de uobis Albani? Videor iam uidere mihi Amurathem, quum arma aduerſus uos non proficient, ad funeſtiſſimas artes tendentem. Adeſt, adeſt in oculis ſobdolus Ottomanus cum ingentibus ad uos promiſſis aſſueta ductus aliorũ fortuna. Vbiq; Græcos & Triballos, ubiq; Myſos fore putat, quos magis etiam q; homines decet, fati ſui ignaros bona fide ſibi traditos bonus princeps omnes aut internitioni dedit, aut luminibus priuatos, cęteriſq; membris mutilatos deformauit. Libenter horum meminit animus, Milites, non quod fides

Macedonia principum altrix.

A ſua perſona

A perſona hoſtis.

Occupatio. Primũ præceptum militiæ.

Turcæ qui & unde.

Vide Strabonẽ lib. 3.

quod fides me ueſtra ulla ex parte dubium habeat, cuius nullum unquã principem ueſtrum ad hanc ætatem potuit pœnitere, ſed ut admoneam (ut par eſt) quos ſtudeo conſeruare, quibus uitam ſanguinemq; omnem deuoui, cum quo uobis hoſte manus ſint conſerendæ. Vidiſtis nanq; omnes, uidiſtis quantum fidei, quantum uirtuti ueſtræ tribuant, quos ex tot gentibus, & uoluntario milite ſolos ad rerum omnium ſummam gerendam delegi, alios mœſtiſſimos domũ remiſi. Vos omnes expectant quos laudent, aut accuſent. Ego nunc nec laudandum quempiam, nec uituperandum cenſeo: quid enim fidei minaci in caſtris militi haberi poteſt? Sed quum fumantes ſanguine hoſtili enſes ueſtros aſpiciam, quum prodigam uitæ uirtutem ſpectator ipſe & hortator imitabor, tunc omni laudis & munerum genere cumulabo. Quæ autẽ maior laus, quę ingentiora premia unicuiq; ueſtrũ eſſe poſſunt, q; ſeruata patria, quam omnes & ſinguli uobiſcum fertis? Conſiderate igitur uiri fortiſſimi, quantum momẽti hodie ſit in uobis. Hoc prælio uicti, toto bello uicti ſumus: contra, uictores, tum pręſens à nobis Amurathis excutiemus iugum, tum paci tranquillitatiq; perpetuæ in poſterum conſulemus. Proponite uobismetipſis iugum hoſtile, & ludibria uictoris & ſuperbos uultus. Proponite & illud, qua frequentia omnium generũ multitudinis proſequente à noſtrorum conſpectu profecti ſimus, q; omnia uotorum & lachrymarum plena reliquimus, in qua nunc expectatione, coniuges, parentes, liberosq; ueſtros eſſe credamus. Stant omnes ſollicitis ac pendentibus animis, proſpectantes quem belli euentum uobis uirtus ueſtra dederit. De fortuna enim nihil eſt quod timeat uir fortis. Pudet aliquam fortunã fateri, quã non in manu atq; enſe poſitam habeatis, Dij nanq; ibi eſſe conſueuerunt ubi ipſa quoq; ſtat æquitas. Veſtrum eſt igitur, ut conceptam omnium ſpem de uirtute ueſtra factis æquetis: quo numeroſior hoſtis, eo ſpecioſior laus ueſtra, eo grauiores hoſtilibus ſpolijs domum reducã. Verum enimuero ſi quisq; eſt timoris ſibi ipſe cõſcius, qui uires noſtras ex hoſtilis fama exercitus metiatur, & à quibus ſuperatur numero, uirtute quoq; ſe credat ſuperatum iri, hinc bona cum uenia faceſſat, ne impedimentum magis illum, q; auxilium mecum traham. Reuertatur propere ad uxorem, ad liberos, quem uictor poſtea exercitus domi intra muros ac tectis clauſum inueniat. Si uero ea omnium uoluntas & cõmunis iſte eſt timor, exercitum hunc, niſi pudeat Deorũ pariter & hominũ maiori bus firmemus copijs, uel potius extemplo cõuerſis ſignis abeamus. Qui enim cũ hiſce legionibus in Macedonicis preſertim tutiſſimis ſuapte natura campis Amurathis prefectum timeat, indignus mihi uidetur eo quẽ gerit enſe, indignus aura qua ueſcitur. Inuitus in hac parte orationis moror apud uos milites, nedum fortes uiros, ſed principes etiam ſortium. Agite dum igitur priſtinam excitate uirtutẽ, generoſos ſumite animos, omnium rerum reſpectum, preterq; uictorię, uobis abſcindentes (ut cuncta uno uerbo abſoluã) morte ſola uinci deſtinatę. Si uicerimus, omnia in

Occupatio.

A fortuna.

Ab æquitate.

A loci natura.

Fortiter uictis mors malorũ et miſeriarum finis.

poſterum fœlicia futura uobis credite, fortiter uictis idem erit malorum & miſeriarũ finis. Hoc ſi fixũ omnibus deſtinatumq; eſt, fruſtra me iam ardor iſte dicendi ulterius prouehit, qñquidem nullus acrior homini ſtimulus perſpecta uirtutis conſcientia ad uincendum à natura eſt datus.

Vix hæc dixerat Scanderbegus, cũ ab uniuerſo exercitu clamore elato, eius approbata fuit ſententia, claraq; uoce undiq; conclamatũ eſt: properandum in hoſtem, & caſtra contra eum ocyus mouenda, ultroq; irruendum. Vbi tandem cupidiſſimorum militum animi, fides q; erga optatum tamdiu Imperatorem certo aliquo experimento comprobetur, confirmenturq; in poſterum uix dum tuta Scanderbegi conſilia, quum tam prompte corpora ſuorum, hoſti tanto ardore, contentioneq; paſſim obiici cerneret, & uoluntatem ſaltem uitæ prodigam laudet, ſi uirtutem nõ poſſet. Sed neq; uirtutẽ ſuis carituram laudibus, ſi hic hoſtis hæc optata tantum gloriæ materia ardentiſſimis animis tunc, tunc daretur nec differetur amplius, euaneſcere parua mora, elangueſcereq; uiuaces ſpiritus illos, ac cõcitata militum ingenia, ſeneſcere dilatione belli uires. Maximus ubiq; ſtrepitus pugnam poſcentium multus ardor erat. Ita ſocios, ita ſe ipſos exhortabantur uiri, ita æquum quiſq; ſuum (ut fit) enſem, dexterã alloquebatur, & manus ad ictus aptabat, ac mille conſumebat uulnera, ut uiſi iam hoſtis ſpecies ante oculos omniũ obuerſari uideretur. Tanto undiq; tumultu miſcebantur, caſtra, ut pugnantium ſimilia omnia magis q; pugnam poſcentium diceres, uel erupturum q; primum crederes auidũ ſanguinis militem ſine duce, ſine ſignis, nullo diſciplinę militaris ordine, uel tenore ſeruato, Scanderbegus itaq; quum eum totius exercitus ardorem cerneret, & æque omnes ſuorum ordines, omnem ætatem, omniũ ingenia ad id accenſa inflammataq; animaduerſiſſet. Primũ impenſius gauiſus, tacita lætitia ſingulorum feroces minas audiebat, ſuperboſq; uultus, & feroces ſpiritus, ingentem molem irarum ex alto animi cientes contemplabatur, certa uictoria concepta hoſtilis rei formam metiebatur, deinceps contemnebat. Poſtremo nõ ſatis tutum uiſum tam iuſta militum deſideria ſedari, tardariq; amplius. Vbi donatis illis ſacra Deo optimo pro uictoria alia uouit, alia peregit. Mox ad hoſtem caſtra mouens, quẽ non longe abeſſe certis exploratoribus nouerat. Deficiente iam ſole in Dibra inferiore octuaginta millia paſſuum procul à Croia iuxta collem quendam dumoſum, uel uerius ſyluam, denſiſſimis refertam arboribus, caſtrametatus eſt. Ibi primũ omnium cognito idoneo inſidijs loco, præſertim q; hoſtem cum maximis copijs aduentantẽ audiebat. Et ut incruentiorem ſibi eam uictoriã faceret, ſumma ratione obequitans prius ipſe ac perluſtrans ſingula: Gneum Muſachium, & Ameſam cum tribus millibus locauit, iuſſos, ne prius exirent, q; ſe totis ſignis implicitum hoſti, et cruentatum utrinq; militem uidiſſent, tum obſeruato tempore, à tergo hoſtium improuiſi erumpentes pari clamore & impetu, timidos exanimarent, ac introcluſos cæderent. Barbari nõ multũ tardati, uix his diſpoſitis, ad

Exhortatio mutua ad pugnam.

Fortaſſis uicti.

Ardor exercitus Scanderbegi.

Caſtra Scanderbegi in Dibra inferiore.

Stratagema.

ſitis, aduolarunt, & ignari omnium non longe à Caſtrioti copijs fixis ſignis, conſedere. Noſtri mox ignibus extinctis, ſomnum capere alij, alij uices excubiarum agere iuſſi. Turcis ex eo animi magis aucti. Quare accenſis ipſi undiq; luminibus, turpes noſtrorum tenebras deridebant, timida ſilentia interpretabantur. Atq; quum ſub ipſo fermè uallo ſtrepe-rent, dictis factis q; ſimul odium explentes, per totã noctem occurſabant portis, ingerebant probra, ęgre abſtinuerunt, quin caſtra oppugnare aggrederentur: At Scanderbegani ſemper ſilentium obſeruarunt, reſponſum nullum reddebant, q; uis nõ deficeret quod recte reſponderi poſſet: neq; deerat cupiditas ardorq; erumpendi, quum tot contumelias, tot inſultationes hoſtium ferre amplius non poſſent, ſed imperatoris edicto caſtris taciti ſe tenebant, Barbaris itaq;, quod detrectaret pugnam Chriſtianus, animi accedebant. Properante iam aurora, Scanderbegus ſuos ante omnia curare corpora iubet, ne ſi pugnam aliqua belli (ut fit) fortuna præter ſpem ludificando longiorem feciſſet, ieiunus miles uictus fame, quam ſola natura humana uincere non poteſt, ſegnius uictoriam ſequeretur. Cibo igitur per ocium capto, alacres animis corporibusq; atq; irarũ, ſpeiq; plenos è caſtris educit, quos ibi quoq; ubi ſtatim uerba res erat ſecutura, enixe pro uictoria exhortatus eſt. Dehinc ut prius noſceret hoſtiũ uires, q; diſcrimine ultimo tentaret, leuibus certaminibus equitibus ſępius q; peditũ periculo facto iuſto prælio ſe accingit. In leuo cornu Tanuſium cũ mille quingentis equitibus, totidẽ peditibus locat. Diſponebat autem ita equitatum, Primo loco interſertis quibuſdam ſagittarijs peditibus, ut prima auſpicia pugnæ ab equite ſumerentur, neq; reliquo peditatui ad erumpendum, & recipiendum ſe ad ſuos ubi labor poſceret impedimento equeſtris pugna foret. Moſes autẽ à Dibris præfectus eius à dextro cornu eodem tenore ſingula peragebat. Extendebat & ipſe legionum ſuarum primam frontem equeſtri turma, ita ut liber pediti ex omni parte exitus, ac tutus receptus foret, quamuis nõ multum momenti fieri debuit ad Dibrenſes milites in acie dirigendos, ita uel primo uel ſecundo loco uel equitẽ uel peditem loces, omnia tuta ſunt apud eos, nunquam fallit fortuna, nusq; fugit uictoria conſcias manus, ſic & ordinem ſibi & fortunam quocunq; adſit, fortiſſimus miles facere & trahere ſecũ conſueuit. Inter ipſa cornua, acie uelut ſinuata, medium locum Caſtriotus ipſe cum reliquis copijs obtinebat. Ibi quoq; equitum mille amplius in fronte diſpoſiti. Nam quum hoſtis pedites nullos haberet, nõ ſatis tutum uiſum eſt, peditatum primo furori equeſtris procellę obijcere. Iuxta totidem fermè ſagittarij appoſiti, hos equitẽ ſequi iubebat, quo poſt terga eius tutiores, neq; ita hoſti expoſiti eſſent, & barbaro haud huiuſmodi quippiam timenti, cruentiorẽ facerent pugnam. Inter hos & illos, ipſe cum Georgio Streſio nepote feroci iuuene ſtationẽ fixerat ſibi. Vtrinq; Croienſis nominis miles, utrinq; Croienſis cum iuuentus circundabat. De induſtria nanq; ciuium ſuorũ & ſpectator eſſe, & hortator elegerat.

Caſtra barbarorum.

Silentium nocturnum in exercitu Scanderbegi.

Inſtructio ăciei rum Scanderbegi.

Moſes à Dibris.

Georgius Streſius nepos Scanderbegi.

Sagittarios mox reliquum robur peditatus,& ſcutatorũ, ac haſtatorum agmina cum Aidino Gnei fratre ſequebantur. Vranacontes prudens æque ac fortis bellator, cum cæteris equitibus extremam aciem, ac ſubſidiariorum munia obtinuit. Iuſſi tamẽ pedites qui ante eum erant, ut quũ primum proſilientes ſuos ex inſidijs uidiſſent, ac oneratũ à tergo hoſtem & exceptum inter cornua, mox patefactis ordinibus, uiam equiti darent, qui recens alio iniecto pauore hoſti turbaret pariter feſſum, cẽderetq;. Pedites uero ipſi iterum denſati loco uelut ſubſidiarij, atq; triarij milites, aciem firmarent, neq; penetrari exercitum paterentur, donec certum uictoriæ indicium,& irreparabilem hoſtium formã aſpexiſſent. Ita inſtructa acie Scanderbegus ſtabat, neq; ut ſignum daret ad progrediendum in hoſtem unquam à ſuis impelli poterat, anteq; & barbarum ipſum more ſuo compoſitum procedentẽ in aciem uidiſſet, ne indigeſtum hoſtem effuſe erumpentes milites inſtandi ſtudio ordine uiolato totius exercitus ſtatum in diſcrimen aliquod traherent. Alybaſſa quum exercitus noſtri formam contemplaretur, pauciores ſemper, pauciores, periculo propio res iterans, deridebat ordinem illum,& pompam ignari militis ad propria funera tam compoſite procedentis. Vna erat Ottomana legio ante alias audacius progreſſa, in hanc Anteſignani acriter feruntur. Barbari mox ordine turbato, anteq; totius exercitus fortunam expectarent, uera fuga, neq; ſimulato pauore, primo impetu uſq; ad ſtatiua ſe pelli patiebantur. Sed Scanderbegus extemplo fraudem metuẽs hoſtis, ac inſidias ratus, partem equitatus immiſit, qui & ſuorum ardorem inhiberent, & in aciem quenq; ac ſuos ordines reuocarent. Idem & à leuo cornu factũ. Itaq; & hi & illi ad ſuos recepti, rurſus ad pugnam parantur, iuſtiori totius exercitus dimicatione. Creuerant autem animi barbarorum, quod militem noſtrum uelut ludificati eſſent pauci multos. Renouato igitur iterum prælio Tanuſius & Moſes hoſtium cornua inter ſe partiti, pugnã acriter inierunt. Eodem tenore Caſtriotus aſſumptum ſibi agmen, concitato impigre equite, aggreditur. Non tardatus ex inſidijs eques, priusq; totis copijs in noſtros irrupiſſet, hoſtis maximo tumultu erupit: & ante quam deſcendiſſent equi in campo omnes, plura ac extrema quæq; Turcarum agmina repentino pauore conſternata, relicta pugna caſtriſq;, fugam iam inde arripiunt, primi quiq; inter noſtrorum cornua intercepti, mediæ legioni cedendi traduntur. Vnus erat cuneus hoſtilis, quem neq; dimouere poterat loco Scanderbegus, neq; penetrare audebat, ita in eo loco uelut munimenta quædam fecerat numeroſior barbarus. Alybaſſa ibi (ut mox apparuit euentus) totius exercitus robore, ac fortiſſimorum quorumq; armis ſtipatus, iamdiu inclinatam belli fortunam ſuſtinebat. Aidinus quoq; in media acie iam cuncta barbarorũ cruore repleuerat, ferocior hic q; alibi Mars incrudeſcebat. Nam quũ obſeſſus fermè hoſtis nihil ſibi præterq; arma ſupereſſe uideret, in ferrum quo poterat acrius, ne inultus caderet, ruebat. Traxerat præterea illuc & alios fortuna, atq; infœlix

Gneum Muſachiũ intelligit, de quo ſupra.

Alybbaſſa contemnit exercitum Scanderbegi.

Pugna utrinq; exercitus.

Eruptio Albanorum multis ex inſidijs.

infœlix belli error, pleroſq; etiam auditus caſus ſuorum ad ſocijs ferenda auxilia impulerat. Itaq; quo denſior barbarus erat, eo longior pugna, magiſq; ambigua fuiſſet, ni Vranacontes mox irruptione facta, & uiribus pariter animisq; recens feſſo iam & labanti hoſti ſe immiſcuiſſet, & quicquid erat reliquiarum, hauiſſet. Segnior autem idcirco eques eſt barbarum adortus, ac laborantibus fermè ſuis ſuccurrit. Nam quum cornua utraq; & prætoriam cohortem totis ſignis implicita uidiſſet, ne ſubſidijs omnibus acies nuda penitus remaneret, tutius erumpendi tempus captauit. Ad unũ itaq; conciſi ſunt omnes, præter trecentos, in quos inermes tendentes dexteras, ac uulneribus propè confectos belli iure ſæuire Caſtrioto nõ uiſum eſt. Victrices igitur poſt hæc confecta, legiones, eo belli labore peracto, ad Scanderbegum ingenti gaudio atq; clamore tendebant, ubi læta omnia inueniunt. Perfregerat nanq; cuneum omnẽ Croienſis miles, & ingenti ędita ſtrage, Turcarũ ducem in fugã conuerſum late ſequebatur, ubiq; ſanguis & cædes, ubiq; gemitus morientiũ audiebatur. Alij uincula captiuis inijciebant, alij deformem truncum relinquentes, ſpecioſum Imperatori munus hoſtile caput ſeruabant. Diripiebãt caſtra plures, prout cupidiora ſunt prædę mortalium ingenia. Itaq; victor ex omni parte exercitus tam præclaram uictoriam recenſebat uix ipſi credibilem uicto, & ingentem tam exigui temporis operam mirabatur. (pugnatum eſt enim à ſole orto ad tertiam horam diei) Cæſa ſunt eo prælio barbarorũ ad xxij. millia, uiuorũ duo millia capta: ſigna militaria xxiiij. Ex victoribus pauci cecidere, uix cxx. feruntur, licet uulneratorum maior longe fuerit numerus. Ita tam magnã uictoriam illo die Chriſtianus tulit iuxta omnium ſpem atq; expectationem, quum nihil defuerit eo prælio, quod non ſolum inuitare ad res bene gerendas fortunam, ſed cogere quoq; poſſet, non tempus, non locus, nõ rerum omnium exactus ordo, non iuſtior pariter, eademq; neceſſaria pugnandi cauſa. De ducibus poſtremo, militeq;, id auſim dicere: Leonum eo die leones ductores fuiſſe. Veterani horum non minima pars fuit, qui cum patre quondam ipſius Scanderbegi militauerant, ut non milites, ſed præceptores quoſdam militiæ electos crederes. Ita debellatum uidebatur, ſi eo uiciſſent prælio, & ſemel hoſtis animos fregiſſent. Parta uictoria Scanderbegus totam eam diem noctemq; quietiſſime in caſtris tranſegit: mane uictoria inflatus, ad alia intendit animum. Cruentum adhuc militem ad non minus gratũ opus hoſtilium agrorum direptionem alliciens his uerbis:

Pugnaſti hucuſq; mihi miles, pugnaſti patriæ, nunc tua te euocat militia, nunc propria inuitat fortuna. Vides late ſtratas uirtute tua hoſtium legiones, recenſes ingentia facta, & quanta apud me pro ſudore hoc, pro ſanguine, pro his belli laboribus exhauſtis uos præmia expectent: taciti fortaſſis uobis ipſi reſpondetis. Non fallam quidem expectationem ueſtram quantum in me erit. Ita & publica & priuata quenq; apud me laus manet, ſi modo laude ſola (ut nunc liceat iocari uobiſcum) militũ ingenia

Cædes barbarorum.

Direptio caſtrorum.

Numerus cæſorum, captiuorumq;.

Leonum ductores Leones.

Veterani, non milites ſed præceptores militiæ.

Adhortatio Caſtrioti ad milites ſuos ad agrum hoſtilem diripiendum.

A militum ingenijs.

pascuntur. Aliud nihil adest hodie mihi, quo fortes honorem dexteras, sed & si affati essent omnia & manu ipse mea darem uobis. Quid gratius lætiores(que) (arbitrio alieno) accipere potestis, quàm quod quisq(ue) sua captum manu domum ouans retulerit? En iacet non longe hostilis ager, rerum omnium opulentissimus. Præsidio per uirtutẽ exuistis, nunc præ

A præda opulentissima.

dam uobis dimissam, per summum captate ocium: & quos nunc uidet hilares patria, sentiat late uictores hostile solum, quandoquidem non minima est hæc tam bene gestæ rei accessio futura. Vt tamen hodierno præ

A uirtute militum.

lio & à me aliqua ex parte uos honoratos dicant mortales, neq(ue) miles militi inuideat, quum omnium æqua fuerit in bello uirtus. Occisorum hostium equos pedes habeat sibi, & omnes equites esse iubeo. Læti nunc igitur me ad hæc dulciora perfunctæ militæ præmia superis bene iuuantibus, sequimini. Adhortationem hanc miles iampridem intentus clamore undecunq(ue) prosecutus est. Ruunt omnes in partes, nullo discrimine habito, sine ordine, sine duce, contemptu ac negligentia quadam orta ex re (ut fit) bene gesta. Sed cautus princeps nunquã satis fortunæ fidens, distulit eousq(ue) desideria suorum, donec missi exploratores, tuta omnia ab insidijs nunciarunt. Tum libera populatione permissa, effusus passim eques hostili terræ, agrestibus bonis, pecori, ipsis denicq(ue) arboribus recenti inflatus uictoria insultat, nulli rei parcit, cui ferro aut igni noceri posset, præterquam sexui, ac ætati. Præda undiq(ue) ea contentione agebatur, ut alter nũc belli tumultus ac pugnantium plena omnia uiderentur. Non quenquam uulnera tardabant (plures nanq(ue) & eorum qui saucij excesserant prælio, ea cupiditas traxit.) Euanuerant recentes sudores uiris: non labor ullum, non onera grauabant: nulli copia saltem (ut fit) fastidium faciebat. Ita mœstior miles quædã quæ ferre nõ potuit, reliquit, quàm alia lætior tulit. Quum satis populationibus datum esset, & per agrum hostilem ad satietatem usq(ue) sæuitum, Scanderbegus signum proficiscendi dedit, onustus præda miles, nulla facta mora, ingenti gratulatione sequebatur. Deridebant duces ignauiam suorum, quod ex fortissimis bellatoribus abactores pecorum, & ex Albani nominis propugnatoribus, ouium custodes facti essent, accusabantq(ue) ultro nunc hos, nunc illos alternis cauillantes uerbis. Quid si Alybassa cũ fracti exercitus reliquijs uos tales nunc ex aliquo loco aspiceret, tam sordida trahẽtes impedimenta, & auari præmia militis? nonne puderet magis magisq(ue) cum tam pudendi uictoris? & crebro suorum ignauiam increparet, quod ab huiusmodi superati fuerint, & bellicam laudem cesserint uobis? Ita iugi lætitia festiuus miles per multiplices iocos cantusq(ue) uiæ labores leuabat, donec castrorum suorum custodias pro uallo prodeuntes, ingenti clamore salutarunt. Nocte illa in castris transacta, uix dum satis certa luce, Scanderbegus uasa colligere iubet, & ad regiam urbem Croiæ cum uictore exercitu pergit ire, multitudo per uias omnes affusa uictores tũ publice omnes tum priuatim singulos appellabat, prædę magnitudinem quisq(ue) admira-

Festiuitas ducum exercitus Scanderbegi.

Ex fortissimis bellatoribus abactores pecorum & ouium custodes facti.

Redeunt uictores ad regiam urbem Croiæ.

batur,

batur, noui equites uix à suis cognoscebantur, gratulationes factæ per multos dies, & laureatæ literæ, ac signa quædam militaria ad omnes Epiri regulos missa, alia affixa templis sunt, ex quo insignis iam ille annus ea parta uictoria erat, multo tamen insignior futurus illa Christiana clade ad Varnam accepta, sub idem nãq(ue) tempus quo hæc in Epiro gesta sunt, Hungari cladum omnium antiquarũ, ac recẽtium obliti arma, bellumq(ue) aduersus Turcas summa ui parabant. Ita nõ contenta tot spectaculis fortuna seruatos nuper, ac uix respirantes prioribus malis homines ad funestiora euocabat pericula, & in statutũ iampridem discrimen suũ quenq(ue) fatum rapiebat. Vladislaum itaq(ue) regem, cum omni propè Hungaria, Poloniaq(ue), ad id certaminis instructum sequebatur, & Iulianus Sancti Angeli Cardinalis cum militibus crucesignatis eam periculi sortem tam cupide, quàm fortiter subiturus. Aderat & cum Valachis suis Hunniades, totius regij exercitus ductor. Mouit tamen omnes in tanti belli apparatu Scanderbegi fama, recensq(ue) de barbaris uictoria, maximum rati nõ incrementũ solum copiarum, uerum certissimã fore tamdiu cupitæ rei spem, si ipsum cum exercitu suo hostili adhuc sanguine cruento Hungarici belli apparatus habuisset. Quare summo æque desiderio omnium, atq(ue) celeritate, quam & ingruentis propè mali species, & res quæ iam inde uidebantur dubiæ futuræ poscebant. Literæ ad eum in hanc sententiam datæ:

Laureatæ literæ.

Pugna ad Varnam.

Iulianus S. Angeli Cardinalis.

Vladislaus Hungariæ & Polloniæ Rex, Scanderbego Albanorum principi S.P.D. Distulit fortasse in hoc tempus fortuna seram istam gratulationem nostram, quo non tantum hodie tibi ob recuperatum feliciter imperium, sed pari etiam prudentia fortitudineq(ue) defensum duplici rei prospere euentu gratularemur. Et gratulamur itaq(ue) nec tibi tantũ, uerumetiam Christianis omnibus, quod tanta sit benignitate Deum per uirtutem nunc tuam rei Christianæ accessio facta. Quandoquidem non minima semper inter cætera mala nostra clades illa ducenda fuit Epiroticæ gentis amissio. Quum iniquis sublatus fatis Iohannes Castriotus pater tuus princeps (ut audio) de omnium animis optime meritus, neq(ue) tibi in aliena degenti potestate regnum auitum filio tradere, neq(ue) aliter, ab Amurathe oppressus, imperio suo consulere potuit: Et uiueret utinam nunc fœlix eo nato parens, qui omnium superasset fortunam, si te ante ui disset, quàm à uita discederet, Ita unus planè uideris mihi (pace omnium dixerim) hac tempestate princeps sicut omnibus animi corporisq(ue) bonis, ita diuino quodam fato præditus, cuius auspicijs non solum tuta imposterum omnis Epiroticæ terræ ora futura sit, sed cuncti præterea populi à corpore Macedoniæ imperij nefario Ottomanorũ latrocinio iam pridem direpti in antiquam formam iuris ac ditionis suę redituri. Quid enim (ut cætera taceam, quæ & apud barbaros uel puero tibi olim tanta indies crescente inuidia maximũ nomen prodiderũt) uictoria illa speciosius? quã nuper Alybassa cũ tot copijs cæso, fugatoq(ue) partam tibi ingẽti

Literæ Vladislai Pannonum regis ad Scanderbegum.

Laus Scanderbegi à patre.

A uictoria Alybassæ.

admiratione æque audiuimus, ac credidimus. Sed adest nunc Scanderbegi Dijs agentibus, qui te exacto quodã consilio in hęc difficilima tempora Christianę Reipub. reseruarunt, maioris penitus tibi gloriæ materia. Subest occasio contra Amurathem omnes ueteres nouasq; tuas ac tuorum iniurias ulciscendi, nec priuatas istas tantum, sed & publica id genus mala, atq; tot oppressæ, ne dicam extinctæ iam fidei ludibria. Si cum uictore exercitu tuo isto nondum desperatis rebus nostris adesse uelis, Inuitant te ad hoc omnes Hungariæ & Polloniæ principes, ac uiri fortissimi: inuitat Iulianus Sancti Angeli Cardinalis, cum pijs illis Christianæ salutis militibus, iam diu nobiscum in armis instructus: nihil præter tua signa expectamus. Quam si nũc oblatam ultro à Dijs immortalibus occasionem non reijcis, debellari posse penitus palam omnes affirmant, expellicq; Turcas, & à tam diutina Europæ possessione deturbari. Omittendum itaq; hoc loco apud te omne adhortationis genus censeo pro ea causa, quæ defensa, salutem, lucem, libertatẽ, omissa omniuari horreo quæ ferat. Satis nos hucusq; tandẽ deseruiuimus Christiani, conflagrauimus iam omnes, dum nemo incendium ad se traiecturũ putat. Quid de Græcorum cernimus, quantum de Triballorum imperio? lacturas demum ipsas meas, totq; exhausta ac exhaurienda indies mala, quis recenseat? Quis fortissimos principes Hungarici imperij propugnacula, per oẽs ætates amissos, & tot ualidissimos exercitus eodem funesto belli fato absumptos, ac occidione fermè occisos? ita ut nulla sit in Hungaria iam domus, nulla matrona luctus expers. Audiunt hęc Christiani principes, nec mouet ullum miserabilis sociorũ fortuna. Sic nos uelut piacula quædam luendis omniũ periculis hosti passim obiectari patiũtur. Vnus Eugenius Sanctissimus Romanæ rei Pręsul, & Philippus Burgundię dux, afflictæ fortunæ onus nõ detrectarunt. Alter Iulianum hunc cũ pręclaro nobis milite adiunxit: Philippus classe instructa, & in Hellespontũ usq; missa, Turcis transitũ, quantũ in ipso fuit, fortiter prohibuit. Alia nunc nobis spes propinqua subest, auxilij optandi: quare ultro nũc te ad tam necessarium bellum euocare, tum uirtus tua in primis cognita suasit, tum rerũ omniũ nostrarum periculum discrimenq; coëgit. Cęterũ cũ ignoret nemo, q̃ id nunc sis incõmodo acturus tuo, propter recentẽ adhuc domesticarum rerũ tumultum, & uix dum pacatũ nouiter redempti imperij statum. Id te mouere non debet, cum & tibi præclarissimum nomẽ hac expeditione sis pariturus, & hoc pręsens beneficiũ apud minime ingratos animos sis collocaturus. Quod enim prior tu hodie pro salute nostra dignitateq; feceris, id nos pro tua laude, et imperij incremẽto semper faciemus. Vale ex Buda regia nostra. iij. Nonas Iulij Anno M.cccc.xliij.

Alybassa iam ad Amurathem (licet plures eum cladis nuncij præcessissent) fracti exercitus reliquias traxerat. Grauiter eum reprehensum ferunt ab Ottomano, quod nequaquam credibile dicebat, tam ualidũ exercitum penè deletũ, sine aliqua uel ignauia eius, uel temerario in fortunę se committen-

Vber gloriæ materia est Scanderbego pugnandi contra Amurathẽ

Libertas.

Verissima sententia, utinam Germania haberet aures audiendi.

Eugenius papa. Philippus Burgundiæ dux.

committendo consilio, nunc proditum fuisse exercitum, nunc hostium insidijs oppressum, ob ducis uecordiam clamare, nunc in conferenda manu tutiorem locũ hosti relictum, unde sic facile tanta suorum strages ędita esset. Alybassa licet hostium se insidijs præuentum, quę prudentissimũ quenq; fallere potuerint, negare non posset, excusare tamen se, in alijs militum fidem imploraus, nihil in eo præter fortunam reprehendi posse, nõ ordinem, non disciplinam militarem, non ducem militi, non militem duci defuisse. Non aciem iniquo loco locatam, nõ è castris importuno tempore eductam, non fugæ memorem fuisse, nisi castris ab hoste direptis, & salute penitus in armis desperata. Sed experiretur iterum fortunã eius contra Scanderbegum, excogitasse se uiam, qua luctuosam eam uictoriã illi esset facturus. Mouebant iam Amurathem uana Alybassæ uerba, & maiori in Scanderbegum ira concitatus, iubebat delectum protinus fieri, instauaricq; eius exercitum, ni Satrapæ, ac Purpurati eius, Calybassa pręsertim, cõsilia illius, & animum eo labantem reuocans, aliam belli molem instare diceret, Epiroticam expeditionem tuto & differri, & omitti posse, Nunc Hungaricos instare tumultus, in quibus curã ipsius omnẽ exhauriri debere conduceret. Allatæ interim regię literæ, mouerunt maxime Castriotum, necq; belli uncq; aut iustior causa, aut pulchrior materia uisa est: tamen ne quid inconsultis his ageret, quorum maxime opera in gerendis rebus usurus erat, coactis ordinibus optimatium suorum, frequenti consilio regias literas coram illis legi iussit, ubi nemo omnium est inuentus, qui id bellum recusandum sentiret, quum accenderet eque cunctos ingentibus irarũ stimulis, & pauidas fermè maioris cuiuspiam mali mentes sollicitaret tanta indies crescentis Ottomanæ rei magnitudo, & moneret singulos miserabilis rerũ Christianarũ status, & inuicta quondam Hungarici imperij fortuna, quam si oppressisset Amurathes publicum priuatumq; quisq; sibi fatum ante oculos proponebat, quum nihil foret usq; uirium, quæ melius tamdiu inclinatam rem Christianam sustineret, & datum tot uictorijs hostem tam ęterno bello, pariq; odio reprimerent. Spes præterea hominum ita prospero illo belli euentu aucta fuerat, ut traderent ubicq; se ea fortuna usuros, quum neq; ducem, neq; hostem sibi, sed locum tantum mutandum cernerent. Conciliare postremo sibi potentissimum ea ętate regem, ad pleraſq; fortunæ & casuum humanorum uarietates, unusquisq; uel aperto uitę discrimine censebat. De auxilijs itaq; dandis sine uariatione decretum. De numero militũ, & quantitate copiarum ducendarum uariatum aliquantulum, & consultatio ad noctẽ tracta. Multæ hincinde dictæ fuere sententiæ: aliqui quincq; millia militum, alij octo, pauciores plures decernebant: neq; exhauriendam armis prouinciam, quum omnia bello arderent, & adhuc forsan infensus hostis in limitibus Macedoniæ esset: neq; depugnatum crederent Alybassa semel uicto, Amurathis neq; uires fractas, neq; animos ulla ex parte diminutos, sed iritatos magis. De Scanderbegi quoq; profectione dubitatum

Amurathes ignauiæ arguit Alybassam, accepto cladis nuncio.

Quid Scãderbegcum ductibus & præfectis suis super auxilio ferendo Vladislao regi senserit.

Publicũ, priuatum fatum.

Decernitur auxilium Hungaris.

De Scanderbegi profectione dubitatur.

bitatum à nonnullis, actumq; ingenti contentione auxilia tantũ mittenda regi. Ipsum sine multo suorum incommodo, ac diserimine rerũ omnium, uix dum firmati regni, curam relinquere nõ posse. Maximum fore domi, militiæq;, si opus sit, in eo momenti, nescire populum Albanũ alij parere principi, augeri indies omnia, florere præsenti eius consilio, absentem plena omnia squalore ciuium, & lugubri quodam situ animorum omnium generum multitudinis habiturum. Scanderbegus quamuis nihil erat de pristina sententia mutaturus, cum tamen neq; his de profectione sua, ne ciuium amorem, suorumq; benitolentiam spernere uideretur, dissentire palam posset, neq; illis de paucitate militum contradicere, ne in uitos ad bellum alienum trahere, & periculi alicuius autor esse uideretur, tacendum sibi tunc ère non minus communi, q; sua, esse duxit. Sustulit tamen eas omnes contentiones, sedauitq; tot uno tempore motus animorum, auditus tum Pauli Duchagini sermo, & cõcitatus in primis, & tanto principe dignus.

Oratio Pauli Duchagini regis Epiren.

Quo sim genere uobiscum orationis hodie usurus, Principes Albani & in quam uestrum sententiam iturus, expectatis omnes cupidis fortasse animis, sed frustra id quidem, quum neq; ex Scanderbegi, neq; Epiroti-

Leges Concilii orum ut libere loquẽdi, ita patienter audiendi.

ci imperij dignitate mihi quicquã elocuti uidemini (cum præfatione honoris uestri dixerim) licet primę sint leges conciliorũ, sicut libere loquendi, ita patienter audiendi. Quoniam (quantum ad hasce Hungarici belli consultationes attinet) illam ego & probatiorem longe sententiam dicerem, & æquiori animo audirem, quæ nullum penitus regi auxilium accreuisset, sed uicina incendia, periculaq; aliena domesticis malis, ac proprijs necessitatibus posthabẽda censuisset. Quid enim magis ridiculum, quæso, q; nunc octona millia hominum, nunc quinq;, nunc pauciora (si Dijs placet) ad tanti belli molem computari à uobis? quasi tanta contentione potentissimum regem ad ultimum fermè certamen eam militũ paucitatem ab Epirotico nomine exigere credatis? Sequetur is miles Scanderbegum in Varnenses campos? ubi tot omnium publicis & priuatis uocis expectatur. Videbunt tot proceres Hungariæ, & Christiani exercitus ducem principem uestrum, quem tanta ubiq; fama præcessit, non cum aliqua exercitus specie, sed quadam potius prædonum similiori manu è cornu suo prodeuntẽ. Nanq; si (quod Dij omen auertant) uinci illum contigerit, uictum merito aduersis fatis hostes irridebunt, & sui magis, quod in alienis locis eum hominum numerum duxisset, qui uix domi esset tutus. Victorem modica laus, minora manent præmia. Sed mittenda alius auxilia nouo cõsilij genere hortatur, tenendũ domi Scanderbegũ, habendã ciuium rationẽ, habendã multitudinis inconditæ, quæ ægre alterius imperium sit passura. En eó iam uertitur omnis disputatio nostra Principes (ut nunc dicebam) ut aut denegetur omne penitus auxilium regi, aut alium uos animum induatis. Mittemus scilicet Hungaris præclara hæc belli præsidia sine Scanderbego, in cuius nomine solo plus

Ab alienis periculis.

A tenuitate auxilij.

A persona Scãderbegi non prostituenda periculo.

est illis

est illis præsidij futurum, q; si omnes secum nos habeant cũ coniugibus, liberisq; nostris, quem præcipue inuitant omnes, quem singuli exposcũt. Mittamus igitur, si quisquam est qui proficisci uelit. Non potestis ciues in ocio sine Scanderbego diem unum trahere. Poterit armatus miles aliena sequi auspicia? Non domus, non patria tuta sine eo uidetur uobis, tutus erit in alieno solo miles procul ab assueto Imperatore? Quid igitur agendum? abhorrent Hungariam copię uestrę sine Scanderbego. Vos patrię amor ac ciuium beneuolentia mordet. Illud non uultis, hoc nõ potestis Principes. Oportet itaq; uos aliter animatos esse, si Vladislai desiderium nõ respuitis. Ego & maximum delectum, quo celerrime fieri potest modo, habendum censeo, & propositi belli occasionem suscipiendã, neq; formidandum cuipiam de patrię statu, quũ alijs nunc Ottomanum imperium distineatur curis. Victoriam præterea indubiam ex huius prę lij euentu quis non audacter spondeat sibi? nisi cui suum ita edoctum ingenium pauorem facit. De Scanderbego uero id unum nemo uestrum negauerit, facilius uos inuenturos uirum, qui ciuibus uestris in pace, & iure reddendo, q; ferrum tenentibus militibus, præsit. Sed ne ad hoc magnifica tantum uerba attulisse uidear uobis, ecce cum quinq; millibus armatorũ me ipsum Hungarico bello pro Christi fide in primis, & uestra omniũ, ac Scanderbegi dignitate offero, & si ita res ferat, deuoueo. Mutauit repente omnium animos cũ acris Pauli oratio, & liberalis promissa opera, tum magna uiri autoritas apud omnes Epiri principes, & Scanderbegum præcipue, qui & ipse omniũ primus in eam sententiam discedens, laudare tũc palàm eum de omni acta uita, & unum illa die uere pro decore omnium loquutum, fœlicem dictitans rem Albanam, si multos eius propositi principes haberet. Erat hic Paulus (ut retulimus) tũc Epiri non ignobilis, neq; pœnitendarũ uirium regulus, religionis præterea, exactiori quodã inter cæteros cultu maximo in honore apud oẽs, præclara illa familia ortus, ex qua tot bellicosissimi duces processere, Nicolaus præsertim Pauli filius, qui in bellica laude paternos auitosq; honores longe superauit. Huius extat adhuc inuictę uirtutis, ac nõ mortalis (ut ita dicam) dexteræ monumentũ illud in Peneropoli urbe Thraciæ, quæ nũc uulgo Præserem ab incolis dicitur, ubi affixę reliquię hostilis scuti, quod in prælio quodam recenti hominũ memoria eodem gladij ictu ita transuersum secuit, ut & pugnantis barbari manum inutilem deinceps bello reddiderit. Non ab re uisum est hoc loco parumper à propositi negocij tenore diuertisse, ut & patrẽ laudatiorẽ in filio ostenderẽ, & tam insigne uiri facinus edaci obliuione, ac ingrato silẽtio nõ aboleretur. De Hungaricis rebus cura omnis ac potestas ad Castriotũ delata, ageret, iuberetq; omnia, quæ è sua, generis q; Epirensis dignitate, utilitateq; censeret. Qui ne diutius Vladislai desideriũ in ea rerũ necessitate remoraretur, anteq; edictũ aliquod de habẽdo delectu proposuisset, regiũ nunciũ traditis huiusce generis literis, mox à se dimittit, maximis itineribus proficisci iubet. Scander-

A præsidijs sine Scanderbego infirmis.

Pauli Duchagini pietas & liberalis promissio.

Pauli Duchagini dotes.

Nicolai Duchagini celebre factum.

Hungaricæ res Scanderbego ad cõsultandum cõmissæ.

Forma literarū & responsio Scanderbegi ad regem Vladislaum.

Scanderbegus Epirenſium princeps, Vladiſlao Hungariæ ac Polloniæ Regi, S.P.D. Accepi literas tuas lætia, deſiderioq; pari, Inuictiſſime Regum, quas quum in maxima ducum meorū frequentia legi iuſſiſſem, nemo omnium eſt auditus, qui tam iuſti belli occaſionē à te oblatam, non ultro adeundā cenſeret. Ita & publice omnes, & priuatim ſinguli dicere, gratius quicq; hodie à Dijs immortalibus ſibi tribui non potuiſſe, q; ut & optimū regē aliquo ſibi nō ingratorū animorū officio deuincirent, & rei Chriſtianę ſimul tā oportunā operā præſtarent. Gauiſus ſum maxime ipſe in ea meorū uoluntate, tū tua in primis, tū cōmuni cauſa, quū ita animatos pro Chriſti fide, & affectos tibi milites noſtros, & omniū generū ordines uel ſine ulla adhortatione mea uiderim, quanq; quis niſi Dijs pariter & hominibus inuiſus tam iuſtiſſimū bellū recuſauerit, ut nullus ſit religionis pudor, nulla cōmunis periculi ratio, pro eo rege, ad quē q; regnamus Chriſtiani, q; uiuimus, q; ſpiramus, q; loquimur, unice referre & poſſumus & debemus. Quis nō arma libens ſumpſerit? & in apertū etiā ruat diſcrimē pro Hungarię populis, quibus tanto malo ſanguineq; per oēs ętates Chriſtianę ſalutis defenſio ſtetit, qui uel ab ipſis propè incunabulis ęterni hoſtium noſtrorū hoſtes, Chriſtianę ſeſe dignitati iam inde deuouerūt. Vtinam uellet Deus Opt. Max. Vladiſlai, ut poſſem ipſe ad hoc pręclarū bellum tibi tantū afferre uirium, quantū ſum animi & cupiditatis allaturus, non iaceret diutius fortaſſe in eo ſqualore Europa, ab impio oppreſſa Amurathe: non uelut piaculo quodam aliorū fumarent totiens Hungarico cruore Baſilienſes ac Varnenſes campi, & Epirotico ſanguine omnis Macedonię angulus. Perſpimus iam omnes, dum quiſq; ſibi ſe tantum natum exiſtimat. Sed quid nunc ipſe mecum has inutiles querelas iacto, & nequicq; conqueror? Profecto neq; uirium me mearū pœnitet omnino, neq; ſi ſecundis Dijs acies tecum mihi ad tam fœlix bellum coniungere licuerit, fortunę noſtrę Chriſtianū nomen (ut arbitror) unq; pœnitebit. Ad ea nanq; xv. millia militum, quę in Macedonię finibus nuper Alybaſſam ſuderūt, totidē adjicere in animo eſt. Cum quibus q; primum integrum fuerit ad uos iter arripiam, ſigna tua in omnē euentum ſecuturus. Vale. Ex Croia, pridie Nonas Sextiles, M.cccc xliij.

Scanderbeg operam ſuā offert Vladislao

Baſiliēſes à Baſilia alias dicta Baltia. Vide Plin. li. 4. ca. 13. de inſulis Pōti

Scanderbeg cōſcribit exercitū Hungaro auxiliaturus.

Datis ad Regē literis, ipſe toto animo ad delectū faciendū ſe cōuertit. Copias quas cōtra Alybaſſam habuerat, primū omnium iubet inſtaurari, multi integri quoq; abſtinere ab eius belli apparatu, nihil prohibiti ab ipſo, ita neq; inutili alicuius, & omni uoluntariorum opera uſurum ſe ad eam rem ſtatuerat. Decreto inde per prouinciam interpoſito, mox decē millia hominum ſcripta. Paulus quē nuper in concilio uerbis declarauerat animum, factis tunc pulcherrime aperuit. Nam procedens inter primos, quinq; millia lectiſſimorū militum, ſecq; cum illis Scanderbego tradidit. Tunc domeſticis rebus, ac prouincialiū negocijs prius cōpoſitis, omni recenſito exercitu, Caſtriotus ordines diſtinguit, ac diuiſis, ut operęprecium uidebatur legionibus, ſuos quibuſq; ductores dicit, uelut iam inde bellum

inde bellum Hungaricū eſſet auſpicandum. Deinde pro uictoria ſupplicationes ab omnibus factę. Nunq; ab Epirotico bellicoſiori magis, q; religioſiori populo tot precibus Deus fatigatus. Ita ab ituro extra patriam milite nullis uotis pro reditu parſum. Sic diuinis humanisq; rebus rite peractis, abſtractus à patria miles, alium iam ſibi animum induerat. Sola Hungarici belli, ſola aſſueti, ac fœdi nuper in ſanguine hoſtis ſpecies ante oculos obuerſabatur. Magno itaq; gaudio iam Myſiæ fines intrabat ſignifer, quando uel fortuna immitis, uel immotus fatorum ordo, uel ſupplicio quidem propior apud ſuperos ſordium Chriſtianorū indignitas. Vnius hominis perfidiam excitet ad ea omnia impedienda, turbandaq;, & ſimul perpetuos Hungaris luctus, ac tam inſignē cladem nomini Chriſtiano infligendam. Erat hic Georgius Vuchouichius, de quo ſæpius mentio facta nobis eſt, tum eius prouinciæ princeps Deſpotes Seruiæ uulgo dictus, ita ſumpto uocabulo, uir (ſi quicquā iſta ad bonos mores prodeſſent, & corporis decore, ac maieſtate oris nō uulgari, facundia uero, ac ſermonis grauitate, ſi quis alius uenerabilis, familia nobili, uetuſtiſſimaq;, ætate quidem prouecta. Religionis autem & fidei (ne id ſcelerū eius omittamus) neglector, ut nullus fermè deorū cultus in pernicioſiſſimo hominis caderet ingenio, æque & Chriſtiana præcepta, & Macomethi leges ſpernebat. Semel quum diu poſt hoc Varnenſe prælium nonagenarius ſenex, Meumethem fugiens, in Hungariam ad auxilia petenda ueniſſet, agenti multa ſecum de Chriſti fide, Iohanni illi Capiſtrano reſpōdiſſe fertur, Laqueo citius uitam finire perſuaderi ſibi poſſe, quàm imbutas patrum traditiones relinquere: ſicq; abijſſe è conſpectu iterantem ſępius, malle ſe à ciuibus ſuis infœlicem principem, quàm delirum ſenem dici. Is igitur Turcarum tunc enixe partes fouebat, tum ob colloca tam in matrimonium Amurathi Cathaguſinam filiam, tum propter odium in Hungaros, Iohannem præſertim Ttranſiluanum. Cuius quum opera olim (ut in liberatione Scanderbegi ſupra retulimus) contra Amurathem adiutus eſſet, & in regnum reſtitutus, quædam Seruiæ oppida, quæ Hunniades in uirtutis mercedem retinuerat, non reddita ſibi, ęquo animo perferre non poterat. Quare audito Hungarici belli apparatu, & Scanderbegi aduentu, tranſitus ei omnes, uias & itinera præcluſit. Conatus eſt nequicquam Scanderbegus monere per nuncios Deſpotem, & leuioribus uerbis agere. Ne maleficio præoccuparet ſe, quando nulla ſubeſſet iniuriæ cauſa, & hoſtē uellet ex amico, uicinoq; ſimul, & totius Hungariæ, & Epirotica in ſe arma ſollicitare, à tergo, à fronte hoſtē omni tempore habiturum, niſi nunc ad ſe cum Vladiſlai copijs iungendum, liber legionibus ſuis pateret aditus, ne patiatur grauem aliquam iacturam rei Chriſtianæ, quæ & ſe pariter cum omni imperio exhauriat. Dum tantū ſiliæ eum amor Amurathi conciliat, ſatis & generi perfidiam, & Hungarorum beneficia expertum. Quum nihil prodeſſent hæc apud perditum hominem, neq; ullam niſi in armis ſpem erumpendi cerneret Caſtriotus,

Supplicatiōes factæ pro uictoria.

Irato Deo pugnare contra Turcam.

Georgius Vuchouichius atheos.

Pernicies Hungariæ.

Iohannes Capiſtranus.

Iohannes Tranſiluanus.

quamuis moleſtum erat,& periculoſum uidebatur iam inde belli labores ordiri,qui recentes ſuorum uires aduerſus regium ſeruabat exercitum, uiam tamẽ ferro aperire ſi poſſet,pulchrius eſt uiſum. Dum ſic in Myſſię finibus irritatus Epirenſis exercitus per multa incõmoda moram trahit, & Scanderbegi iter Deſpotes tardat magis q̃ impedit. Erupiſſet enim tandem,quamuis non incruento milite, & uiciſſet omnia pertinax ducis uirtus. Vladiſlaus interim tũ literis Scanderbegi erectus, tum magis fato trahente ductus Valachia tranſmiſſa,Danubioq̃ ſuperato, cũ copijs Chriſtianis Varnam attigerat,ut inde per plana locorum itinere faciliori in Romaniam ſignis infeſtis pergeret,campeſtris is locus eſt in Myſſię finibus ab alia parte ſitus,nobilis iamdiu tot exercituũ ſtrage, & inuiſum uel fortiſſimis bellatoribus ſolum,Amurathem tamẽ cum hoſtilibus copijs interim Hungarus alacribus animis,& ingẽti cupiditate expectabat, nullo loco ſatis temporeue detrectaturus pugnam,ubi hoſtis facultas ad eſſet. Turcarum exercitus ſegnior aliquantulum,præter ſpem omnium Chriſtianis occurrit: nam quum Amurathi Græcorum,& ſuorũ etiam, qui in Europa manebãt,fides ſuſpecta eſſet,exercitũ ex Aſiatico milite cõ parauerat: ſed quia claſſis Romana,Philippiq̃,freti traijciendi ſpem abſtulerat,diu inops animi trepidabat,magisq̃ conſulebat, donec Chriſtiani quidam (ſi uera eſt fama) ea Ottomanum cura exoluere, polliciti nauibus ſuis, accepta mercede,copias in Europam tranſportare, ſicq̃ in anguſto quodam loco,quod inter Propontidem,& Euxinum pelagus ſpacij interiacet,Europam ab Aſia diſcriminans,Aſianus tranſuectus eſt,aureo nummo à ſingulis uectori tradito, centum millia fuiſſe ferunt. Quũ tam immenſis copijs Amurathem aduentare fama præmonuiſſet, Vladiſlaus,cæteriq̃ auxiliarij principes de fuga agere cum ſuis ceperunt, & dum integrum eſſet,conſulendum ſaluti omnium,barbaro cum ea multitudine uenienti,ſine maxima totius exercitus pernicie occurri nõ poſſe. Vnius tamen Hunniadis ſententia uicit,qui per maximum cõtemptum hoſtis omnem ex ſuorum animis fugę memoriam aboleuit, quum exper tum ſe totiẽs Turcas diceret: Plus nominis ſemper,q̃ uirium ad bellum afferre conſueſſe,demptoq̃ eo nominis fulgore,fœminas certe fore,atq; longo interuallo Hungaris impares. Expectatus itaq; hoſtis eſt,quo uiſo,Hunniadem,qui cæterorum prius arguerat timorem, preſenti tamen re & periculo perculſum,fugam ſuaſiſſe regi ferunt. Multaq̃ hic de illo ſiniſtra uulgata ſunt fama,& quod in ipſo pugnę ardore, dum Vladiſlaus fermè uictoriam è manibus Amurathi extorſiſſet, cum decem ſuorũ milibus aufugiſſet,nonnulli auſi ſunt affirmare. Ego in re tam incerta maluerim ſequi illorum ſententiam,qui nuncij poſtea,& reliquię eius cladis ad Scanderbegũ in Macedoniam uenere.Hunniadem ęque uiſas ac auditas Turcarum copias contempſiſſe,in bello pari animo ac uirtute uſum, primoq̃ ferme impetu Europæ atq; Aſiæ præfectos maxima edita ſtrage,in fugam conuertiſſe,eosq̃ terga hoſtiũ cędendo late inſecutũ, donec

ex alia

Valachia.

Varna.

Romania.

Propontis. vide Pli. li. 4. c. 12

Euxinum pelagus.

Aduẽtus Amurathis in Europam centum millibus.

Hunniadis magnanimitas.

Nota Turcas ſemper plus nominis quàm uirium adferre ad bellum.

ex alia parte Vladiſlaus ſpreto Ioannis conſilio,qui illum è caſtris egredi prohibuerat,niſi ſe cum uictoria reuerſum uidiſſet,tum ſuorum quorundam funeſta adhortatione impulſus,qui dicerent Iohannem regis glorię inuidiſſe,& idcirco ab eo in caſtris relictum,ut omnis uictorię laus apud ſe foret,tamen ob ætatem impatiens. Adoleſcens enim erat caſtris infœlici auſpicio egreſſus in Amurathis cohortem impetu alacriter facto, aliquandiu circa munimenta hoſtiũ acrius quàm cautius dimicans obtruncatus eſt,caput eius haſta infixum,uiſumq̃,tum deſperatam iam uictoriam Turcis reſtituit. Tum Hungaros,Hunniademq̃ hoſtium tergo inſtantem,terga dare mutata fortuna coëgit.Fugientem eum poſtea in Seruiam,Georgius cepit,fœdeq̃ in uincula coniectum, non prius dimiſit, quàm illa,quæ diximus,imperij ſui oppida habuit. Hic euentus fuit tam memorabilis belli,quod uictoris certe q̃ uicti maiori emptum ſanguine perhibetur. Quamobrem Amurathem poſt exhauſta iam hæc pericula mœſtiorẽ uiſum, obiurgatum à ſuis dixiſſe ferunt: Nollem ſæpe ita uincere,poterunt merito me equidem cõqueri ſemper Chriſtiani de Deſpotis perfidia,qui Epirotica auxilia è prælio ſubtraxit. Vt nulla enim futura fuerit tot milliũ hominũ opera. Quid non excellens præſtitiſſet? Quam non traxiſſet belli fortunam à Scanderbego, adiuta Hunniadis uirtus? Quid eo præterea pulchrius ſpectaculum ulla uidiſſet ætas? Fortiſſimi milites ambo quando opus erat,idemq̃ optimi imperatores: Virium ui maxima,uigore animorũ pares. Fœlicior hic noſter bellator, fortunæq̃ maiori afflatu ſemper uſus, ut ex omni deinceps uitæ tenore apparuit. Prouectior Hunniades,& militia, & ætate iunior: hic prælia licet pauciora,ſecundo tamen omnia fecerat euentu, ſingulari certamine non minus quàm ordinario Marte aſſuetus,& fœlix. Militũ animis accepti ambo,ſed lætiori ingenio Scanderbegus. Hungaricũ ille ac Valachum militem nunquam fermè mutauit.Hic Italicorum opera frequenter uſus in rebus gerendis,& eorum conſilijs armorumq̃ uſu delectatus. Hoſtem niſi barbaricum non nouit Hunniades. Caſtriotus ex Italo bello, & Neapolitani regni liberatione non minus fermè quàm ex barbaricis triumphis nominis ſibi & gloriæ uendicauit. Poſtquam fama Chriſtianæ cladis iam ubiq̃ peruagata eſt,& Hungarorum exercitũ fuſum,deletumq̃, Scanderbego adhuc in Myſiæ finibus degenti,nunciatum eſt, dolore penè confectus,multaq̃ diu uoluens animo,iam conuerſis ſignis abire conſtituit. Ne tamen inultus ex omni parte foret dolor, & Georgij perfidia aliqua ulciſceretur re,mox infeſto exercitu, Deſpoticũ & hoſtilem agrũ irrumpens,lateq̃ depopulatus, omnia igni,ferroq̃ abſumpſit. Reuertenti in Epirum,paſſim Hungari,Polloniq̃,qui ex ea ſuperfuerant clade, ut quoſq̃ fuga fortunaq̃ ſua contulerat,occurrebant,quos liberaliter habitos,cultosq̃,& ut in calamitate tali pecunijs,ac multorum cibarijs dierũ adiutos,nauigijs impoſuit, qui Raguſium tranſportati inde in Hungariam reuerſi ſunt.

Vladiſlaus occiditur ſpreto Hunniadis conſilio.

Caſtriotus cladem Hungaricã ægre ferens agrum Deſpoticum diripit atq; incendit.

Scãderbegi humanitas erga reliquas cladis Varnenſis.

MARINI BARLETII DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, Liber Tertius.

Amurathes ſollicitatus à ſuis, ut bellum Scanderbego inferret, pacem ab eo literis fraudulenter doloſq; fruſtra petit.

AMVRATHES HVNGARICO EXERCITV DELE to, neq; uictoriam eſt ulla ex parte, neq; arridentẽ fortunam proſecutus, ita ut diminuti potius ex eo belli euentu, q; aucti animi eius uiderẽtur, & tot uno tempore clades alia ſuper aliam, abſtinere tam uictores ab omnis belli cupidine cogebãt. De Epiroticis itaq; rebus, quæ dilatæ fuerant, eo conſilio, ne duplici one re res Ottomanæ aggrauatæ eſſent, nihil actum eſt omnino: interrupit tamen omnia, accenditq; ſopitos, & ueluti oblitos iam iniuriarũ animos recentibus irarum ſtimulis, nouus ac frequens nuncius, nunc à Deſpote, nunc à Macedoniæ finibus. Hoſtilibus undiq; armis, atq; Scanderbegi exercitu omnia deleta, deſertaq; ferebantur. Iam non agrorum, non uillarum eſſe, non cæterarum rerum ueſtigia, cuncta ferro abſumpta, incendioq; arſiſſe, agreſtes trucidatos, niſi quos fuga ſeruauerat, Chriſtianum exercitũ præter ſubitaneas quaſdam & leues excurſiones iam bis totis ſignis impune irrupiſſe, & tantum abactum prędę, agreſtisq; patrimonij, quod ex ea ſola pecunia cõmode ſit Caſtriotus Ottomanum longo bello pulſaturus: Res Chriſtianorum florere indies magis, ociosos agreſtes, nunq; culturam agrorum omiſſam, omnium rerum illis affatim copiam exhiberi, ſe præter hoſtem aſſiduum, famem quoq; iamiam imminentẽ timere, quia tot excurſionibus ſementem facere prohibiti ſint. Georgius quoq; querelis cuncta repleuerat, & generi auxilium implorauerat, ſe deſperatis fermè rebus Turcarũ nõ deſuiſſe, eorumq; pericula ſuo diſcrimine & ſanguine propulſaſſe, quibus uix ope deorum omnium conſuli potuiſſet, & imminens exitium Ottomano imperio, imperij ſui corpore protexiſſe, Epiroticas copias diutius translato in ſe bello, ne Hungaris ab altera Myſiæ parte expectantibus iungerentur, maximis prouincialiũ incommodis ſuſtinuiſſe, arcuiſſeq;, ac corpora ſuorum pro munimentis Scanderbego oppoſuiſſe. Cogitaret in quo ſtatu res Turcarum nunc, niſi Epirotica auxilia Hungarico bello eius diligentia fuiſſent ſubtracta, quando ſolę Vladiſlai copię tam cruentam ſibi uictoriam fecerint: nunc ſe quod miſeratus fuerit eius fortunam ad Hungarorum odia, ueteresq; ſimultates Scanderbegi quoq;, & uicinorum in ſe omnium arma conciaſſe, pœnamq; immerito eius beneficij luere, Scanderbegum non Amurathem uictorẽ uideri ex Hungarico prælio, ita compoſito agmine nunc ſuis, nunc eorum finibus inſultare, nihil iam ſe uſq; præter omnia hoſtilia aſpicere. Medium quodammodo inter Hungaros, Epirotasq; bellicoſiſſimos populos imparem fore eorum uiribus, ni gener curam eius ſuſciperet, quem ipſe in anguſtiſſimis rebus tanto beneficio præoccupaſſet.

Georgius Deſpotes.

Mouerunt

Mouerunt maxime omnes tum prouincialium querelę, tum Deſpotis recens meritum, Scanderbegi præterea uires tunc opprimendas, & opprimi tutius poſſe rebantur, ne ſenſim per ruinas illas agrorum, & tot oppidanorum uexationes totius uendicandæ Macedoniæ occaſionem quæreret. Odium eius in ſe, ac efferatam rabiem ſatis ex eo nuper percipi potuiſſe omnes dicebant, quod omni fermè præſidio prouinciam exhauſerit, & uacua omnia cuſtode reliquerit, ut ad eorũ nomen delendum Vladiſlao cum copijs ſuis præſto eſſet. Ni cito reprimatur ea ferocia, cæterorum Chriſtianorum continuo arma in ſe ſollicitaturum. Propior itaq; ad bellum erat Amurathes, & è ueſtigio delectum, armaq; iuſſiſſet: ſed quia tum magna ex parte militaris ætas Hungarico bello exhauſta erat, & Alybaſſę fortuna recentis adhuc cladis memoriã refricabat, tum quia iam ſenior ipſe in quiete reliquũ uitę tempus tranſigere cupiebat, tã uanũ q; nouum conſilij genus eſt meditatus, quo notis artibus, ac fœlici totiẽs apud alios mendacio, captaret hominem, quẽ armis ſuperare non poſſet. Non extraneum me equidẽ fore duxi, neq; ingratum forſan legentium animis characterem literarum Ottomani hoc loco contexuiſſe, quibus Scanderbegi ingenium ſollicitare, & in oẽs partes uerſare conatus eſt.

Literæ Amurathis Ottomani ad Scanderbegum.

Amurathes Ottomanus Turcarum princeps, atq; Orientis Imperator, Scanderbego alumno ingratiſſimo nullam ſalutem D. Officia, quibus te ornarem omni tẽpore, dum apud me ageres, nunq; defuerunt mihi, Scanderbege hominum ingratiſſime. Verba nunc quibus alloquar, deſunt, ita multiplici tu ſcelere perfidiaq; animum meum offendiſti, læſiſti dignitatem, ut quo ſim genere orationis apud te præſertim domeſticũ uſurus, nec conſilium, nec modus ſuppeditet. Neq; enim uel atrocior ſermo demoliturus eſt ferox ſuapte natura ingenium, uel mitiori tu dignus oratione, qui feritatem omnem longe ſuperaſti, & ne quam mei iritandi omitteres, eo es nuper amentiæ progreſſus, ut uel propria incommoda, & ciuium tuorum ſalutem Hungaricis contra me ſumptis armis poſthabueris. Piget proloqui alia, & uelut uulnera quædam attingere, ſi modo obliuiſci unquam pateretur animus, uel ſilentio tegendæ forent tot nefariæ tuæ fraudes, & ingratiſſimi animi exempla. Monendum tamen aliquando, licet ſero fortaſſe duxi, ne ea te ferocia præpropere cum tuo iſto funeſto imperio præcipitem agat, & tunc diutini huius erroris confeſſionem exhibere uelis, quum iam nullam tibi opem deſperatis rebus omnibus reliquam feceris. Satis tot tuas hucuſq; iniurias pertulimus: ſat multis Ottomanum imperium contumelijs laceſſiſti, & tot ad mala patientẽ me ſatis præſtiti. Impune tibi proditus ille in Hungaria exercitus ceſſiſſe exiſtimas? Impune tot direpta in Epiro à corpore imperij mei oppida, & cæſa præſidia? impune & hæc (recentiora loquor) ceſſura credis? de letum Alybaſſæ exercitum, tot agrorum uaſtationes & incendia? Noſ uiterq; adiutos, quantum in te fuit, Hungarici belli tumultus, ac Georgij ſoceri, quod te abſtinere ab imperij ſui limitibus uoluiſſet, late depopulatus ager

Catalogus malorũ quæ Scanderbeg intulit Turcæ.

tus ager? Resipiscas tandem aliquando improbe, neq; expectes diutius quorsum sit hæc indignatio mea eruptura. Ne leuiuscula hæc secundarum rerum incrementa eo stolidum desiderium prouehant, & acuant libidinem, ut miserabilior postea fortuna tua uel infenso cuiq; atq; ipsi mihi misérationem commouere queat. Memineris aliquando (si quid iam residet in perdito ingenio humanitatis) meorum officiorum, ne tam male in te locata longius deplorem. Quamuis non ciuilis sit animi, comme-

Turca ingrati tudinis accusat Scanderbegũ.

morare ea, quæ in aliquem liberaliter conuleris: Ingratissimi tamen est, præteritorum meritorum sic facile obliuisci potuisse. Quare nõ possum non dolere hoc loco sortem tuam Scanderbege, & miseratione quadam affici rerum tuarum. Vt enim omittam animæ salutem (id quod tu ad extremum perditus homo pro nihilo habes) ut spretas Macomethi leges,

Macomethi leges.

& contemptum à te diuinum Prophetam, prę Christianis superstitionibus taceam. Quid eorum, quæ magis cæca hominum ingenia delectant, defuit unq; à me tibi, hasce pauperis regni tui sordes tanti hodie æstimanti? An arma, an equi, an longus seruorum ordo, an pecuniarũ, rerumq; cæterarum superfluentia, quę omnem ætatem solent allicere, an exercendæ uirtutis, & totius glorię materia tibi deerat? An domi militiæq; negatę dignitates, prefecturæ, & cuiusuis generis pares tuę ætati honores, in aula demum quis te unq; charior mihi? quæ acceptior indoles non peregrina tantum, sed magis intima domesticaq; unq; fuit? Qua diligentia, institutioneq; infantem fermè ad me delatũ, educare curaui, & bonis artibus, ac optimis moribus alui, auxiq; crescentem indies uirtutem, tum præmijs, tum omnimodis laudibus, & ita bellico decore (quo nihil pulchrius est in rebus humanis) omni tempore exornaui, ut nullo certaminis genere, uel notior apud me miles, uel dux clarior haberetur. Pro hisce tu beneficijs eum te exhibes hodie Scanderbege, ut non modo non quem putáram uirũ, sed pestem quandam intra parietes meos aluisse uidear. Sed age patriæ te amor sollicitabat, quam si à me petisses, negaturus ne tibi eram, quum iam toties, si meminisse potes, ultro eam tibi promiserim? Maluisti tu tamen eam per maleficium ipse, q̃ à me beneficio habere. Habeas igitur Dijs approbantibus, neq; me reprobante, & profecto qua sum animi clementia erga quoscunq; mihi aliquo tempore familiares, & cognitos, omnium nunc ipse tibi ueniam trado, non tuo præsenti merito, quod nullum est, sed quia & in hoc publico odio, tum priuatim in te collati officij, tum præstitę tuę olim in rebus meis fidei libet meminisse, quando quidem multo diururnius tempus fuit, in quo seruiuisti, q̃ in quo offendisti. Croiam & regnum paternum tibi, licet nefaria fraude uendicaris, concedimus ea lege, ut cętera Epiri oppida, quę nullo ad te iure pertinent, sed uirtute ipse quondam mihi, ac belli fortuna quæsiui, ultro restituas. Mysforum res socero meo incorruptas, quoad magis fieri potest, quamprimum reddas, & cætera, quæ absunt, æstimata pecunia rependas. Deinceps q̃ in omne tempus, tam eum, quem nos amicum habuerimus

buerimus, uiolari à te, quàm hostes meos aliqua iuuare opera, nefarium censeas. Sic & Turcarum odia effugies in perpetuum, & idem erit apud me tibi amoris, & beniuolentiæ locus, qui antea fuit, nisi malueris malo edoctus tuo, tum pœnitentiæ frustra locum quærere, cum audacia istęc tua & ferocia me præsentem implacabilem ultorẽ habeat. Nosti iam uires meas, nosti exercitus robur. Habes ante oculos Hungaricæ fortunæ non leue documentũ, quare longiori admonitione non indiges. Cęterũ quicquid es ipse facturus, scribere te ad summum uelim. Poteris etiã cũ Ayradino nostro coram agere, homine & certo & fideli, à quo & alia plura audies, quæ non sunt literis commissa. Vale, si sapis. Ex Adrinopoli xvij. kalen. Iulij, à generatione Iesu M.cccc.xliij.

Ayradinus.

Inanibus literis fides non habita à Scanderbego, sed spretæ ęque cum ipso autore sunt. Non defuerunt tamen, qui dicerent, à præsenti Amurathis consilio, dolum omnem abfuisse, necessarioq; id timori ascriberent: coactum tyrannum ad hasce pacis conditiones propter Hungaricũ metum, & grauiorem iam senectam deuolutam fuisse. Meumethis quoq; filij ætatem imperij oneribus imparem sollicitudinem patris intendisse. Scanderbegi præterea uires ex recenti illa Alybassæ clade metiri, simulq; fidem tot Epiri populorum in illum, ac gratiam eius apud Christianos principes indies crescentem, uereri, mentiri tamen illum, dum restitui sibi oppida illa, & Epiri partem, dum refici damna sociorum à Scanderbego dissimulato pauore petit: multa proposuisse iniqua, ut aliqua ęqua ferat: eam habiturum pacem, eas conditiones subiturum, quas dederit Castriotus: neq; de amissa iam Epiri possessione, aut Mysiorum rebus mentionem facturum amplius, dummodo ab armis abstineat Epirensis. Componi autem eo modo cum Ottomano, & inducias aliquas fieri, nec inutile, nec indecorum fore, quũ ipse prę sertim prior ad hoc inuitasset, & alioquin ad multas prouincialium commoditates id facere, bellorũ euentus incertissimos esse, stolide arma paci præponi, nõ fidendum fœlicibus primordijs fortunæ, & Hungaros plura q̃ se aduersus Ottomanum fœlicia prælia gessisse, nunc tamen recenti illa obrutos clade ingentia damna frustra recensere. Occupandum potius hostis animum, beneficio aliquo q̃ iritandũ longius, si pax ab eo ultro quęsita spernatur. Scanderbegus tamen in ea paucorum sententia (licet & uera aliqua dicerentur) improbare audacter eorum consilia, conquerią, q̃ Ottomanas artes Epirotica gens omnium ultima, maximo suo malo scitura foret, Amurathes inanes literas, inaniorem quę sibi haberetur, fidem inuenisse, Spectatorem Ayradinum apud stolida ingenia suorum oratorem censeri, & caduceatorem missum, adhuc & si nihil eorum timeatur, & omnia sint propiora uero, quid tantę leuitatis esset, q̃ hosti magis etiam q̃ rebus suis credere, & ab aliena fortuna, belli, pacisq; consilia mutare, quũ à sua possent: Fateri se, & Amurathem effœta iam ætate, & Turcarũ perniciem, in Varnensi prę lio, & alia, quę ad deponenda tunc barbarorũ arma maxime inuitent, sed

Inanes literæ.

Per Epirẽsem Scanderbegũ intelligit.

Non fidendum fortunæ primordijs.

nunquid ea ad deprimendos Epiri animos proficerent, uel tollendos magis? An ad eas pacis conditiones ſubeundas, quas uictus hoſtis uictoribus offerre audeat? Neq; momentum fieri, q̄ admittendas quaſdam, reſpuendas alias dicerent, utroq; modo fœdiſſimā pacē futurā, neq; effici poſſe, ut Ottomanus pauorem animorum & diffidentiam eorum nō cognoſceret. Agerentur tñ, quieturum crederent aliquantiſper Amurathē, dum nondum omnino ſedatos Hungaricę cladis tumultus, & exoriētes iam ignes extinguat, pace interim ſua gauiſuros Epirotas, quouſq; plenis uiribus, totoq; bello in eos uerſo, nequicq; uiolatum fœdus prætendentes opprimat, neq; tñ eam eſſe ętatem Ottomani, quę adhuc ad bella gerenda nō ſufficeret, conſilium ſpectari in Imperatore, nō manum, prudentiam q; ducum ſe magis, q̄ promptam bello dexterā, ac ſtultam, infœlicem q; temeritatem ſemper timere cōſueſſe. Manere in effœto corpore uegetū ingenium, hoſtilesq; ſpiritus, ſed & ſi nulla eſſet Amurathis opera, nō hoſtem ſibi ideo defuturum. Breue prętera cōmodum pacis cum morti propiori ſene fieri poſſe, erupturum in maiores apparatus ferox Meumethis ingenium. Se igitur pacē, quū arma utiliora eſſent: bellum, quū ocium mallent, habituros. Nihil tunc, niſi Turcarum cōmodis conſuli ab Epirenſibus, quę ratio eſſet expetendę pacis, quū uictoriam in manibus haberent, quum hoſtis apertam confeſſionem cernerent? Cur nō fortunę ſequerētur afflatus, & oblata ultro fruerentur occaſione? Cuius ſi præteruolaſſet opportunitas, omiſſam poſtea, nequicq; ſint dolituri. Turpe tum de pace fieri mentionē, quum uix uulnera ex recenti illo Alybaſſę prælio coaluerint uiris. Recuperarent prius auorum ſedes, & tot populorum ſuorum libertatem uindicarent. Tum demū pacis conſilia honorifice, uel proponi, uel admitti poſſe. Adeóne Vladiſlai clades tam inſigne illis documentum pauoris dediſſet, ut magis Epirotarum animos, q̄ Hungarorum ea belli fortuna ab armis alienaſſet (ferebantur nanq; incertę quędam uulgi uoces, Hunniadem ad delendam illam Varnēſem ignominiam, animum conuertiſſe, & tacite de inſtaurando exercitu cogitare). Commoti ſunt maxime ex eo omnium animi. In hoc igitur, ſicut & in alijs rebus obtemperatum Scanderbego, quin pœnitebat homines aliquid eſſe eloquutos, quod ipſe non probaret, ne cuius belli conſilia ſecuti eſſent, ea in ulla rerum ſuarū fortuna aſpernari uiderentur. Caſtriotus itaq; primum omnium Ottomani nuncio ad ſe uocato, pluribus cū eo egit, nunc omni teſte ſemoto, nunc palam ſuorum audiente concione multa, tum publicarum, tum domeſticarum cladium enumeratione de Amurathis perfidia eſt conqueſtus. Dehinc illo perbenigne habito, lautiſſimeq; per aliquot dies accepto, & pari animo, fiduciaq; (ne timoris alicuius ſibi ipſe conſcius exploratori, quem putabat, uideretur) ducto per ocium ſecum ad munimenta ſingula, & militum ſtationes uiſendas, ac omnem caſtrorum formam contemplandam, cum huiuſmodi ſententiæ literis illum à ſe dimiſit.

Conſiliū in Imperatore ſpectandum, non manus.

Athleta

Athleta Chriſti Georgius Caſtriotus, aliâs Scanderbegus, Epirotarū princeps, Amurathi Ottomano Turcarum principi S. D. Superaſti olim tu me (ut ſcribis) multiplici genere officiorum, Ego te hodie modeſtia, & linguæ temperamento uincam. Neq; enim quicq; tam ſeruilis ingenij eſſe puto, q̄ uel apud infeſtiſſimum hoſtem ea fœditate ſermonis, & petulantia dicendi abſtinere nō potuiſſe. Quare & literas tuas, & nuncium æquo animo accepimus, uidimus q̄, & riſum (ut uera fatear) magis excitarunt mihi tuę literæ, quam mouerunt ſtomachum, dum uel in ipſo ſtatim dicendi ingreſſu tantæ ingratitudinis & perfidię audes me inſimulare, & rurſum leniori quodam ingenio ductus animæ meę iacturam reenſes, miſerrimi fati tui ignarus, ac longi erroris ſtudioſus defenſor. De mum q̄ nullo belli iure ordineq; rerum ſeruato imprudenter, ne dicam impudenter, tanq; uictor uicto multas pacis cōditiones proponis, & eas preſertim, quas libere aures uix queant audire. Ego quidem Amurathes, quamuis tot tua maledicta poſſent, uel patientiſſimum quenq; ad maledicendum armare, concedo tamen aliqua ętati, & liberiori ſenis ingenio, dolori reliqua, quem difficile eſt temperare, præſertim quod ipſe non iurgijs tecum, conuitijs q̄, ſed armis, & iuſta belli ira certare inſtitui. Quid tamē, quæſo Ottomane, ita Deos homines q̄ accuſas, quaſi prior ſis à me hoſtilia paſſus, non prior intuleris? ita ne neceſſariam à te defectionē perfidiam appellas? Scelus obijcis mihi, recuperatam ingenio & uirtute patriam? Sed age obijcias, nihil enim recuſo, ut horum me reum criminū in omnia ſecula efferas. Officia quoq; in me tua, quæ longo ordine recenſes, cōmemorasq;, recordarer & ipſe libenter, ni ingentium omnium malorum memoriam hæc traheret ſecum cognitio, quę ſi forent inuicem cō penſanda obrueretur ſanè maioribus undecunq; maleficijs tanta magnitudo tuorum meritorum, reputare tamen ea tecum te ipſum, q̄ me referente erubeſcere malo. Miretur ſanè illud unū unuſquiſq;, qui ſciat, quomodo aut ipſe ad ea patienda ſuffecerim, aut te non aliquo tempore tantę crudelitatis, odiorumq; ſatietas ceperit. Abſtuleras regnum paternū mihi, necaueras fratres, meq; ipſum nihil tale timentem, iampridem neſariæ morti deuoueras, & nouum adeò nunc uidetur Amurathes, quod tunc non immemor libertatis animus tantę ſeruitutis effugium aliquod conquiſiſſet. Quouſq; tandem dominationē tam ſuperbam laturum me putaſti? Pertuli tamen multa diutius, neq; iugum apud te ullo tempore detrectaui. Pericula publica æque ac priuata, tum ultro ipſe, tum iuſſu tuo adij per omnem ætatem. Serebantur colloquia de te quotidie, & frequēs apud me erat de inſidijs tuis ſermo amicorum. Ego tamen & uerbis & factis tuis fraudem omnem abeſſe diutius credidi, donec improba ſeſe conſilia late aperuerunt. Diſſimulaui tunc & ipſe totus in tuas artes uerſus, quouſq; aliqua uendicandæ libertatis occaſio affulſiſſet. Nihil eſt igitur quod doleas nunc, quum tuo (ut aiunt) perieris exemplo. Parua tamen hæc Ottomane ſunt inſtar eorum, quæ ſpe ac animi cupiditate concepi.

Reſponſio Scanderbegi ad epiſtolas Amurathis.

Vult modeſtia ſuperior eſſe.

Diluit obiectionem de ſcelere & ingratitudine.

Libertas.

Omitte

Omitte itaq; imposterum acres istos minarum aculeos, & Hungaricæ fortunæ nobis toties subijcere desistas exemplum, suum quisq; animum habet, mi Princeps, suum genium, & nobis ea fortuna, quam Dij dederint, patienter erit ferenda: interim tamen neq; consilia rerum gerendarũ petimus ab hoste, neq; pacẽ ex te, sed uictoriã Dijs propicijs quærimus. Vale. Ex castris nostris, pridie idus Sextiles. M.cccclxiiij.

Victoria.

Quum literas Castrioti inspexisset Ottomanus, & ab Ayradino reliqua eius consilia didicisset, nihil quidem eorum, quæ nunciabantur, lęto animo audiuit, sed tum ferox, ac libera uiri oratio, tũ fiducia ingens, quã non ex nihilo conceptam putabat, magis pauorem quendam iniecit, cęq; irritati eousq; animi indignationem acuit, & difficultatem belli Epirotici iam inde ominatus est Amurathes. Ne tamen suis tunc aliquod trepidationis signum præbere uideretur, dixisse ferunt senile mentum sæpius demulcentem, ac ridenti similem: Cupis cupis improbe speciosum aliquod læti nomen. Dabimus, dabimus (mihi crede) aderimus ipsi alumni exequijs, & præsentes iniusti pompam funeris, maxime rex Albanorũ prosequemur, ne unquam apud inferos ignobili te functum fato conqueri possis. Hærebat tamen consilium tyranni in ea rerum difficultate. Nam orientes quotidie rumores de Hunniade, & frequentes à perfido Despote nuncij, quem duplici iam insignẽ proditione, nimis inuidiose fata tanto Christianorũ malo eousq; pernicioſum senem seruauere, aliò eius animum trahebant, & integrum in Epirum bellum conuertere prohibebãt. Ne tamen inulta tum foret omnino, spreti recẽter fœderis iniuria, statuit interim ocium saltem, & pacem turbare Scanderbegi, si tollere nequiret, opportunum maxime ex eo id genus consilij ratus, quod negligentiam quandam ortam apud Christianos ex tot benegestis rebus audiebat, & Scanderbegũ dimisso exercitu toto milite populabundum, tota die à castris procul intrepide solitum uagari percipiebat. Accersito itaq; Ferisio, uno ex præfectis suis (id erat nomen barbaro uiro) & ferocis ingenij, & ad omnia impigro, nouem millia lectissimorum equitum ei tradit, multisq; oneratum promissis, si uoti cõpos uictoriam retulisset, in Epirum, quo maturius posset, & cautius, ut prius hosti uisus, quàm auditus foret, proficisci iubet. Idcirco neq; delectum tunc maiorem haberi uisum Ottomano, ne uel dispendium esset in mora, uel rumore præeunte excitatum Christianus consilio adhibito periculum caueret, ac nouas (ut postea docuit euentus) artifici tenderet insidias. Verumenimuero dum hæc ipse tã affirmo audacter de uarijs consilijs Amurathis, tum in bellorũ externorum cura, tum de ipsa imperij gubernatione, non defuturos multos reor qui mirentur de eo hanc nostram ab alijs uarietatem sentiendi, & sedulo quærant, unde in tam alienum opinionis genus mutuatus. Quum recens multorum affeuerantium sit memoria (id quod scriptis etiam aliorũ posteris testatum licet intueri) seniorem Amurathem mox illo ad Varnam expedito bello plura tum de incommodis regnantium, tum fortunæ temeritate

Negligentia apud Christianos ex rebus bene gestis.

Ferisius cũ 9. millibus mittitur cõtra Scanderbegum.

Sententiæ uariant de imperio Amurathis.

meritate conquerentem, cõpositis tamen prius rebus domesticis, ac Meumethe filio maiore natu re sub Calybassæ cura constituto, imperio se penitus abdicasse, & Adrianopoli relicta, in Asiam profectum, ibi pondere omni rerum publicarũ omisso, religioni cuidam patrio ritu, retentis paucis secum, eius consilij socijs, se abdicasse, neq; absedisse prius, quàm auditus Transiluani ad Sophiam fuerit aduentus, & crebrę populi querelę eum reuocassent, quum imparem ob ætatem ei oneri Meumethem iactarent, & Calybassę priuatis sanè auspicijs defutura obsequia militũ, & obedientiam in bello dicerent. Ego quidem miror præcipue, unde tantus error in re presertim tam recenti habuerit originem. Neq; enim ita temerarium in eo nonnullorum sermonem, & grauissimorũ scriptorũ consiliũ omnino uanũ dicere ausim. Vnum tñ illud intrepide possum affirmare, & meo iure contendere, & superiores fuisse ex Adrianopoli Amurathis nomine missas literas, & Ferisium, ac plures alios præfectos post tentatã nequicq; pacem, eo decernente, in Epirũ irrupisse, sed nõ ex eo eius erroris processit uis. Nullus enim temporũ cõfunderetur ordo, si ista quoq; ab Amurathe, antecq; renunciasset imperio, transacta cõcederemus. Illud profecto quiescere non sinit animũ, q; uel mortẽ ipsam tyranni ex Epiro in Asiam tam imprudẽter uideo translatã, quo quid uero alienũ magis? Quum Croiensem obsidionẽ seniles hausisse spiritus mortalium inficiatur nemo, & extincti ob doloris impatientiam Ottomani laudem omnis deinde ad Scanderbegum sine uariatione retulerit ætas. Legentium tñ æquitas hæc singula libet, & ueri totius similitudinem ex diligenti adinuicem computatione temporum eliciat. Nos interea ad Ferisium reuertamur, qui silenti admodum agmine Macedonię fines intrârat, & cõceptæ iam uictoriæ præmia tumido ex tanta spe animo nequicquam impartiebatur, hostem ubicq; circunspectans obibat, omnia prædoni ipse magis, quàm hosti similior, non tamen potuit famam aduentus sui præuenire. Admonitus nanq; Scanderbegus de singulis à locorum custodijs repente (utpote qui semper agmine ad omnes casus composito ibat, & temporis & loci captata occasione uallem quandam angustam Mocream appellant, solus barbaro transitus patebat, prior occupat, & armato implet milite. Appropinquabat iam Ferisius, & densior equorum incessu oriens puluis signum iam uicini hostis erat. Nostri eodem silentij tenore expectabant, donec intrantem iam festiue barbarum, & à dumosis syluarum iugis, ac saxorum undicq; crepidine implicitum equitem conspexere, tum unà omnes eruptione facta, insperati sese offerũt hosti. Pedites, quorum mille & quingentorum erat numerus (iam & equitum duo amplius fuere, sed horum tum ad aliud utilior seruabatur opera) satis fermè uel loci solius incõmodis uictũ hostem, à tergo, à fronte, à lateribus adoriuntur, cæduntq;. Turcæ nihilo gradu dimoti, quem primo hostis impetu tenuerant, enixe aliquandiu pugnantes retinuerunt, donec uictorię aliqua spes affuit. Equorum tamen impedimentũ maius cq; auxilium erat uiris, qui tandem

Computatio temporum.

Aduentus Ferisij cum exercitu in agrum Albanum, cædes exercitus eius, irruptio Castrioti in agrũ hostilem.

Mocrea.

qui tandem & ſibi & dominis exitio fuere, ita ũtelut obſeſſi plura multo uulnera accipiebant, quàm dabant. Et quum nullum iam periculi effugium appareret, obſtinationibus ſemper animis ad mortem uſq; ab illis certatum eſt, omnis q; ferè poſſeſſum ſemel locum moriens occupauit, præter paucos, quos uel fœdà uitæ cupido, uel neceſſarium magis in re conſilium, quum eum ſtolidę potius q̃ honeſtę mortis appetitum ſpernerent, ſupplices abiectis armis ſaluauit, & cõciliauit uictori. Capti igitur ſeptingenti ſexaginta: Occiſorum maior pars fuit. Ita barbarus dum ad prædam properat, prædę ipſe fuit, & lętum præbuit hoſti male conceptæ uictoriæ documentum. Feriſius cum reliquis copijs, quũ interceptam primam ſuorum aciem, & occupatum interim ea gloriæ materia hoſtem uidiſſet, immemor præceptorum Ottomani, & inſitæ ſuopte ingenio ferociæ, ſtatim terga dedit Chriſtiano, maiorem adhuc uim periculi, & numerum hoſtium in re tam ſubita, & eo locorũ habitu ratus, laudabilius uociferans peritus belli dux aliquos ſaluare, q̃ perire omnes, & ubi præſertim uelut iumenta præberent iugulum hoſti. Non tulit tamen uel fugam eius incruentam Caſtrioti eques, ſed inhęrens ſemper fugientium tergo, plures moratorum occidit, lateq; ſecutus eſt, donec magis laſſitudo uires hauſit, quàm inſtandi facietas animum cepit. Ita expeditis omnibus, & fugatis hoſtibus, ſine multis ſuorum uulneribus, tunc in hoſtilem agrũ toto agmine irrumpens Scanderbegus, aſſueta prædę dulcedine, militũ deſideria expleuit. Feriſij euentum nihilo lætior Muſtaphæ fortuna excepit, nam Ottomanus percepta cæde ſuorum, & auditis Scanderbegi inſidijs, quum neceſſariam, nedum utilem fugam ſuorum fuiſſe uideret, & nullum ſibi reprehendendi ius in tam opportunis eorum conſilijs fortuna faceret, acriori percitus in Scanderbegũ ira, neq; dies, neq; noctes patiens quietis animus, odium omne, & conſilium in unius uiri perniciem uerterat, ac nihil magis, q̃ Epirenſes campos, ubi tot ueterum & recentium iniuriarum cupitæ tamdiu ultionis materia adeſſet, ignara proprij mens mali optabat, ita occulta quædam uis fati timidam ſuopte ingenio ſenectutem trahebat. Quia tñ exoluendi doloris propter uulgatos Hungarorũ motus facultas tũ omnino nõ ſuberat tenore eodem indignationis Hunniadi glorioſus ſenex maledicebat, pariterq; minabatur, ſalutare dictitans Epiroticis rebus, id genus belli Hungarici nõ ſemel fuiſſe. Sed ne inulta iacerent penitus fortiſſimorum militum corpora, & recens ſuorũ ſanguis, præſertim quod ab inſidijs utili priorum exemplo ſatis prę caueri poſſe exiſtimabat, & non ulla hoſtis uirtute, ſed locorum iniquitate, uictam nuper ſuorum aciem, ac Feriſij copias dicebat. Muſtaphę pręfecto (cuius frequenti poſtea & infœlici in eis locis opera ſæpe uſus eſt) eius rei curam demandauit. Supplementũ ad Feriſij copias habere, & augeri numerum iubet ſex millibus additis. Mandat deinde ſedulo, ne interiora Epiri loca, ubi ſtatiua hoſtium, & certius periculũ eſſet, ullo uel conſilio, uel bene gerendæ rei ſpe ductus adiret, fines tantum prouinciæ hoſtilis deua-

Fuga Feriſij cum reliquis copijs.

Muſtapha.

Ottomanus glorioſus ſenex maledicit Hunniadi.

ſtilis deuaſtaret, Satis glorię cenſere relatum iri, ſi arbores interim, ager q; Epiroticus ferrũ uictoris ex aliqua parte ſentiat, & igni deuaſtetur. Monebat ita Ottomanus, quaſi prædici poſſent audientibus, quæ armatis poſtea eſſent agenda. Nihil tamen eorum diligens poſtmodum pręfecti cura omiſit, quin opportune plura adiecit, ſitu locorum, & regionis natura inſpecta: ut primum enim hoſtili ſolo ſigna ſunt illata, ipſe aperto nuſquã campo digrediens, trecentos equites ad obequitanda & perluſtranda late loco ſingula, ac rimandas inſidiarum latebras nihil moratus, præmittit, iuſſos, ut ſi quid inuenirent periculi ab hoſte, reciperent ſe mox inter ordines, uel paulatim decepto eo inſtandi ſtudio pelli ſe uſq; ad deſignata loca caſtrorum paterentur: ita & caute agi, & hoſtem tacite ad pugnam extractum opprimi poſſe, ratus, quem neq; pauciorem iure timere poterat, neq; numeroſiorẽ in re tam ſubita excíri poſſe credebat. Quũ igitur ſollicitus eques ſingula perluſtraſſet, & tuta omnia, ac uacua periculo nunciaret, barbarus quatuor equitum millibus ſecum retentis, ſpecie quadam caſtrorum, locum ipſum quo cum ſignis erat moraturus, tũ ad prædam conuehendam, tum ad omnem uarietatẽ fortunę undecunq; ſeptum munimentis & armatorum robore firmat. Editior ibi aliquantulum terrę tumulus in collem aſſurgens, ualidiora eorum munimenta, ac difficiliorẽ hoſti aſcenſum faciebat. Sic habita cura caſtrorum, cuſtodias deinde per quędam mõtium iuga cũ certis ſignis diſponit. Tum reliquũ equitatũ intrepide ingentẽ rerum omnium ruinã ſecum trahentẽ in campos hoſtiles immittit, admonitis prius omnibus per prędonem, ut qui ad tubę ſignum auditũ, cum receptui caneretur, in caſtra nõ cõuolaſſet, perinde haberetur atq; hoſtis. Diripiebatur iam pulcherrimus ager, & ſub barbarico ferro arbores et ſata omnia late cadebãt, gemebantq; uelut prata, ac fumantia uillarum incendia patentia late ultorẽ aliquẽ appellare uidebantur. Semente omni equitis ungula pertuſa (autumni nanq; tẽpus erat) iam inde miſeros agricolarum labores innoxia tellus fruſtratura apparebat. Nihil integrum relinquebatur, quod ferro poſſet ignéq; abſumi. Vilioris agreſtium patrimonij pręda abunde ſuperaret, hominũ modica, rarus nanq; ibi cultor, propter hoſtis uicinitatem habitare audebat, & eorũ plures cũ coniugibus & liberis, omniq; familia, precioſioriq; peculio, in oppida uicina cõfugerant, dum ſic ferox Barbarus id genus uictorię Dijs ipſis infeſtus ſequitur, & nullo fatis digno precio, modo huc, modo illuc excurſans prædę cupiditate tempus conterit. Caſtriotus interim, licet ſerius aliquantulum de his admonitus, cũ quatuor equitũ millibus, mille peditum, Mocream attigerat, & notas ualles adhuc hoſtili ſanguine madentes, lętus miles intrârat, ubi dum aſſueta undiq; hoſpitia tacitus perluſtrat, & incerti ferme cõſilij, hęret in ea ſolitudine locorũ, ac rerum oĩm ſilentio, ducis animus. Stupentibus omnibus, magnę uir audaciæ, melioris fortunæ, Epirota quidam, qui manus effugerat barbarorũ, multis inſignis uulneribus, ac recẽti cruore decorus ante pedes Caſtrioti

Exercitus Barbari.

Caſtriotus ad Mocream uenit.

ſtetit, fidē eius appellās, ac feroci omniū animos adhortatione incendēs, deſolatū agrū, euerſa omnia à barbaris, eos q̄ fuſos, & palātes paſſim uagari, prēda quenq̄ funeſta occupatū, poſſe de ſingulis paruo negotio incruenta q̄ uictoria, quod ipſi uoluerint ſupplicium ſumi. Erecta ſunt prima facie tā opportuno nuncio ducis conſilia: ſed quū diligētius hominē de omni rerū habitu, & caſtrorū ſitu percōtatus eſſet, Muſtaphę prudentiā eo ipſo admiratus laudare cepit. Cautius proinde cū eo hoſte agendū ratus, qui neq̄ ipſe aliquid temere ageret, audiente omni ſuorū corona.

Oratio Scāderbegi antequā Muſtapham aggrederetur.

Conſueuí, inquit, ego milites rebus ipſis dare conſilia, nunc ea me ab illis, & uos mecum unà accipere oportet, quæ & tutiora eſtis ſinguli, & honeſtiora (ut nulla ſit uis rationis) uel ex ipſo euentu omnium magiſtro iudicaturi. Populatores audieramus Barbaros ſine ordine, ſine ullo rerū reſpectu, per agros fuſos, palantesq̄, ac omnia magis alia, q̄ hoſtē timentes, ſicq̄ me autore ſententiæ, & comite, utili tam propoſito cuncti in eos ferrū ſtrinxiſtis. Nunc oportunus iſte uiri aduentus, quid noui attulerit cōſiliī nobis, nihil eſt quod agam uobiſcū, illum enim quę apud hoſtem agerentur recenſentem audiſtis. Vnū illud negare nemo poterit, ſi Barbari propoſitū in caſtrorū locatione, & tot armatorū prēſidijs conſiderare uelitis, Non prædonis (ut creditis forte) illum, ſed callidiſſimi hoſtis animum aduerſus uos gerere intelligetis. Quamobrē cautius eſt uobis (ut arbitror) & conſultius cōtra hoſtes agendum, q̄ in prędones acturi uidemini. Abſtinendū primo impetu à populatoribus, ne intento duci ex caſtris prorūpendi ſimul, & uictorię materiā prębeamus, ubi dum uagos ipſi uagi inſequimur, duplici obruti hoſte indigne obteramur. Irruendū omni robore in ipſa munimēta caſtrorū, quæ ſi pertinax (ut ſolet) perſregerit uirtus, & uel ducē in fugā cōuerterit, uel occiſi caput reliquis barbarorum turmis poterit offerre (quod Deus optimus maximus nobis prę ſtet) omnia profecto incruentis uobis expedientur. Cætera nanq̄ prædonum manus tum à ſuorū auxilijs excluſa, tum à uobis per gradus ſingulos obſeſſa, uel mortua, uel uiua ſi malueritis, in poteſtatem ueſtrā eueniet. Cęterum caueatis comilitones, ne in caſtris diripiendis ſordide uos prędę cupiditas detineat, quę ſæpe uel uictoribus manifeſto exemplo ia centis gloriā hoſtis è manibus per ſummū dedecus extorquere cōſueuit.

Cupiditas prædę ſæpe obeſt.

Scanderbeg caſtra Turcæ inuadit et fugat.

Aſſenſu militum ingenti, id ducis conſilium approbatum. Diſtincti itaq̄ ut operęprecium uidebatur ordines, iam egredientes ex occulta ualle copię cuſtodijs barbarorū apertiore campo ſe ipſas prodebāt, tū manipuli ſublati è montibus ſignū prębuere caſtris. Exin perſtrepens mox tubarū ſonus, diſperſo per agros ac præda occupato equiti moleſtior auditus. Reuocati ſunt plures, & recepti inter munimēta ante hoſtis aduentū. Recipiebātur alij ſimul, & uicini iam fremitus militis Scāderbegi nomē pauidis auribus inculcabat. Multi excluſi, quos uelocior Epirenſis in ipſis caſtrorū portis onuſtos prēda uulneribus inſuper onerabat. Oppugnabantur undiq̄ munimēta, diſiecta primo fermè impetu impedimēta equorum

equorum, & ſcutatorum præſidia, tumultus ingens intrantium ſimul & excluſorum. Promiſcue recepti omnes, plena cuncta hoſte, pilorū miſſilium q̄ nullus uſus in ea locorum anguſtia, cominus gladijs res gerebatur, & clauis ferreis quibuſdam cōmodius, breue eſt teli genus, quo Turcæ, maxime in bello utuntur. Nouum ſpectaculi genus barbari pugnantis, manu altera gladium, altera prædā exitialem tenentis, ita auidiora ſunt Turcarum ingenia, & prędę cupidiora. Ferocior ſemper inſtabat Chriſtianus, urgebatq̄ undiq̄, & omnia conſternatione, cędibusq̄ replebat, donec deſperata in armis ſalute Muſtaphas, qui in tutiori caſtrorum parte hortator magis aderat quàm pugnator, per eam, quæ à pugnantibus maxime auerſa erat, portam, citato equo, terga dedit hoſti, tunc remiſſior ubiq̄ Mars, & paucior aliorū effuſus eſt ſanguis. Hi nanq̄ inermes, hoſtile iugum non dedignabantur: illi in fugam effuſi, neceſſariū ducis conſilium conſequebantur. Multi quos prędandi ſtudium à caſtris longius traxerat, à longinquo hoſtili clamore audito ſociorum fortunam coniecientes, fuga & ipſi qua ſola poterant, ſe ſaluabant, ſed uix fermè ullus integer euaſit, intenta enim undecunq̄ ſagittariorum manus in fugientium terga iacula coniciebant, & qua poterant, odiū late explebant. Sunt qui affirment eo prælio barbaros ad unum occiſos, præter Muſtapham, cū paucis optimatibus. Propior tamen uero illorum mihi uidetur ſententia qui quinq̄ millia cecidiſſe dicunt, captorum paucior numerus, uix ccc. ad ſummum fuiſſe dicuntur, & hi fermè omnes uulneribus deformes & inutiles. Irritati nanq̄ præter modum eo in prælio, & proniores ad ſæuitiam fuerunt militū animi aſpectu prędę ſuorū, & deuaſtati eouſq̄ agri. Victorum ex equitibus uiginti deſiderati, pedites quinquaginta, qui ab equis obtriti ſunt potius, quàm gladijs interempti. Sic caſtris, ſignis, & impedimentis omnibus potitus Epirenſis, tū hoſtiles campos ingreſſus, certiori pręda illata damna lætior compenſauit. Per eoſdem dies, quibus hæc fœliciter geſta cum barbaris fuerunt, Leccham Zachariam, de quo aliqua ſupra diximus, à Leccha Duchaino Pauli filio indigne obtruncatum audio. Inſignis hic uir fuit multo euentu proſpero malorum conſiliorum, patre tamen longe optimo natus. Rationē aliam ſimultatis, & cauſam inſidiarum nullam, niſi perditam regni libidinem, dulce mortalium ingenijs inſitum malum inuenio fuiſſe. Nam quum uicini eſſent inter ſe principes, & ſine liberis Zachariam uideret Duchainus, nulla legitimi hęredis ſpe ſubſiſtente, facile omnia primo occupantis futura ratus, ſimul et illum de medio abſtulit, & non minimam imperij eius partem mox ſibi nefario iure uendicauit, non tamen potuit omnino male ceptum deſiderium explere. Daynenſes nanq̄ (ea erat urbs regni caput, roburq̄) peremptum principem fidei pertinacia, qua ſola poterant, proſequuti ſunt, & Boſam defuncti matrem grauem iam annis, ac mœſtam filio ſuperſtitem enixe tutati, donec ipſa conſilijs quorundam, ac ſuaſionibus amicorum impulſa, quū imparem curā ſenilem, & muliebre ingenium imperij

Claues ferrei teli genus.

Leccha Zacharias obtruncatus, hinc cauſa belli.

Regni libido dulce malum.

Daynenſes.

Boſa mulier Scodram confugit & Venetis ſe tradit, hinc fortuna parat Scanderbegum Venetobello

oneribus, in ea prẽsertim rerũ uexatione cerneret, Scodram confugiens, Venetis se cum uniuerso tradidit regno, belli mole omni uicinorũ princi pum in eos translata. Parabat iam hinc fortuna Castriotum præclaro quoq; Veneto bello, & Italicorũ armis nobilitare. Inde Mustaphas apud Amurathem non iniquus, quamuis inuisus hosti iudex, tum ut suam pa riter, & sociorum fortunam excusaret, inuictam uiri uirtutẽ, exactamq; unius rerum bellicarum peritiam, multo sermonis decore commendare, aljs uiribus opus, & grauiore bello dictitans, ad eam ferociam comprimendam, frustra tentari eo modo hominis ingenium, & excursionibus eiuscemodi, ac uastatione agrorũ acui magis superbę suapte natura Epirotæ gentis spiritus. Insidias quoq; omnes aduersus ipsos insidiarum artifices inaniores semper futuras. Contemptum potius quendã rei Ottomanę apud Christianos tot indies cumulo uictoriarũ tacite excitari, uel abstinendum censere penitus ab armis, uel semel debellandi cum hoste, animum induendum. Non poterãt Amurathi, licet mœstior hostilibus laudibus aures prębere, timida uideri Mustaphę dicta, quũ eandẽ suorũ omniũ fortunã, quos Castrioti armis obiecerat, in oculis haberet. Hinc Alybassa, hinc longe uenia dignior Ferisius, cladium maiorum memoriã subijcientes, infœlicẽ ducis uirtutem principi excusabant. Quare mutato & ipse consilio (ita sæpe aduersis in rebus cito homines pugnę satietas capit) respirare aliquantisper ab armis statuit, neq; ulterius nouo suorum sanguine pascere hostẽ, sed supersedere eousq; à bello, donec promissam sibi nequicq; gloriam, & conceptę inaniter uictorię præmia, minacior q; bellicosior senex pergeret ipse iniquo fato petiturus. Iusso tamen interim Mustapha copias denuo instaurare, & proficisci in Epirum iubet. Sed prohibuit in primis hostilem agrum ulla oblata occasione infestare, uel tentare aliquo modo Castriotum, fines tantum subditorum populorũ tutaretur, & seruaret ab hoste, caueretq; maximo ingenio ad ullum genus dimicationis elici ab eo, sed porrectæ spem uictoriq; omnẽ æque sperneret. Dijs profecto curæ fuisse dixerim Scanderbegum, qui in ipsis Veneti belli auspicijs, eum Amurathi animum dedere. Eodem fermè tempore & Mustaphæ aduentus inde, & hinc Daynensis fortunę nuncius, Castrioti animum distraxerant, & curam omnẽ hauserant solliciti in re tam subita ducis. Mouit tamẽ segnius barbarus assuetus uinci. Horrendum amicissimi principis fatum, & tam crudelis, q; præacerba uiri mors miri fice Castrioti cõmouit animum, & dolore penè confecit. Accessio quoq; ad eam molestiam maior facta, quum Bosæ consilium, & nouam in ea re curam Venetorum adiectam audiret (firmauerat nanq; omnia Dayni præsertim oppidum ualidissimo præsidio urbium uicinarum præfecti.) Hæc omnis dissidij causa inter eos, & belli origo fuit. Quærebatur Epirensis, Venetos in defuncti regno principis ius ullum prętendere, & sibi id uendicari uelle, quum uana præsertim fuerit matris translatio in illos bonorũ ad se à uiuente delatorũ filio, neq; præceps Bosę consiliũ debere quicquam

Mustaphas apud Amurathem se excusat nõ sine laude Scãderbegi

Mustaphas dissuadet bellum contra Christianos.

Pugnæ satietas fit in rebus aduersis.

De Lecchazacharia obtrunc. loquitur.

quicquam legitime officere ad nati uoluntatẽ uiolandam. Pactũ nanq; apparebat inter eum & Zachariam olim confectum, ut quis eorũ superuixisset, alterius imperio potiretur. Dictamq; inter eos legem iuramenti uinculo firmatam. Iuris ego quid in ea re fuerit, iurisconsultis relinquo, quamuis iudex omnium Mars nõ inique forsan diremerit. In ea animi fluctuatione Castriotus intentior semper Mustaphę copias obibat, passimq; raro procursans milite, nunc periculose progressus, nunc fugam simulans incomposite inter suorũ ordines receptus cauto hosti nequicq; infœlicia semel arma suadebat. Vbi uero neq; pugnę spem ullã, neq; hostis fallẽdi arte modũ uidisset, copijs omnibus, quas secũ habebat, ibi ad nouos rerũ tumultus & barbarorũ impetũ sustinendum in hostilis agri limitibus relictis, ipse ad Daynẽsis belli apparatũ cõuersus animo, confestim paucis admodũ equitibus Croiam petijt, & ubi ius omne in armis uidit, mox & edicto ad delectũ habendũ proposito, & ipse cum nõnullis optimatium suorum uniuersam prouinciam ad conquisitionẽ militum obequitans, & exercitum ualidum confecit, nihilq; moratus priusq; frumenti curã habere potuisset hostis, Daynum obsidione ingẽti in coronæ speciẽ undiq; cinxit, nihilq; omittens, nunc leniter, nunc aspere agendo, omni cura ad deditionẽ oppidanos sollicitabat, ueritus ne si tum ea urbis potiundę occasio pręterlaberetur, allatus interea Venetias nuncius, patrũ animos ad eam belli curã, & maiora ex Italia pręsidia mittenda excitaret. Abstinuit tñ à uastatione agrorum (quod primum obsessarum urbium malum esse solet) ne Daynensium irritaret animos ad seruandã tenacius hosti fidem. Neq; expugnatio oppidi usq; per uim tormentorum, & murorum ruinas, aut scalis tentata, intercluſis tantummodo ciuibus facultate undecunq; annonę, & commeatus habendi præcisa, famem assuetum diuturnæ incommodum obsidionis iamiam imminentem minabatur, quum coacti ad deditionem sero eius clementiam implorantes, hostilia omnia essent passuri. Præsides prouinciarum Veneti nominis, & ciuitatum adiacentium præfecti, audita urbis obsidione, abmonuere de singulis Senatum, & decreto accepto, coactis undiq; subitarijs auxilijs, tam ex Epiroticis militibus, quàm Illyricis & Italis, quorum præsidia semper in propioribus locis hosti, à patribus haberi solita, mox ad eam obsidionẽ soluendam impigre se accinxere. A duobus quoq; uiris Epirotici nominis adiuti summopere sunt, & auctæ eorum copiæ, Leccha Dusmano, & Petro Hispano, qui licet contra Turcas Scanderbego perpetuam operã polliciti essent, neq; unq; illi defuissent, antiquior tamẽ longe cum Venetis necessitudo, præsertim quod uicini etiam Driuasto, & quibusdam eorum oppidis erant, & ueteri ingentium officiorum uinculo astricti illis, ut præsto essent, fecerunt eum apparatũ. Scanderbegus nihil tanta exorientis undiq; belli mole territus, lætis auribus accepit, simulq; impigre diuisis copijs suis, quæ xiiij. millium hominum numerum excedebant, septem equitum millia, tot enim nõ amplius erant, & duo peditum nouo

Scãderbeg apparat se ad bellum Daynense

Daynum in coronæ specte obsidetur à Scanderbego.

Abstinet à uastatione agrorum.

Fames assuetũ obsidionis incommodum.

hosti destinata, reliquum agmen suorum relictum ad urbis obsidionem, quã nulla satis hostilis fama exercitus omittere decreuerat, cura omnium habita dispositit. Ita trifariam diuiserat uires inuicti prudentia ducis, & aucta stolide audacia inani singulorum animos benegerendæ rei spe erexerat. Daynenses nancp sublata Castrioti præsentia, obsidione ipsa soluti uidebantur. Segnior pro portis excubare miles, rarior in muris aspiciebatur numerus armatorum, patentibus portis sæpe hostis cum ciue recipi potuit. Negligentius rerum omnium interposita cura, fames sola iam uicina uexabat animos, quę necp cõtemni poterat per audaciam, necp ferro uinci. Firmabat tamen uires, & ad quæcp asperrima ferenda cogebat promissæ semel fidei pudor, & pascebat uelut uicina spes quædam homi num animos quod suorum copias ad ea mitiganda mala, & leuandã obsidionem maximis itineribus aduentantes audiebant. Necp parem Castrioti militẽ eis uiribus credere, sed certum iam conceptę uictorię nuncium solliciti undicp prospectantes expectare. Sic omnium fermè ingenia, qui quum plus tribuunt fortunæ, eidem fidelius parent. Mustaphæ quocp in eo rerum Epirensium tumultu, & Scanderbegi absentia insignis lætitia erat. Crescebant iam fracti eousep animi, & prioris fortunæ memoriam omnem tacita quædam inuaserat obliuio, libenter relicta ibi hostis præsidia tentare Barbarus, & debiliorem sine duce militem amissis nuper socijs immolare, libenter cupiebat, & cum Venetis inuisi capitis uictoriam partiri peroptabat, oblatæ occasionis penè studiosior, cp̃ mandati. Verum dubiam mentem seuera Ottomani mandata reuocabãt, & plura aliorum uiolatæ obedientiæ documenta. Exin (quamuis non improbaturum forte Amurathem tam opportuna consilia crederet) tutius uisum ei segnem imperio alieno, quam propria temeritate fœlicem dici. Venetorum interea exercitus contractus ad urbem Scodram, quę est caput gentis, dum in apparanda belli eius materia moram trahit, Scanderbegus instructis iampridem copijs, Drinonem fluuium superauerat, & (quod maximum erat audaciæ, ac fiduciæ signum) præoccupatis prior ipse hostium consilijs, uel in ipsis hostilis soli uisceribus ad congrediendum cum hoste pergebat ire. Non tulit id Venetus, sed motis ocius castris infestis signis illi occurrit, Iam & clamor undicp armatorum, & late auditus clangor tubarum aduentantes hincinde hostes prodebat. Tunc uere hostiles animi, & feroces spiritus reuocabãtur uiris, ardere iam ocuIi militum, & index irarum fremitus passim exaudiri. Vota tum publice à ducibus, tum à singulis priuatim, & omnis generis supplicia nõ omissa, Iustiora quisep arma sua, & æquiores partes credebat. Omniũ una mens ad iniuriam propulsandam, parcp belli ratio uidebatur. Epirensis ad obtinendam ablatæ iniuria possessionem urbis, hi ad tuendam deditorum fidem. Maiorem illis animum tot indies cõtra Barbaros bene gestarum rerum, & parti nuper aduersus Mustapham decoris memoria faciebat. Venetus, & si procurata essent omnia, quę uel ad maioris usum belli sufficerent,

Vires Scanderbegi trifariam diuisæ.

Venetorum exercitus ad urbem Scodram.

Index irarum fremitus.

cerent, & non stolidam sibi præbere possent uictoriæ spem, tamen etiam si uictus eo prælio aduersis Dijs fuisset, haud summissurus animos uidebatur, necp cessurus in omni belli euentu hosti, quum inuictas patrum uires ad instauranda & præparanda perpetua arma aptiores longe uiderent, quin omnia magis bello arsura, & exitialem futurã Daynensem oppugnationem Castrioto, augebat tamẽ curam miserabilior obsessorum fortuna (audierant nancp ibi ad obsidionem maximam uim armatorum relictam). Apparebat iam certior aspectus hostium, & propius erat pugnæ tempus. Tum subito silentio quies utrincp mira insequuta est, et signa humi fixa, castrisep momentaneis loca opportuna capta sunt ducibus, ubi & corpora curaret miles, & ducum hortamina tum præuenirẽt fortes uiros, tum aliquem timidis adderent uirtutem. Danieli Iurich Sebencino, uiro impigro, & militiæ perito, Veneti exercitus cura tradita erat (Vaiuodam uulgo dicunt). Is ubi certos singulis ordines statuit, & parata quæcp uidit in hostem, ita cœpit.

Daniel Iurich Sebencinus imperator Venetorum.

Omnia sibi licere statuit stolida mortalium temeritas, ubi semel aliquo secundarum rerum incremento delinitus est animus. Inde uix sui compos mens, & prçsentis iam impatiens fortunæ, modo hac, modo illac perrans, ocia aliorum turbat, & pro libidine aucupat bella, donec miserrimo tandem exitu inanium luat cogitationũ pœnas. In oculis exemplum est milites. Tam uanus iste quàm superbissimus hostis, quem eo iam funesta audacia, & indulgentior prouexit fortuna, ut audeat indies ex bellis bella serere, eos cp̃ lacessere principes, quorum si recenseat in se officia, nihil est sibi, temeritate excepta, reliquum futurũ, quod ad illos nõ possit referre. Sed subuertit ita iam rerum omnium discrimen, ferox hominis ingenium, ut non publicis nos tantum hodie, sed priuatis quocp singulorum odijs in eum hostem armatos esse oporteat. Obseruetur nancp ante omnium oculos Daynensium fortuna, irritet animos iustissima ira, sociorũ cura, sunt ibi liberi uestri Scodrenses, urbis præsidio positi, sunt multorum fratres, sunt consanguinei, & affines in ea obsidione, tam Illyrici, quàm Itali nominis strenui, quibus iampridem à perfido præoccupatis hoste in rerum omnium necessitate nulla spes alia, nisi in uobis relicta. Vos late sollicitis ac pendẽtibus animis mœsti prospectãtes è mœnibus expectant, uestra hodie uirtus uel libertatem eorum uindicabit, uel præsa spe omnium rerum fœde iugum hostile subire illos necesse est, & ad superbos Castrioti uultus spiritum precarium trahere. Quo nemo intolerantior in uictoria, nemo inclementior facile inueniri potest, utpote qui cum Barbaris diutino usu educatus, omnem superat feritatem. Vt enim taceam cætera, quid hac temeritate maius? quid stolidius? quod dum nefario iure cuncta occupare nititur, & inani colore pactorum scelera tam regni libidinem excusat, prohibet perdito exemplo mortalibus rerũ propriarum deditionem, & aufert iura ipsa libertatis. Indignatur Venetos sibi à Daynensibus prçpositos, oppugnatcp liberũ matris cõsilium in

Adhortatio imperatoris Veneti exercitus ad suos.

A successu qui erigit animas.

A temeritate & magnitudine hostis.

A cura sociorum & cõsanguineorum.

A periculis libertatis amittendæ.

A crudelitate hostis.

defuncti bonis filij. Sed excæcauit (ut uidetis) eouſq; ea cupiditas homi
nem, & ſtudium indignationis, ut uel in perniciem ipſe ſuam amens ira,
odioq; ruat. Non potuit tantum huiuſce belli curam differre, donec pul
ſo barbaro hoſte, quē in imperij limitibus aſſidue habet, integras ad odi
um Venetorum uires afferret: non in obſeſſæ urbis aſpectu maioribus
copijs congredi nobiſcum melior ratio uiſa. Diuiſit uires ubiq; peritus
belli dux, uobis quàm ſibi æquior iudex. Dumq; hinc Muſtaphæ, inde
Daynenſis obſidionis cura mordet animum, uobis uictimam potius q̄m
hoſtem ſuum reſeruauit exercitum. Agite dum igitur multi paucos bella
tores prædatorum turbam cædite, urgete, & inflatis ſtolide animis extor
quete iniuſti belli confeſſionem, quibus profligatis, nihil eſt quod de re
liquis copijs hoſtilibus, quæ Daynum obſident, uos noua cura terreat.
Sequentes nanq; rei bene geſtę modū, tenore eodem infeſtis ſignis, prę
occupatis eorum conſilijs, priores ipſi petemus hoſtem, ubi euocato prę
ſidio, ex urbe intercluſis his, undiq; uictoria omnis per ſummum ocium
expedietur. Scanderbegi oratio neq; ita hoſtilis, neq; crimine alieno læ
ta, ſed moderata, leniorq;, & in hanc fermè ſententiam dicitur fuiſſe.

Adhortatio Scanderbegi ad milites, moderata et lenis.

Honeſta necne uideatur ſuſcepti belli ratio, milites, neq; diſquirendū
hodie armatis, neq; decernendum nunc in ipſo hoſtis conſpectu fuerat,
prę ſertim quū à me ipſo uobis arma tradita uideatis, quē uel iuſtiora re
cuſaſſe, uel appetiſſe iniquiora nullo ſatis tempore cōqueri potuiſtis. At
quādo illud maxime in rebus omnibus agendis torqueat mortalium in
genia, & ſollicitudinem augeat militarem, priuſquam gladij cominus in
hoſtem ſtringantur, ſcire unde iuſtior eſſet cauſa, & utrum cū hoſte tan
tum, an cum Dijs quoq; pugnandum ſit uobis. Non recuſo ciues, uel
quocunq; ueſtrum iudice, ſi uelut temerarium conſilium meum damna
tis, & nimis ſtudioſus belli autor uideor, ſtatim conuerſis ſignis abire.
Neq; enim is ſum, qui uel ignaros uelim ad periculum trahere, uel in eo
imperij mei ſtatu, & rerum Epirenſium tumultu nouas cum Venetis ob
ſtinato propoſito ordiri ſimultates. Sed ubi uacet huiuſcemodi reprehen
ſione conſilium, & iuſta æque ac neceſſaria præſentis belli ratio uideatur,
Nullius magis intereſt, quàm ueſtrum efficere uirtute ipſa, ac animi perti
nacia, ut fœlix quoq; euētus arma ueſtra iuſtiora oſtendat. Quandoqui
dem nihil eſt turpius uiro forti, nihil magis contra regium decorem, quā
per ignauiam pati iura ſua occupari ab alijs, & compreſſis (ut aiunt) ma
nibus ſedere, ubi ius omne in armis uideas. Noſtis ad unum omnes, quę
beneuolentiæ uis, ac idem prope uitæ uſus fuerit mihi per omnem ætatē
cū Lecca Zacharia, cuius hodie tam crudelis, q̄ prçacerba mors, tot un
diq; arma concitauit, & quod uehementi illo affectu impulſi inter nos le
gem mutuo conſenſu dixerimus: Qui noſtrum prior deceſſiſſet ſine li
beris, regnum eius ſuperſtes iure pacti haberet. Sublatus eſt ille prior, ita
agentibus fatis: Veneti imperium obtinent, ego lachrimarum tantū re
liētus hæres, renunciaueram olim rebus ipſe meis in illa pactione, quum
& priori

Belli ſit iuſta cauſa, ne ſit opus θεομαχία.

Fœlix euentus arma iuſtiora oſtendat.

Familiaritas Scāderbegi cū Lecchą Zacharia.

& priori mihi caſus aliquis finem uitæ afferre potuerit ob communem
mortis fortunam. Nunc bello renunciare, niſi uel uictus aduerſis Dijs,
uel Dayni recuperata poſſeſſione apud animum meum non ſtatui. Ne
mo ſanus belli huiuſce culpabit me, quod ſuadet tam pulchra ratio. Ne
mo illata mirabitur arma Chriſtianis, Venetis, uicinis, quorum ipſi iu
ſtam dederunt occaſionem, & quæ ipſi fermè nobis in manu tradide
runt. Obſidemus conſanguineorum & ſociorum urbem, non infeſtis
adeò, ut ipſi putant, animis, non regni, non ſanguinis hauriendi libidine
ulla, ſed ut eam pariter è manibus hoſtium, ac ingratis ciuibus obſtinati
erroris confeſſionem extorqueamus. Deſcendimus in aciem cum hoſti
bus, priores ipſi hoſtilia paſſi. Quamobrem certis iam animis ſinguli pul
chrum tuendæ dignitatis ueſtræ propoſitum induite. Satis amplam bel
li materiam ſuppeditare uidebatur Daynenſe imperium propoſitum ui
ctori, ſed nulla (quæſo) talis uos armet ratio, cupidorum hęc animorum
uota, & ignobilis uulgi irritamenta eſſe ſolent. Conceptæ duntaxat deſi
derium laudis, ſtimulos ingerat fortibus uiris, quamuis omnia ſint ue
ſtra, ſi uiceritis hodie. Pulſo nanq; hoc hoſte, oppidanus tum ſpe ſocio
rum deſtitutus, tum fame ipſa uictus, mox patentibus portis uictores eſt
accepturus. De uictoria autem nihil eſt quod agam uobiſcum aſſuetis
uincere uiris: nouus hoſtis eſt, nouum gloriæ genus. Sed multitudine
ſuperat Venetus? eſto, nonne pauciores ſemper uos ad hunc uſq; diem
belli laudem ex hoſte tuliſtis? Indignatur eo modo uincere prçclarus mi
les, ubi nec ſingulorū uirtus ſpectari, nec priuatę multū laudis domū af
ferri poteſt. Quid prçterea momēti in maioribus eorū copijs? quibus ſi
cut diuerſa lingua, alius ueſtitus, alius armorū uſus, ita nec idem habitus
animorum. Confectus eſt exercitus ex multarum gentium colluuione,
Illyrici, Itali, Epirotæ, ibi uario ritu, eadem ignari ſigna ſequuntur, diſſo
nus erit in bello clamor uirorum, inaniores ducum adhortationes. Qua
re agite, primo impetu ad fugam quàm ad pugnam paratiores impellite,
diſſipate, & renouate hodierna quoq; laude tot cōtra barbaros uictoria
rum ſpecioſam memoriam. Remiſſiore tamen ira in hunc hoſtem uten
dum, & pronioribus ad pietatem animis, captiuos ducite, neq; per intem
perantiam belli, & ſtudium indignationis, ſanguine deditorū uictrices
dehoneſtate dexteras. Non enim res eſt nobis cū barbaris, aut efferatis
gentibus, ſed cū Chriſtianis, quibus iure decertamus, ut propulſemus in
iuriam, & in pace uiuamus. Acuit magis Scanderbegus militū ſtudia, &
ſuorū animos deuinxit ea modeſtia ſermonis, quod raro exemplo, ſimul
& eorū rationem, & curā hoſtium habere uideretur. Tunc ordines circa
eum effuſi, laudare conſilium ducis, animatum quiſq; ſe dicere in omnē
euentū, ad eius augendā, nedum ſeruandā gloriā pugnare. Venetorū ar
ma nō eouſq; fore expaueſcenda, ut dū nimis multū defertur illis, proprij
decoris obliuiſcatur animus. Communē ſubditorū populorū iniuriam
eſſe, ſi per ſecordiā inulta Daynenſis ignominia omittatur, neq; cadendū
animis

Extenuat obiectionē cur in Venetos Chriſtianos uicinos bellum moueat.

Eleuat quod Veneti multi contra paucos Scanderbegi cos agant.

Venetorum arma quatenus expaueſcenda.

animis in ea rerũ uexatione, & duplicis mole belli. Nihil acturos mortales, si retardet semper feroces spiritus, quicuis cõsultatio, & singula ignaua cogitatione metiantur, Audendum fortibus uiris, tendendũ recto in pericula uultu. Necꝙ semper retro aspiciẽdi cura, augendũ sibi ipsis timorẽ, & sollicito consilio recõdita mala homini interpretanda, Condiri necessitate uirtutem, Pluracꝙ irritatis semel mentibus, & militum furore superari, quæ liber alioquin, & quietus nunquam ausurus esset animus. In diis præterea nonnihil debere esse momenti, qui iustiori assidere bello consueuerunt. Sed & si in ense uiris tantum posita sit salus, munitam satis fore rem Epirensem ipso fidei præsidio, & concordia populorum. Amurathem demum Hungarico bello occupatum, Venetorum uires magnas nosse, sed Italicorum gentem segnius sequi, quanto longius à domo trahatur. Iactabantur hæc passim incondite à militibus, & alia plura, uelut instinctum, cuius ꝙ erat ingenium, & ut priuato officio audienti se duci conciliarent. Ipse singulorum uoluntate, æque collaudata ioculariter mixto risu dixisse auditus. Reprehendi merito posse naturam, ꝙ tam præclaros Epiroticę gentis spiritus non altiori incluserit fortuna. Tum iussis curare corpora, omnibusꝙ procuratis alacer animis, atꝙ fiducia ingenti sexta fermè hora diei in aciem procedit, sagittarios, & leuiorem armaturam ante signa locat. Deinde grauiorem armis, peditem distinguit per cornua. Duo equitum millia in utranꝙ partem statuit, media acies Tanusio tuenda data. Ibi quoꝙ equitatui pedites aliquot immixti. De subsidiarijs non multum curatum, quum certam uictoriam, & faciliorẽ longe armis suis hostem, cꝙ inito prœlio increscens Mars, & obnixi Venetorum uultus ostendere concepisset. Tantundem de castrorum prœsidio procuratũ: uacua nancꝙ relicta raro custode, qui uix ab inermi prœdone ea tutari potuisset. Non abfuisset à reprehensione temeritatis tam secura fiducia ducis, ni uerius præsidium sibi in obsidentibus Daynum copijs statuisset. Nam si præter spem superiorem uidisset hostem, ad eos se recipere destinauerat, quum neꝙ militum numerus, neꝙ habitus ipse locorum ad firmanda ibi castra suaderet. Sed indignius adhuc istud consiliũ tanta prudentia uiri, quum pernicioſior magis uictis eo modo fuga futura, cꝙ pertinacior resistendi animus fuerit. Nam tum insequens palantes Venetus uictor, tum difficilior in tam præcipiti tumultu transitus Drinonis, quicquid erat reliquiarũ hausisset. Quare eó decurritur, ut insuetam uinci uirtutem in se tantum spem positam habuisse dicamus. Venetus quoꝙ Italis hastatis præmunt signa, cornua hostili exemplo disposita. Daniel in dextro Illyricorum ualidissimo cinctam præsidio, stationẽ sibi eligit, Italicos nonnullos equites grauis armaturæ in fronte, & post ipsum cornu disponit. Colla Humoi Scodrensis, cuius secundæ erant in ea belli cura partes à leuo cum ciuibus suis Mosi & Dibrano militi oppositus. Andreas frater cum Simeone Vulcathanio mediam aciem obtinuit, promiscue ibi uario militum genere, & inutiliori præsidio onerati magis,

Daynensis ignominia.

Scanderbeg aciem instruit cõtra Venetos

Securæ fiducia Scanderbegi.

magis quàm firmati ordines. xiij. paulominus millia Veneta fuere, his copijs concursum est. Prœlium ab hastatis inceptum auertere primo impetu sagittarij eos. Sed ubi inaniores propinquitas ipsa sagittas effecit, qui scutati erant obnixis clypeis cum reliqua leui armatura strictis gladijs cõminus hostem petunt. Cæteros Castriotus extemplo circundedit equitibus, & retractatos aliquantulum utiliorem illis restituit telorum usum. Hastati, quia tuta ferro pectora, & loricis tecti audacius se obijcientes in hostem incubuerant, dederunt reliquis spem bene gerendæ rei, tũ omnis circunfusa acies, clamorꝙ utrinꝙ ingens sublatus. Epirensis equitum & numero & uirtute superabat. Locus non uni equior quàm alteri, pugnatum est enim in lata planitie, & ampla, non procul à Drinonis ripis. Par uiribus aliquantisper magis quàm animis Venetus fuit, Et circa Illyrici stationem ducis uariante fortuna diu pugnatum, donec Scanderbegus concitato ibi equo cum paucis equitibus in medium agmen hostium inuectus, uulneratis pluribus, multis pauore dissipatis, extorsit spem uictoriæ Veneto. Illyrici undicꝙ mox in unum conglobati (ut egregia est gentis eius uelocitas) densiori præsidio munita statione ducis, excluserunt hostem, defenbebant tamẽ magis quàm pugnabant. Media acies utrinꝙ spectatrix potius, quàm pugnatrix eousꝙ aderat, dum uario ahuc euentu res agerentur à cornibus, tum Tophia ubi oneratum satis dexterum cornu hostium uidit, erectus & ipse Castrioti exemplo, confestim lectiori equite, & parte peditatus in medios præterlatus hostes, nouum iniecit pauorem. Illyrici nancꝙ qui in fronte expositi fuere hosti, non tulere impetum, sed mox in cornu dextrum deducti, ac seipsos tutati, & hinc prodidere socios, & inde interuentu suo auxere difficultatem Scanderbego stationem oppugnanti. Idem reliquus peditatus fecit. Impar nancꝙ Epirensi equiti, passim effusus in fugam se saluauit, quę res effecit, ut nudatus præsidio Scodrensis eques, ac oppressus ab hoste circumueniretur, capti enim sunt ambo prœfecti, cum alijs pluribus, qui à pedestri robore relicti, desperata in armis salute, sese tradiderunt hosti, reliquis quoꝙ turmis incusserunt pauorem, timentibus, ne penetrata acie Epirensis à tergo adoriretur cornua, & intercluſos ferocius premeret. Sed non id succurrit uictori, quod pauebat uictus (ita uel obtusiora ingenia hominum efficiunt res secundæ) Nihil enim quęrens ultra lætus ea uictoria animus, gratum duntaxat suis spectaculum uinctos hostes offerebat. Castriotus quoꝙ rerum aliarum omissa cura, gregarioꝙ omni milite prœterito, uelut dedignans sanguinem cæterorum ad ducem tantum animum intenderat, sed fortissimorum agmen militum difficilem ei aditum faciebat, ac inanẽ reddebat ferociam uiri. Cõuerterat omnium animos in ea dimicatione Moses, & Scodrensis à sinistro cornu. Multus ibi labor, periculumꝙ. Ita uelut ipsi de summa rerum decertarent, obnixi ingentibus sine respiratione odijs, mutuis uulneribus incumbebant, haud impares equis uiribus aliquandiu pugnauerunt. Sed hauriente iam lassitudine Dibrensium ictus fatigati

Pugna Castrioti cum Venetis apud Drinonis ripam.

Res secũdæ obtusiora efficiunt hominum ingenia.

fatigati equi, uiricꝫ, ac uicti propè ſenſim ceſſiſſent hoſti, ni referentibus gradum Moſes increpando ſimul timorem, ſimul ignauiam pudore laſſitudinem excuſaſſet, & uinci fermè paratos uincere docuiſſet, clamans:

Moſis obiurgans exclamatio in ignauum militem.

Quæ ignauia uiri? quod perditum inſueti pauoris exemplum? Potuit Dibrenſis aſſignatum ſemel locum uiuus relinquere? Potuit bellicã laudem uendere hoſti? Vbi miles ille qui Alybaſſę copias deleuit? Feriſij inhibuit ferociam? Muſtaphæ uires contudit? ac barbaricis ſpoliis Epiroticas domos dicauit? Quo tumor ille animorum euanuit? Quo minaces illi in caſtris tultus, ac fortia promiſſa abiere? Sic Daynũ Scanderbegio reſtituitis? Sic obſeſſæ urbis hoſtium intrare paratis? Nuſcꝫ ne alibi hoſtium uirtus? nuſcꝫ fortis dextera? nuſquã radians enſis niſi hic? At ubicꝫ iam ſocij ueſtri uictores parti decoris fructus recenſet. Tanuſius captis ducibus, ac iunctis poſt terga manibus deductis in caſtra, mediam hoſtium aciem omnẽ aut deleuit, aut diſſipauit. Scanderbegus perfracto Illyricorum robore, iam ſingulis per ocium iniicit uincula. Hic pauor tantum, & fugæ memoria relicta.

Coacernatio factorum exercitus Scanderbegici.

Iniecit ea obiurgatio militi tam acres ſtimulos uincendi, ut alij repente facti uiri, equicꝫ uiderentur. Tum recenti renouato prælio mutata fortuna, iam pelli paulatim Scodrenſis, reſiſtebat tamen magis numero quã animis. Donec Humoi, cõiectata ex hoſtili ſermone fortuna fratris, quũ uix præ impatientia doloris armorum tenendorum potentia eſſet, oblitus ſociorũ ad ſerum germano auxilium ferendum progreſſus, & in medios illatus hoſtes, certam Moſi uictoriam reliquit, docuitcꝫ quantum ordinibus in duce ſit momenti, mox nancꝫ effuſi in omnes partes terga

Daniel dux Venetorum fugit.

feriẽda prębebant hoſti. Daniel quocꝫ ex altera parte iampridem omni præſidio anteſignanorum exutus pudore magis cꝫ uiribus ordine ſeruato ſuſtinebat hoſtem, ſed ubi haud dubiam ſuorum fugam, & eandem omnium fortunam aduertit, citato & ipſe equo fuga conſuluit ſibi. Sparſos paſſim per agros Epirenſis ſegnius eſt inſecutus, impediebat nancꝫ laſſitudo uiros, quum dimicatum ſit uſcꝫ in ultimam defatigationẽ. Nõ tamen licet feſſi, liberam fugam fecere hoſti. Miſſum enim præconium à Scanderbego, ut totis ſignis inſtaretur agmini fugientium uſcꝫ ad urbẽ Scodram. Pulchrum fortaſſe uiſum duci ſimul ira, ſimul gloria elato conſpici uictorem à mœnibus hoſtium, quę ingenti multitudinis turba completa erant. Carpebatur in multis locis poſtremũ agmen, & magna pars moratorum capti, prohibuerat nãcꝫ quencꝫ occidi. Mox in propinquo urbis conſpectu inhibita ſigna & acies firmata. Tum uictores conglobati circa ordines ingenti clamore, lætitiacꝫ mœſtę urbi publico, priuatocꝫ dolore captiuos ſuos ſubijciebant oculis. Ingerebat ciuibus hinc nouos irarum ſtimulos tã miſerabilis aſpectus, & fortuna ſuorum. Hinc recens iam clades ſpiritus omnes hauriebat. Cura præterea captiuorum maior iniecta hominibus prohibebat uiam ullam hoſtis irritandi tentare. Caſtriotus ubi uel ad ſatietatem militi uictoriæ laudem explendam permiſiſſet, ſigno

dato, parum nancꝫ ſupererat diei, collectis hincinde uaſis, ad Daynenſem obſidion dirigit iter. Sed fefellit omnino inanis ſpes ducẽ, quum recluſis portis, oppidanos fortunam omnem legemcꝫ deditionis ſub ſe uictore confeſtim ſubituros cõcœpiſſet. Daynenſes nancꝫ licet & ſubita legionum ſuarum clades, & intus creſcentia indies incõmoda annonæ (prohibuerant nancꝫ ſemper frumentationem obſeſſis Epirenſes copiæ ad idipſum locatę) dolorem ſimul & curam auxiſſent, nulli tamen ſatis tot undicꝫ malorum effugij fœda cogitatio ſuccurrit, ſed omnia in ea rerum neceſſitate conſtantiſſime procurata, diſpoſitacꝫ ſingula exacto iudicio ac parcior militi præbitus cibus, quo fidelis tantũ ſpiritus ſeruaretur, ſeniorum nulla cura uiris, utpote qui & prævalido urbis ſitu, & ualidiore multum fidei munimẽto tutabantur. Caſtriotus nancꝫ ut primũ uictricibus ſignis reliquis copijs ibi commorantibus ſe adiunxit, multa nequicꝫ uani irritamenta pauoris obſtinatis animis ac oculis obſeſſorũ ſubiecit. Oſtentata ingẽti militũ clamore, & inſultatione capta ex hoſte ſi

Daynenſes ad fidio fruſtra tentata per Scanderbegũ.

gna, ductũ circa muros mœſtũ captiuorũ agmen, fixis in terrã oculis pudore ſociorũ intuendorũ, quibus circũfuſis per mœnia lachrymarũ uim magnã excutiebat tam fœdũ ſuorũ ſpectaculũ (erãt nancꝫ in eo numero multi obſeſſorũ cõſanguinei, ut intelligi potuit ex ijs quę ſupra retulimus

Agmen captiuorum Daynẽſium circa mũros ducitur.

Tum ubi admonitos ſatis credidit oppidanos, Scanderbegus de deditione cum illis agere cœpit, & præſidium Venetũ certa iam fiducia petere tradi ſibi. Inſigne tamen tulit pro inanibus poſtulatis liberorum ciuium reſpõſum. Deſineret eiuſcemodi ſpectaculis oculos & aures minis territare. Non eſſe tam leui momento fidem ſuam fundatam, ut ſe potius ex recenti rerum aduerſarum euentu, cꝫ ex ueteri habitu animorum mętiantur. Fixum omnibus, deſtinatumcꝫ eſſe, ſi aliter non poterunt, lacerationę corporũ ſuorũ infœlicẽ fidẽ bonis principibus teſtatã relinquere. Necꝫ eam fore beniuolentiam ſuorum, & ſociorum uincula, ut tam ſœdam illis pietatem extorqueant, quod nec ipſi capti, ſi interrogentur, ſibi præſtari cupiant. Sperare præterea ſub Venetis patribus necꝫ perpetua uincula eorum, necꝫ longam ſuam obſidionem futurã. Exemplum hoc uere pro documẽto habendũ: Non eſſe gerendam populis mutabilem fidem, cũ inſtabili principum fortuna. Fuit & in Scanderbego illud nõ indignum admiratione liberalitatis, & ingenitę pietatis indicium. Quod quũ ſpreta conſilia ſua ab oppidanis uidiſſet, & ſublatã ſpem oẽm habędę urbis in ea pertinacia animorum, non ad aliquã indignationẽ conuerſus (ut procliuia ſunt principum ingenia) nõ ad rabiem ultionis procurrit, ſaltem in captiuorum terga ſæuiendi, quũ omnia illi in eos ſolutiſſima eſſent, ſed demi protinus uincula iuſſit, & liberaliter habitos, cultoscꝫ ad domos ſuas quencꝫ remiſit. Ni fecerit fortaſſe callidus princeps, id quod licet nõ ita elegãti propoſito actũ, laudari tñ omnino debuit, ut quũ aliter Daynenſiũ animos ſuperare nequiret, eo uinceret beneficio, & quos metu nõ poterat, humanitate ſibi tacite conciliaret. Duos tantũ uiros honeſtiores

Infigne reſpõſum liberorum ciuium.

Conſtantia obſeſſorum.

Argumenta liberalitatis & pietatis Scanderbegi.

ſtiores, Andream & Vulcathanium uelut quędam futuri fœderis pignora, & Scodrenſis ferocię inanem cautionem apud ſe tenuit, quos in arce Petrælbenſi ſub cuſtodia, benigne tamen lautiſſimeq; haberi iuſſit. His ita tranſactis, noua illi urbis potiundæ cura inceſſit. Inde quo celerius cupitæ tamdiu rei compos fieret, utile conſilij genus eſt agreſſus ad eam obſidionem & Veneti belli commoditates.

Baleſium oppidum. Plin. lib. 3. cap. 21.

Baleſium oppidum fuit, tunc monumentum tantum urbis, nullo ſatis conditore, ſed uetuſtate ſola notum, ſitū in radicibus montis Sardonici, Maranai uulgo appellant. Iuxta ager, & locus quidam, quē accolæ ſupra Scodram uocant, diſtans à Scodra xij. à Driuaſto v. à Dayno uero xv. ferè millibus paſſuum. Reſtaurare eam urbē Scāderbegus olim à Barbaris euerſam, animo concœpit, ubi impoſito preſidio, copijſq;, cōmodius inde & Venetū agrū late infeſtari poſſe, & prohiberi obſeſſis ſubſidia, à tot undiq; uexationibus occupato hoſte putabat, ſicq; partim muro, partim lignis ociſſime renouauit locum. Et quum urbis ſpeciem quandam effinxiſſet, relicto ibi preſidio Ameſam nepotē, Marinumq; Hiſpanū Epirotam notę uirum fidei, ad reliqua peragenda præfecit operi. Procuratisq; his, ipſe ad obſidionem Daynenſium nullis ſatis temporum uel bellorū incōmodis omiſſam, in ulteriorum ripam Drini eo die ſe contulit. Ameſa abſoluto murorū munimento, & quibuſdam ſtationibus militaribus prout operęprecium uiſum. Ipſe impatiens ocij adoleſcens (acuebāt nāq; iuuenile deſiderium tum omnes laudes domeſticę, tum recens in oculis patrui uirtus) quum multas ſecundas populationes & uaſtationes agrorū feciſſet, maiora quæq; cogitatione aggreſſus, Driuaſti uicinæ urbis oppugnationem toto animo induerat. Itaq; expedire iam tota die copias, & exhaurire nouā urbē preſidio, ratus ampliorē eam ſibi laudē futurā, ſi priuſq; preſtitiſſet eum apparatū patruus, inſcio adhuc illi ſubitū tā egregiæ geſtę rei nunciū cū ipſis captę urbis ſpolijs mittere poſſet, taciteq; conſenescentē eius uirtutē ſub Dayni mœnibus argueret. Ita feruens adoleſcentis ingeniū intumuerat fortunę inani ſpōſione. Sed Marinus, cuius eque induſtria in nouę urbis cura à Scanderbego electa fuerat, & cōiuncta perdito exemplo prudentia cum temeritate, doctior longo rerum uſu, & uenerabilior ętate uir, ne aperta cōtentione refragando iuuenis uoluntati, ſi multates ſibi cum illo (peſtiferum in rerum adminiſtratione malum) aliquas pararet, primum impedire ex occulto eius cōſilia, & abire tacite militum fauorē ad ludificandos ipſius conatus. Deinde ubi propenſiores illi uulgi animos, & militarē libidinē uidit propalam libera uoce ſe omni alieni conſilij euentu exonerans, his uerbis adoleſcentē dicitur admonuiſſe.

Ameſa nepos. Marinus Hiſpanus.

Driuaſti urbis oppugnationē inuit Ameſa.

Simultates peſtiferū malum in rerum adminiſtratione.

Verius hoſtē te mihi Ameſa, q; Venetos Scanderbegus reliquit, quo cum hodie quando omni bello flagrante prouincia longe aliæ cōſultationes nobis ineundę erant, nouas ordirer cōtentiones, et latētia aliqua odia excitarem, dum ſtudio aduerſandi, & iuuenilis gloriæ inuidia diſſuadere iſtuc ipſum fortaſſe uideor tibi. Sed quid de me doleo? qui Dijs homini busq;

busq; abunde uidebor ſatisfeciſſe, ſi conſiliū in hac re meū neq; omiſſum deſiderari, neq; impenſum reprehendi poſſit. Veſtra eſt iactura, teipſum patruumq; hodierno bello nō Driuaſti urbem oppugnare paras, ad ciuium ſanguinē hauriendū & exaturandū militū tuorum cruore hoſtile ſolum properas. Siccine inſtauramus hanc nouā urbē, firmamus copijs, ac robore armatorū, ut tam cito præſidio exutā intento ad id hoſti, ac nihil magis optanti, dum alias ſtulte appetimus, uelut in manibus tradamus? Siccine (ut nulla ſit huius loci cura) ea militum paucitate oppugnari urbes quiſquam duxerit? Qui uix ſufficerent ad tutandas, Driuaſti præſertim oppidum, quod ſicut amplum eſt, & numeroſum ciuibus, ita (liceat hæc in hoſte quoq; laudare) & armis, ac fortiſſimis uiris refertum. Idem (ni fallor) & tu & hoſtis expectat. Irridebunt è muris ſenes, & imbellis multitudo leues apparatus & inania urbis capiendæ conſilia. Iuuentus uero certaminis auida uel facta eruptione ad fugam ab oppugnatione per ſummum dedecus nos conuertet, uel patentibus late portis, deceptos intra muros, per ſecurum ocium recipient, & ulciſcentur recentes ſuorum clades, ac Scodrenſium iniurias tollent, tum animos cæterę urbes, inſurget ferocia uictis. Depone igitur, quæſo, dum integrę ſunt res, pernicioſam audaciam iſtam, neq; adoratū patrui nomen ea indignitate per hoſtium ora trahi patiare. Expecta ſecundis dijs laudis ampliorem & tutiorem materiam, tunc arma ſuadebo ipſe, & in manu tradam. Nemo inuitus fœlicia ſigna ſequetur, cohibe nunc feruorem iſtum & ſi difficile ſit cohibere. Diſce prior ipſe pati iugum à ſenioribus, quod hoſti cupis imponere. Adoleſcentia nanq; haud capax cōſilij (ut liberius iam tecū loquar) nō ſibi q; hoſti ſæpenumero æquior eſt, trahitur magis q; ducitur. Nullum ea pernicioſius onus mortalibus datū, conſilio bella ſunt gerēda, & uix, ubi omnia caute, rectéq; egeris, fœlix reſpōdet euētus.

Adoleſcentia haud capax conſilij.

Conſilio bella gerenda.

Fregiſſent animum adoleſcentis prudentia dicta uiri, ſed quū iampridem omnia præcipiti conſilio ad eam belli curam uelox temeritas expediſſet, turpius uiſum arrepta ſemel arma prudenter deponere, q; infœlicius exercere. Spreta itaq; ſalutaris adhortatio, & utilis pudor inani pudore uictus. Militum præterea receptus fauor, & uulgi promptior opera iuuenis deſiderium magis acuebant, prohibebantq; dubias aures, ſani quicquam ſermonis haurire. Ad ea igitur, quæ egerat Hiſpanus, primū inſolenter dicere, Aequatum ſibi cum eo à patruo imperium, nō eſſe cur alieno arbitrio uel bello, uel pace utatur, retineret ſibi ille milites ſuos, poſſe de copijs ſuis quoduis ipſe uelit ſtatuere. Verum ubi loquendo ira aliquantulum reſedit, & quieuit immodicus animi motus, tum modeſtior lingua, & lenior oratio adoleſcentis fuit. Laudaturum ſe eſſe collegę conſilia, ni ſimul tum & Baleſij, & Driuaſti cura poſſet expediri, neutram alteram impedire. Sat eſſe copiarum, quę & præſidio hanc firment, & oppugnent illam: neq; ita ſtolide ſpem eam conceptam ſibi, aggreſſurum improuidos ciues, & inermem iuuentutem inuenturū, nullis cuſtodijs

Reſpōſio Ameſæ ad admonitorem Marinū

portarum,nullis murorum ſtationibus diſpoſitis, plures præterea fore oppidanos,qui agentem ſe de deditione libẽter audiant. Et ſi difficiliora cuncta prẽter ſpem uiderit,nõ immoraturũ longius ibi obſtinato propoſito cũ militum ſuorum pernicie. Tum apprehenſa Hiſpani manu,ut bono eſſet animo hortatus,Deoſq; inſuper precatus,ut fauſtã ſibi eam oppugnationẽ faceret,copias impiger educit. Præſidio Baleſij ęgre duo millia cum Marino relicta,non ꝙ quiſq; inuitus duceretur,ſed quia tum patientiora periculi,q; ocij Epirotarũ ingenia, tum nullum familiarius,gratiusq; militi belli genus,q; urbium oppugnatio erat. Verũ Ameſa,q; uis ſilenti admodum agmine improbum deſiderium cęlaret,nõ potuit tamẽ nuncium aduentus ſui anteuertere. Admoniti nanq; oppidani (utpote qui à Daynenſis primordio belli ſemper circa quaſdam ſtationes urbis diſpoſitum tenebãt armatorũ numerũ primo ſoliciti progreſſi in muros neceſſaria ad propugnationẽ parare,& conuehere undiq; ſaxa,ac omnis generis miſſilia. Deinde ubi ex propinquo uiſus hoſtis, negligẽtius acta res,& cõtempta paucitas cum ipſo duce. Nihil tñ minuit fiducia eorum inſignẽ adoleſcentis fiduciam,quin extemplo ciues ingentibus oneratos promiſſis ad uoluntatriam' deditionẽ pelliceret,& urbem patrui nomine peteret. Repulſus acriter ab eis,incertus adhuc animi grauiq; indignatione percitus, duodecim pauloplus ſtadijs à muris abſceſſit, ibi multas nequicq; uario militum aſſenſu oppugnãdę urbis rationes uerſare,tormentorum uis nulla aderat,ita conſultabat ſimul & obſidebat. Diſpoſitis tamen circa cuſtodijs,ne alicunde impetus,præſertim à Scodrenſi agro in ſe fieret. Interim oppidanos egregia eius obſidionis ſoluẽdę cura inceſſerat,qui priuſq; motus aliquis in muros moliretur ab hoſte,fortunã certaminis experiri ſtatuerant. Autor eius rei erat Andreas Angelus,unus ex optimatibus,clarus uir factis , & emeritæ in bello laudis , qui ad portam inferiorem,quę planum,& occidentem uerſus ſpectat, inſtructa acie,ubi & diſpoſita per muros de induſtria armatorum agmina, & firmata præſidia portarum uidit,priuſquam eruptionem faceret in hoſtes,his uerbis ſuorum animos ad pugnam accendere adortus eſt:

Vrbium oppugnationes grate militibus.

Ameſa petit Scanderbegi nomine dediti onẽ urbis Didraſti.

Andreas Angelus.

Andreæ optimatis Didraſti adhortatio ad ſuos milites et ciues.

Si unq;,inquit,milites,ſuperuacua ulla eſt habita fortibus uiris adhortatio,hic planè dies,ueſterq; omniũ hilaris , & prõptus acceſſus idipſum mihi nunc clariſſime oſtendit. Quũ quiſq; ueſtrũ à parentũ,ab uxorũ cõſpectu , ab ipſo amplexu liberorũ huc alacriter ſponte ueſtra cõueneritis, & omnia ea uobiſcum feratis . Quum pugnandum,& ſub mœnibus,& pro mœnibus inſigni ſpectaculo obtulerit fortuna . Nonne uultis,cõmilitones & ciues mei amantiſſimi,urbẽ ueſtrã, patriã, lares,& Deos penates exẽplo maiorum tueri,defendere, atq; ſeruare ? Quid oẽs nũc triumphos,quos de hoſtibus reportarũt, ſcientibus gnariſq; cõmemorẽ ? ſat erit de multis paucos in mediũ afferre, longã enim narrãtis orationẽ anguſtũ nõ patitur tẽpus. Memini me audiuiſſe à maioribus noſtris, quem admodũ Barach ille Turcarũ prẽfectus Amurathe imperante cũ uiginti millibus

A pietate in patriam.

millibus equitum in agrum noſtrum irruens pactis quibuſdam & conditionibus urbẽ à ciuibus noſtris primum petere aggreſſus eſt. Cui quũ hi minime obtemperaſſent,is q; fata omnia,& quicquid frugiferi in campis erat,igni ferroq; dare cœpiſſet,ciues noſtri & populus Driuaſtenſis in unũ coacti agmen,hoſtes hincinde per agros & campos ſparſim diffuſos,& palantes aggreſſi,partim eorum trucidarunt, partim uiuos ceperunt,& in fugam cõuerterunt. Eoq; modo præclaram ac memorabilem uictoriam reportarunt,& ueluti triumphantes urbem uictores ingreſſi ſunt. Quid præterea de Stephano, cognomine Herceco , duce Boſnæ dicam ? Qui quum & ipſe cum uiginti quinq; millibus militum in agrum noſtrum irruiſſet,ſimilemq; expeditionem aduerſus urbem noſtram tentaſſet,& prius illam in ſuam ditionem poteſtatemq; petijſſet,quum ei populus noſter Driuaſtenſis parere noluiſſet, is in furorẽ & indignationẽ uerſus,per omnẽ agrum & campos ad illum depopulandum, incendendumq;,effuſus eſt. Noſtri præclaro admodum agmine tam equitum q; peditum facto,hoſtem adorti in fugam conuerterunt,atq; profligarunt, de eoq; inſigni uictoria potiti,q; plurimis ſpolijs & ſignis militaribus captis,ouantes ad urbem reuerſi , patriam decorantes incolumem egregie ſeruarunt. Quare agite præclarũ hoc obſtinatę ciuitatis reſpõſum ſolido hoſti afferamus & extorqueamus prædonibus impoſterum inanẽ ſpem urbium capiendarum. Pudeat deorum hominumq; tam ignauũ agmen diutius nos intra muros,& ſub tectis clauſos continere. Quid Daynenſis pertinacia ? in quã tamdiu Scanderbegus totis uiribus incubuit. Non ne omniũ animis graues injiciat ſtimulos pudoris ? Nepoti uilis ueſtrũ tradita cura cum ea hominũ paucitate,quæ mox uix ad tutanda propria caſtra idonea erit,ſi uiri eſtis,quum uobis in promptu omnia ſunt, quũ nihil roboris ibi ſit, non gnarus dux, non certus ordo, promptiſſimus quiſq; cum patruo obeſt. Colluuiem tantũ multitudinis, impatiens ocij adoleſcens,ad hanc obſidionẽ traxit. Mouit hęc oratio militum animos, omnesq; fremere cœperunt,& in hoſtem duci conclamarunt. Tum dato ſigno,omnes ingenti ſublato clamore erumpunt. Reliqui per muros undiq; ad ſua quiſq; miniſteria diſcurrentes , augent ſuperne & ipſi clamorem. Iniecit primum ſtationibus hoſtium tam repentinus tumultus, & clamor inſuetus,unde minime fuerant ſuſpicati. Dehinc ubi excurſare ubiq; armati uiſi,& tenore eodem impeti caſtra ab oppidanis,inſiliẽs uelociter in equum Ameſa,cum expedito agmine ſuorum impigre illis occurrit,ut ludificaret eouſq; hoſtem,donec reliquæ copiæ,quæ paſſim uagabantur per agros coactæ,& quæ in caſtris aderant, cõmodius inſtructæ prodeuntes cum ſignis in unum aggregarent ſeſe. Sed turbauit peritus dux ſerum iuuenis cõſilium. Tripartito nanq; milite quoſdam Italici generis,quod ibi præſidium Venetus poſuerat, cum parte equitatus ad aggredienda ſuperne caſtra præpropere mittit. Alteram partem , in qua maioris agreſtium ſagittariorũ erat,obſidere uiã caſtrorũ iubet, qui &

A triumphis maiorum contra Turcam.

Stephanus Herceeus dux Boſnæ.

A pudore, ne iuuenili hoſti & paucis ſe dedant.

hos auerterẽt,& interciperet illos. Ipſe cum tertia parte expedita ferocius Ameſę obnixus,diſiecit primo impetu omne agminis robur,& ducẽ exactum preſidio trepidũ auertit in fugã. Cui penetrata ſagittariorũ acie (ut dat plerunq; uires nimius timor) tutus cũ ſocijs in liberos cãpos euaſit. Tum renouatus undecũq; clamor,& hinc ducis fortuna,hinc ſubitus in teruentus hoſtium præcidit ſtationarijs oẽm facultatem inſtaurandę pugnę. Exin tota acie in caſtra incumbẽte,ibi quoq; aliquãdiu dimicatum,

Driuaſtenſes uincunt Ameſanos.

uincentibus egregie Driuaſtenſibus. Quare ubi proniora omnia ad uictoriã hoſti uidere Ameſani,relictis munimentis,per oẽs partes effuſi fugientes ſimul & reſiſtentes decurrunt in planum. Angelus nõ inſecutus palantes,neq; occupatus in caſtris diripiendis, ſed ſat indulſiſſe uictoriæ ratus,mox reuocato milite,urbẽ ouans ingreditur,non tamen diu lęta ea uictoria Driuaſtenſibus fuit. Ameſa enim cũ collecto ex fuga milite,eam

Ameſa agrũ Driuaſtenſiũ pernicioſe uaſtat.

ignominiam uerius q̃ cladẽ perpendere,ſimul & ademptã ſpem omnem cerneret urbis habẽdę,temerariam irritati animi ultionẽ aggreſſus, quicquid fructiferi,amœniúe circa urbem erat,deuaſtauit, tecta omnia diruta,incenſaq;,olearũ,quibus maxime laudatur illa ciuitas, uſus fermè nullus relictus,ſed non idcirco oppidanos fœlix ſemel audacia extraxit ex urbe,quã procul á portis ſæuiret hoſtis,ueriti ne longius progreſſi à ſuis excluderentur, uel in inſidias aliquas inciderẽt. Opportunum mihi uiſum

Driuaſtenſis oppidi deſcriptio.

eſt hoc loco Driuaſtenſe oppidum nullo ſatis conditore uel uetuſtate nobile quoquo modo ſubijcere legentium oculis, q̃uis ad Romanos urbis conditæ originẽ credulus ciuium error cõtumaciter referat. Hinc & gloriabundos audiſſe memini Romanorũ Colonos ſe appellantes, & inde originem ſuam traxiſſe contendentes. Ignoſcendum id tantum cupidioribus glorię ciuibus potius,q̃ credendum cenſeo, quum nullis uſq; uel ſcriptorum,uel rerum monumentis id comprobetur. Quod etiam Anti

Antibarum.

baro notiſſimo hac ætate in ea regione oppido accidit,quod de ueterum ingrato ſilentio non immerito conqueritur. Cæterum nõ indignus quidem uidetur locus (ſi rationẽ ſequamur) qui uel amœnitate,uel commoditate omnium rerum Colonia fieret, & ad ſe habitandum colendumq; homines alliceret. Eſt enim ager ipſe omnium quæ ad uitam pertinent feraciſſimus,Scaturientes undiq; fontes,& colles uelut manu diſpoſiti,planiciem exornant. Aër quoquo uerſus ſaluberrimus beat omnia,cõditq;. Vrbs in monte poſita,qua parte meridiem ſpectat,in planum uergens, à

Torrens Clyrus.

torrente Clyro alluitur,quẽ uerius fluuium dixerim quantalibet æſtatis intemperie indeficientibus aquis. Murorũ ambitus duo millia paſſuum amplius cõplectitur. Arx in montis uertice natura humanoq; opere munitiſſima tuetur urbem. Diſtat à Scodra viij.à Motri vij. & xx. millibus paſſuum. Ita eam in hanc formam poſt inclinationem Romani im-

Helena regina Myſſorum & Illyricorum.

perij euerſam à Gallogręcis,Helena regina Francigena,fœmina Chriſtianiſſima,Simeonis Nemagnę,Myſſorum & Illyricorum regis uxor,poſtmodum erexit atq; inſtaurauit,quę & alia uicina oppida æque diruta renouauit.

nouauit. Cœnobia & loca religioſa pleraq; in Epiro atq; Illyrico conſtruxit,ut ex his in marmore inciſis,alijs q; monumentis licet intueri. Explęta ad ſatietatem ira Ameſa,& deſolato hoſtili agro, non Baleſij repetendi amplius illum cura inceſſit,pudore fortaſſe collegæ quem integra rẽ non audiuerat,& ob illius ſpreta conſilia ſero tum dolebat, cum ſtolida temeritate ſe etiam nouiſſet infœlicem. Sed Daynum conuerſis ſignis pergit ire,imprudens dum Hiſpani reprehenſionẽ fugit, grauiorẽ patrui iram ſubiturus. Inſtructus enim de omnibus à nunciis locorum Scanderbegus,ubi de eiuſdẽ aduentu cognouit,uocatum ad ſe protinus plenus irarum propalam in uulgus (quod acerbiſſimum fuit adoleſcenti) omnium criminum reum inſimulauit,& debitorem poſtulauit ſanguinis ſociorũ, temerarium clamans,quod tam ſtolidum conſilium inijſſet ſine mandato,ſe quum à Baleſio diſcederet,nihil horum ei præcepiſſe,interpretandã conticentis fuiſſe uoluntatem,ut prohibuiſſe intelligeretur. Deinde qui proximi erant milites ſciſcitatus,ubi tranſacta omnia cõtra aſſenſum collegæ cognouit infeſtius exarſit,& perſtabat in incœpto immitis animus, dolereq; ſe ex eo non minus dicere,quod eam temeritatem grauiore alia & longe immaniore culpa auxiſſet in deuaſtandis nefario exemplo oppidanorum agris,igniq; & ferro in arboribus ædificijs q; deſæuiendo. Ad ea Ameſa quum haud facile eſſet reſponderè,uocẽ non emiſit. Illud tantũ ad ſocios cõuerſus,Nihil,inquit,uicto turpius eſt, Dij boni,quũ & hinc hoſtium ſuperbas inſultationes,& hinc moleſtiores tuorum uultus expectes. Tum circunfuſi omnes deprecare Scanderbegum, ut modum indignationi faceret,caſtigatam ſatis adoleſcentiam nepotis eſſe, & oneratam triſtibus uerbis illius fortunam. Se quoq; unà cum eo eius criminis reos damnari. Mitigauere itaq; ſubito militares preces populare ingenium Ducis.

Scanderbegus grauiter expoſtulat cũ Ameſa.

Milites intercedunt pro Ameſa apud Scãderbegum.

*

MARINI BARLETII SCODRENSIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, Liber Quartus.

DVM SIC INTER CHRISTIANOS TVMVLTVAtur potius quàm belligeratur, & ſub Dayni mœnibus Scanderbegus conſeneſcit, Amurathes de ſingulis,,tum à Muſtapha iam inde certaminis auido,tum fama ipſa admonitus,multa uario conſilio agitabat. Nunc pulchram opprimendi hoſtis occaſionem laudare,nunc inuictã eius fortunã admirari, demum q; quod magis dubiam mentem detinebat ficta Chriſtianorum odia, & uanos tumultus uereri. Ita dum inops conſilij princeps ſolicite alia ex alijs interpretatur, præterlabebatur paulatim è manibus occaſio miteſcente

iam Venetorum ira. Sed perpulchre ad infœlicia arma Ottomanum ſre quentes Muſtaphæ adhortationes poſcentis bellum, ad delendam prio rem ignominiam tendebant. Quamobrē laudata ducis uoluntate, mox núncium ad eum cum eius generis literis mittit.

Muſtaphas obtinet ab Amurathe, ut cum Scanderbego confligeret.

Bellum quod tantopere poſtulas Muſtapha, en dedimus tibi, laudem ex eo (ſi uera ſunt quæ ad nos de Venetorum armis afferuntur) tua tibi uirtus ac dextera pariet. Caute tamen agendum eſt cum eo hoſte, neq; ſu menda credule arma, quę ubi non credas, per ſummam fœditatem depo nas. Fallacis forſan inter Chriſtianos belli ſpecies, & inanes ſimultates te tantum capiunt, quippe quum (ut aiunt) nulla ſit breuior contentio, q̄ inter patrem & filium. Nos neq; monere abſentes pręſentem poſſumus, neq; ſtolidam pugnæ libidinem laudamus. Obeunda ſunt tibi omnia, & diſquirenda ſingula inermi, quę armato poſtea ſunt agenda. Militem ha bes inſignem numero uiribuſq; integrum, hoſtem tum feſſum tot præ liis, tum exhauſtum. Reliqua ages pro arbitrio tuo. Nihil enim ut facias prohibemus, quod è dignitate noſtra cenſeas futurum.

Poſtquam facta eſt belli copia ab Amurathe Muſtaphę, inſtructo agmine, ingentibus animis eo certamine totius belli labores finire conce pit, neq; inſidiantis more eum celabat apparatum, ſed palam hoſtis ani mum præferens ubicunq; ſui copiam faceret Epirenſis. Iuſta acie colla tiſq; ſignis omnem fortunam ſubiturus uidebatur. Interea nuncius à pręſidio, quod ibi ad Macedoniæ fines Caſtriotus reliquerat, Daynum miſ ſus magnis itineribus illū inſtruxit, qui de ſingulis & omnia prout erant,

Scanderbeg format ſuos cōtra Amurathē

expoſuit. Quare intrepidus princeps, & impiger belli artifex alium recen tem uiribus nuncium celeriter ad ſuos expedit, qui moneret eos, ut caue rent omnino aliquā pugnæ facultatem prębere Barbaro, ſed uel per mon tium ſaltus, & inacceſſa fermè loca ducentes agmen ludificarent. Interim hoſtem uel quadam fugæ ſpecie paulatim deciperent, differrentq; eouſq; fortunam certaminis, donec ipſe cum copiis ſuis opportuno aduentu re formaret ſingula. Quem ubi uidiſſent, mox eodem tenore ſequerentur, ibi ſigna, ibi acies, ibi robur belli foret, ubi ipſe eſſet. Dehinc q̄ quis mole ſte à Daynenſi negocio abſtraheretur, accito Ameſa, obſidionis curam il li tradit, non conſilio ſolum, ſed prece etiam agens cum iuuene, ne aliquid ſe abſente moliretur in obſeſſos, ſatis proprio edoctus malo, nóue pedem uſq; à mœnibus referret, quo uel reſpirādi copia fieret oppidanis, uel fru mentationis faciendæ facultatē haberent. Ipſe diminutis ibi copiis quin gentos equites, mille quingētos lectiſſimos pedites ſibi ad uetus præſidi um augendum contra nouos Barbari motus elegit. Driuaſtenſes copiæ ad obſidionem cùm adoleſcente relictæ ægretulerunt. Cupiebat nanq; quiſq;, & Scanderbegum orabat, ut concederet ſibi recenti contra Bar baros uirtute culpam priorem corrigere, & abolere ignauiæ memoriam noua gloria. Nemo tamen acceptus, quum neq; omnes ducere ex re ſua eſſet, neq; alios poſſet ſine cæterorum moleſtia & diſcordia quadam feli

gere, dum

gere, dum nullus ſe ſocio deteriorē credit. Veteranos tantum, & emeritæ militię uiros totius robur exercitus elegit, nō ignarus optimus belli dux, aliud eſſe muros obſidione cingere, & ſub ignauis mœnibus compreſſis manibus ſedendo uincere hoſtem, aliud comminus furentibus gladiis, & cruento Marte difficilem laudē appetere. Vix abſceſſerat Scanderbegus,

Scodrenſes Baleſium incendūt, funditusq; euertunt.

cum Scodrenſes & de Turcarū motu, & de ducis conſiliis pariter & pro fectione non ignari ſumma diligentia copias & magnam uim tormento rum ad nouę urbis oppugnationem parabant, ueriti niſi inde Caſtrioti pręſidium expelleretur, & expurgaretur locus ille hoſte, ſe in uiſceribus ipſis bellum ſemper habituros, neq; facultatem unq; reſpirādi futuram. Quare uelut auidum luporum agmen, ubi abeſſe paſtorum curam noue runt, irrumpunt intrepidi in imbellē gregē, & indefenſa ouilia rapiunt, diſijciuntq;, ita intenti iampridē hoſtes, poſtq; profectum ad aliam belli molem Caſtriotum aduerterunt, ſtatim infeſtis ſignis, infeſtiori appara tu Baleſium petentes, inde acceptarum iniuriarum ultionem ordiuntur. Nihil abſuit, quin pręſidiū ibi ppprimeretur, ſi expectatus fuiſſet hoſtis. Sed Hiſpanus ubi afferri machinas & reliqua quatiendorum murorum inſtrumenta cognouit, collecto milite, cęteriſq; impedimentis, Daynum ad ſociorum copias ſilenti agmine iter arripuit, uacuis tantum munimen tis hoſti relictis. Superauerat iam Clyrum Scodrenſis, & duobus fermè millibus paſſuum diſtabat ab oppido, cum tacita omnia ſubito uiſa, non clamor uirorum, nō pręſidij ſignum aliquod pro muris auditum. Iniecit pauorem primo & horrorē quendā animorum uiris tam improuiſa res & ſuſpectum ſilentium. Deinde ubi exploratores miſſi, uacua omnia cu ſtode nunciarunt, audacius proceſſere ſigna inſidiarum ſublato timore.

Amor ingenios reddit.

Moleſtior tñ ea res & hoſtium fuga fortibus uiris fuit, quod ſibi tantum cum ignauis mœnibus, & inanima urbe pugnandum aſpicerēt. Humoi pręſertim duci illi, qui ſeruitutē fratris pręclaro aliquo facinore ulciſci cu piebat, indignatus q; tamdiu libertatem illi apud Caſtriotum exorare nō potuiſſet, ni fecerit fortaſſe (ut ingenioſos reddit homines amor) eo conſi lio, q; expugnato Baleſij pręſidio ſperaſſet habere efficax aliquod pignus captiui hoſtis, quē poſtea cum fratris corpore permutaret. Subiere itaq; muros undiq; milites, ad quos diruēdos nō ſatis neceſſarius uſus tormē torum fuit. Recēti enim ferè adhuc cemēto inutilis cōpago lapidū uecti bus tantū ferreis acta paruo impulſu ſua ſpōte ruebat. Diſiecta igitur pau co momento omnia, reliqua lignea materies, & ſtipitum robora iniecto igne arſerunt. Stationes militares, & cætera munimēta pariter ſolo æqua ta. Ita inanimo ultionis genere Scodrenſes odio expleto deformem ur bis aſpectum reliquerunt duci ulciſcendum prępropere maximo ſuo ma lo, & grauiore longe calamitate. Non deerant ibi, qui ducendas recta uia copias ad Daynenſem obſidionē ſoluendā dicerēt, & tentandā ibi fortu nā, quū omnia eſſent ad uictoriā proniora, Scāderbego abſente. Sed tū paucitas ipſa ſuorū minuebat audaciā, tum moliri quicq; noui conſiliį in

Inanimo, quod anima caret, ſi cut Vergilius exanimum corpus. Iam enim dixerat de muris dirutis.

hoſtes

hoſtes præter mandatum præfecti urbis cæteri prohibebant. Signa itaq; conuerſa Scodram, & retro actæ domum copię nullo ſatis ſpecioſo glorię genere, non captiui ſpoliis, non hoſtile ſanguine decorę.

Marinus quoq; Daynum reducto præſidio, & dolorem Ameſæ propter publicã ignominiam, & riſum quendã ob priuatã eius fortunã excitauit, ne ſolus ignaue repulſus à Driuaſtenſibus uideretur, cũ & collega ſocius mœſticię ac fortunę eſſet, tũ publice ad milites cõuerſus adoleſcẽs.

Tacita Ameſæ querela.

Age nunc, inquit, miſereamur poſthac miſereamur couſq; hoſtium, donec funeſta pietas iſta noſipſos precipitet. Soluamus pernicioſo exemplo Scodrenſium uincula, reddamus libertatẽ captiuis, ut facilius poſtea in capita noſtra deſęuiant. Quis animus patruo erit? Vbi deformem urbis aſpectũ cernet, ubi diruta mœnia aſpiciet ab illis, quos captos nuper in Drinoniis campis tam ſpecioſo omnium ſpectaculo libertate donatos patriæ reddidit, ut noua hodie aduerſus ſe arma ſumerent, & feroces inſtaurarent ſpiritus. Ignoſcamus Driuaſtenſibus, abſtineamus ab hoſtili agro, hoſtiliaq; æque in corporibus noſtris paſſuri. Iam eó decurritur, ut dum tam faciles in ignoſcendo ſumus, omniũ in nos arma excitemus, & dum aliorum uincula rumpimus, nobis iugum ipſi imponamus. Habendus ita eſt hoſtis, quum in poteſtatem uenerit, ne dum pij magis ſimus quàm par eſt, pietatis ius omne amiſſum in eum transferamus. Nemo conqueri poterit de nobis, ſi belli iure utamur: nemo crudeles appellare eos, cum quibus pari odio de uita, de ſanguine decertet.

Muſtaphas non facta ſibi copia pugnandi à Scanderbegano præſidio, agrum incendit atq; deuaſtat.

Gerebantur hinc res ignauis querelis. Inde Muſtapha immiſſo agmine Scanderbegi præſidium quieſcere non permittebat, ſed aſſiduis procurſationibus laceſſebat magis q̃ terrebat hoſtes. Ipſi nunq; æquo Marte congreſſi, defendebant ſe nunc munimentis caſtrorum & locorum potius quàm propriis uiribus, nunc modico agmine educti, ſimulata fuga, per ludificationem Barbari diem extrahebant. Ille itaq; ubi inanem ſpem præſidij opprimendi uidit, neq; oppugnare ſtationes eorum aggreſſus, neq; palantes longe inſecutus timore inſidiarum cuſtodijs tantũ diligenti conſilio diſpoſitis in deuaſtandis adiacentibus agris, reliquum operæ conſumebat, donec admonitus de Scanderbegi aduentu retractis copijs non multo minus quàm duo millia paſſuum procul ab hoſte firmatis ſignis conſedit. Locus ipſe quem ad id certaminis elegerant, Oronicheus, uel notiori uocabulo Oronochius appellatus, in Dibra ſuperiore eſt, in quadã planicie haud multum lata, vi. millibus paſſuum procul à Croia. Caſtriotus quoq; cum nouo milite receptus in caſtris, primũ omnium edicto admonitos, ne quis iniuſſu exiret ſtationes, ſingulos ad opus muniendorum caſtrorum traducit, neq; à barbaro motus aliquis exortus. Quieta igitur utrinq; ſtatiua fuere. Dehinc Epirenſis ubi procurata eſt ſatis caſtrorum cura, & arma munimẽtis firmata, tum armis firmare munimenta cœpit, & ordinum habere rationem. Veteres copiæ trium millium & quingentorũ equitum numerũ cõplebant, peditũ ſexcentorum.

Oronochius locus.

Nam licet

Nam licet Caſtriotus haud multo minus q̃ v. hominum millia ibi reliquiſſet, quum ad Veneti belli apparatum proficiſceretur, plures tamẽ inde ab eodẽ poſtea diuerſis rationibus euocati ſunt. Computatione itaq; omnium habita, ſex hominum millia inuecta, qui eo præſidio Barbaro opponerentur, & inſignis gloriam certaminis ſubirent. Neq; tamen omnibus copijs pugnatum: uacuas nãq; cuſtode reſtare ſtationes (quẽcunq; euentum dediſſet fortuna) non paſſa eſt ſolertia ducis, ſed trecentorum uirorum lectiſſima corpora ei cuſtodiæ addixit. Copias ſumma ratione conſilioq; deduxit in alas, equitum robora in frontibus locauit, mille & quingentos utrinq; diſpoſitiones, ueritus imparem peditem primo impetu hoſtium facile pelli poſſe. Circũfuſi itaq; pauci poſt alas, nam in medijs ordinibus maioribus peditatus reſeruata. Ibi quoq; munita quingentorum equitum robore, ut prima eruptione undiq; eques cum equite, ſi ordines turbati non eſſent, concurreret. Dum ita inſtructa acie Caſtriotus immota ſigna, & ſilentio militem contineret, expectans ut hoſtis moueret, Barbarus à reliquis copijs euectus (Caraguſio nomen erat) in medium, quod uacui interiacebat campi prouocationis ſignum dedit. Dein de progreſſus ante ipſas ſtationes, inſigni uoce fortiſſimum quenq; poſcit, qui ſecũ ſingulari certamine decerneret. Tenuit ſilentium primo uiros, quippe quos ſicut à detractando pudor, ita ab accipienda conditione metuendum pugnę genus impediebat. Non tulit tamen diutius inſultationẽ Barbari Paulus Maneſſi, notus equeſtri gloria bellator, quum & ad idipſum omnes ordines ſpectabant, uelut potiſſimum illum ea appellaret prouocatio. Sed ſurgens ingenti ferocia letitiaq;, ad Scanderbegum, uoluntatem eius ſciſſitaturus, ire perrexit, à quo laudatus egregie eſt, & accenſus grauioribus ſtimulis rarum ſimul ſpeiq;. Pergeret ſecundis Dijs, tum ad priuatum decus petendum, tum ad inſignem ſociorum uictoriam, eo preclaro facinore auſpicandam, quem ceteri poſtmodum imitentur, & lætus exercitus pulchra recentis eius gloriæ auſpicia ſequatur. Circunfuſi igitur undiq; turmales, uelut iam inde uictorem laudare. Ille tãtum moratus, dum arma, & ſolitos ad id genus certaminis apparatus expediretur, mox equũ cõſcendit, & in ſubiectum prouolans cãpum, expectantẽ hoſtẽ infeſta uoce cõpellat, & ad ictus ſe parare iubet. Barbarus autẽ tantulum more petens, dum loqui pauca ſibi cũ eo liceret.

Copiæ Scanderbegi.

Duellum Pauli cet Caraguſij

Victoriam, inquit, dextera & fortuna decernet, leges ipſæ uictorię nobis ſunt ſtatuendæ. Si gloriam de me hodie tibi promiſere fata, nihil recuſo uictus belli iure, & opima ſpolia tibi, & cruentum cadauer auferas. Sin ipſe ſub manibus meis occumbes, idem iuris ſeruari mihi in captiuo corpore poſco. Idq; ratum habeant duces, ne uel in ipſo certaminis ardore, uel poſt decretum duellum motus aliquis oriatur à ſtationibus adiuuandam alterutrius fortunam.

Leges duelli.

Ad ea Paulus comprobatam eſſe eius pugnæ legem, quam ipſe uelut timido deſiderio ſeruari poſtulet ſibi, cedere aperto iure uictori reliqua,

ubi fero-

ubi ferox ſpiritus ceſſerit. Pugnaret intrepide, hoſtem niſi ſe tantum habiturum, quē ubi ſpoliaſſet uita, inulti quoq; cadaueris liberam poteſtatem futurā. Nam uel ſi ipſe concedat eas inanes reliquias militum lachrymis, non paſſurum Scanderbegum, ut ignaua membra ad ſe deferantur. Mouit Barbarū audax uiri reſponſum, & facilis uitæ contemptus, adeo, ut prouocaſſe fermé pœniteret. Tum ubi firma omnia & rata ſanxere duces, deſtituti in medio ambo, omnium in ſe oculos conuerterunt. Deſixerat pauor mixta ſpe homines, qui ad ſpectaculum aderant, ſolicitos euentorum. Pares nanq; uiſu ambo ac ſpecie erant, media uirorū ſtatura, ætas fermè eadem, neq; patiens ignauię, neq; iuuenili calore uana. Idem ambobus habitus armorum, haſtæ equeſtres, clypei laminis ex calybe in umbilico diſtincti, enſis utriq; de more recuruus, & ferrea claua, corpora loricis, & capita galeis tecta. Addebant præterea decorem quendam (licet nihil ad uictoriam facerent) fulgentes ex ſerico tunicæ. Citatis itaq; ociſſime equis, trucibus oculis ſimul & animis campum diuerſi rapiunt. Et quum infeſtis cuſpidibus concurriſſent, Paulus ſupra ſcutum, dextrum oculum rimatus, Barbaro haſta transfixit. Delapſumq; humi cum uulnere, ex equo deſiliens, armis corpus, & capite truncum priuauit, ac cæſi hoſtis onuſtus ſpolijs, equum conſcendens, ad ſuos redibat, quem effuſi undiq; ex ſtationibus milites ingenti gratulatione perducunt ad ducē. Collaudatum eum Scanderbegus mox inſigni clamyde ex auro contexta, ac uilla quadam opulenta publice donauit. Tum cæterorum ordinum animos (pugnæ nanq; & iaciendæ congreſſus illius aleæ tempus inſtabat) ſolitis de more adhortationibus accendit.

Deſcribit Paulum et Caraguſium et horum Panoplium.

Paulus uincit Barbarum in duello.

Oratio Scanderbegi, qua auget ferociā ſuorum, et minuit hoſtium.

Animatos ſatis uos ſingulos præclaro hoc priuatæ uirtutis ſpectaculo (ſi facta quicq; uiuaces fortium uirorū ſpiritus mouent) eſſe exiſtimo milites, quippe quum nullum acriorē ſtimulum ſubijcere Dij hodie potuerint uobis, q; fœlicia hæc uictoriæ delibamenta, quæ & augerent ferociam ueſtram, & minuerent hoſtium. Quare agite factam ad laudem uiā audacter ingreſſi, fumātes adhuc cruore hoſtili militis ueſtri manus, pulchra omnes contentione imitamini. Vouit pro uobis, uouit pro uictoria ſolicita ſocij cura. Immolauit victimam pro uobis fortis dextera, quo incruenti uos poſtea ſecundo Marte deuota uobis corpora conficeretis, & promiſſa peteretis ſpolia. Irrumpamus igitur nunc nunc in hoſtem, prouocauit prior extra ordinem uos ille, prouocemus priores nos tota acie ipſum, extrahamus inuitos in funeſtum campum, dum ignauus dolor uires hauſit, & torpor animorum homines mœſto ſilentio cōpreſſit. Sub ijs dictis curatis iampridem corporibus, ſigna canere iubet, & quinta fermè diei hora in aciem educit. Inſignis ſanè ferocia uiri, & digna inuicte uirtutis fiducia, quam omnis ætas admiretur. Auſus eſt ea hominum paucitate unicus belli artifex, contempto egregie hoſte æquo campo, collatiſq; ſignis tanti fortunam certaminis ſubire. (Nulla nanq; tum ignaue fraudis, nulla inſidioſi ſtratagematis ratio procurata.) Auſus eſt prior relictis

relictis monumentis libero euectus campo ei hoſti inſultans uelut renitentem educere ad pugnam. Iamq; ad ipſas hoſtium ſtationes ingenti militum clamore pergebat, ni Muſtapha tumultuario primum agmine, dehinc totis uiribus illi occurriſſet, ſed ſicut timide progreſſi, ita facile primo impetu pellebantur, & uix dum omnes è caſtris educti iuſtam aciem compleuerant, quod plures ſubita fuga iam recipiebātur inter ſtationes. Id ubi aduertit Barbarus, neq; ſigna ſuorum, neq; militem uſquam conſiſtere, quo accenderet audaci exemplo uiros, clamitans ut ſe ſequerētur, & ubi eum uidiſſent, conuolarent ſigna. Concitato repente equo, primā hoſtium frontem inuadit, pertinaci conſilio aut uictor ad Amurathem reuerſurus, aut non inultus caſurus. Secuti ſunt plures ordinum ductores, & turmalium non ignobile agmen. Reliqui quoq; pudore ducis relinquendi paulatim inferentes pedem ora hoſti ferienda prębebant, & uarijs locis conferti, obnixius quo poterant, ſuſtinebāt aciem. Ita ubiq; iam ordines inſtaurati, ac renouata pugna erat. Sed nullum uſquam indiciū uariantis (ut ſolet) fortunæ uiſum, perdita æque ex omni latere uictoriæ ſpes, uincentibus perpetuo tenore Chriſtianis. Adeò duorum militum euentus fortunam quoq; uniuerſi exercitus iam inde formauerat, & ſingulorum animis impreſſerat audaciam & pauorem. Moſes à ſuo cornū nunc equite immiſſo, nunc ſubiecto pedite, & deducto pro ſignis turbabat barbaros, ac diuiſos acrius premebat. Illi uelut fato quodam magis, q; ab hoſte ſuperati, & uix ad deuitanda uulnera idonei, uinciri magis, q; uincere aptiores uidebātur. Paulum in media pugnantem acie, maxima undiq; hoſtium ſtrages ſequebatur. Turbati iam hinc inde ordines erāt, non equitis, non peditis locus, promiſcue æquata omnia, & maior fermè ibi Turcarū numerus confoſſis ſibi equis ab Epirenſium peditibus, ueterutis, pedes pugnabat, ſed tum inaſſueta corpora pedeſtri pugnę, tum in incommodiora arma pernicioſę perpediebant uiros. Augeri ſemper hoſtium illis uidebatur acies, rareſcentibus copijs ſuorum. Stabant tamen cæci pudore, expectantes ducis euentum altera parte, quē cum nobiliſſimis quibus q;, & omni exercitus robore ad Scanderbegi ſtationem præteruectū reformare cunctorū ordinū fortunā poſſe credebant. Pauli aſpectus nunc urgebat, quū metirētur timidis animis maiorē quę q; in hoſte, ex peremptī nuper uiri gloria. Nunc irritabat ardentibus ſtimulis homines, quū deformis militis ſui ſpecies, & inulta ſocij umbra ob oculos uerſaretur. Ingentia præterea (quod maximum irritamentū erat) præmia à Muſtapha pro inuiſo capite propoſita uictori auidiora periculi militum ingenia faciebāt. Denſati itaq; plures circa unū totis uiribus incubuerāt, & uelut obliti cæterorū, obnixis uultibus unū appetebant. Per cędes, per uulnera ſuorū emere quiſq; precioſi capitis munus non recuſabat, ſed ſtolidum hominum deſiderium pernicioſum ipſis etiā reddebat pertinax uiri uirtus, qui ſtipatus quorumcūq; fortiſſimorū caterua propellere ſatis eam uim poterat, & cōtemnere inanes conatus. Tum cōſpiciens Barba-

Chriſtiani uictores.

Veruta pila dicuntur, quod uelut ueruta habent præfixa.

Perpedire, pro impedire.

I rorum

rorum exercitum à reliquis copijs inceſſantem infeſtius agmen ſuorum tacite conſecutus obliquũ uiri caput gladio perſtrinxit, & uno ſubinde altero q̃ ictu pxcipitem deiecit ex equo. Stratum humi ubi uidere ſocij, retracto protinus pede, nec̃ ulciſci iacentem, nec̃ corpus à reliqua hoſtium uexatione tutari curabant. Inſtare tum acrius Epirenſes, ac ſine reſpiratione urgere turbatos, donec pulſi penitus omnem laudem ceſſere victoribus. Fugientes Paulus quantum maxime poterat, carpebat poſtremos, mordacibus ſubinde uerbis in illos cauillatus:

Quo fugitis ignaui? Ità ne omnis ſociorũ memoria abijt? Nullús ne hic Carapuſij frater? nõ conſanguineus? nõ neceſſarius iacentis quiſpiam in tanto numero, qui deformem truncum ultione ſaltem, quæ ſola ſupereſt auxilio proxima, honoret? En ipſe ipſe nunc uos appello, prouoco q̃, quẽ priores uos nuper ad malę concœptam gloriæ ſpem euocaſtis. Siſtite gradum, accipite cruenta ſocij ſpolia, quę ultro uobis ipſe offero.

Illi nullius rei pretęrq̃ fugę memoress, turpi ſilentio hoſtis increpationem nec̃ approbabãt, nec̃ reprobabant, ſicq̃ liberiori paulatim euecti campo, ex oculis euaneſcebãt, ut uix fremitũ inſequentium audirent. Sagittariorum tantũ obſtinatior ſæuitia in eos fuit, cęteri ordines abſtinuerunt fugientiũ tergo, nanc̃ tum laſſitudo, tũ ſatietas hębetauerat hominum uires, animos q̃. Abiecta tñ ubi ſigna, & ſparſas paſſim lunas (militaris id genus eſt ſigni Turcarũ populis) collegiſſet, læti milites pulchro clamore, & iactatis incõdite carminibus, ad Scanderbegi ſtationẽ cõtentione quadam afferebant. Læta nanc̃ ibi omnia iampridẽ erant, hoſtes uel cęſi longo ordine iacebant, uel ſeruati belli iure inutilibus poſt terga manibus, & proprię ignauię & hoſtilis clementię confeſſionem faciebãt. Muſtaphas quoq̃ ipſe cum xij. purpuratis ſimiliter conſpiciendus cantherio ducebatur, augebatq̃ ſpectaculum, & leuabat uelut fortunam cæterorum. Nam quũ præterlatus pernicioſo gloriæ appetitu in Caſtrioti cohortem eſſet, & obſeſſum ſe ibi, ac omni ſuorũ robore exutũ uidiſſet, nec̃ aut effugij, aut pulchri interitus facultas ulla adeſſet, maluit infœlix dux omnia, libertatem quoq̃ ipſam pro uita paciſci. Neſcio an pulchriores, & magis ſecundis Dijs toto belli tempore cum Amurathe geſta, ita ſpecioſa omnium eo die opera fuit, non dux, non miles, non ordo aliquis onuſtior priuatæ ſimul & publicæ laudis antea redactus. Cæſa ex hoſtibus referunt x. millia, captos lxxxij. ſigna militaria xv. Scanderbego modica militum iactura ea ſtetit uictoria, uix trecentorum (ut aiunt) hominum. Caſtra quoq̃ non ignobili prędа ditarunt militem, nam quũ Barbari aliquot menſibus ibi moram traxiſſent, peculium quoddam ſibi quiſq̃ conſtituerat, cæſorum ſpolia pulcherrima inuenta, equorum inſignis numerus. Non tamen licet prędа militẽ oneraſſet, exaturauerat ira ferocem ducis animũ, quin extemplo refocillatis corporibus, quod reliquum ſupererat diei, ad deuaſtationem agrorũ militem traduceret. Sicq̃ uictoriã recentẽ ſecutus, iniecto late igne, quę ferro nõ potuit, abſumpſit.

Lunæ militare ſignum Turcis

Mos. Manus poſt terga captiuis.

Cantherius equus, cui teſticuli amputantur. Scx. Pom. F.

Decem millia ex hoſtibus cæſa.

Necq̃

Nec̃ inde tamen uulgi manus uacuæ receſſere, & non ſolum ſi quid precioſi fuit, nihil relictum, ſed pecorum quoq̃ magna uis abacta. Ita dũ ſeſſos prædа etiam iſta magis tardat, uix prima noctis uigilia recepti ſunt in caſtris. Reſiduum noctis ibi quieti datũ, tranſactumq̃ tacite ſine iocis, ſine clamore, & nullo fermè uictorię indicio, mœſtiorẽ nanc̃ ducẽ uiſum propter auditam Baleſij ruinam, modeſtiora quoq̃ militum ingenia, & ad idipſum compoſiti uultus imitabantur, nunc conſolantes leniter, nũc priuato odio frementes in hoſtem. Sed non poterat ęger animus ſomnũ capere, dum Scodrenſium ferociam, dum ſua in illos beneficia collata cerebro retractat. Mane itaq̃ dubia adhuc luce relicto ibi ut conſueuerat preſidio duobus equitum millibus, & mille peditum cum reliquis copijs ad Daynenſem obſidionem conuertit ſigna. Captiui quoq̃ omnes abducti, & prædę fermè quicquid precioſi fuit. Vbi quũ ab Hiſpano ſingula magis certo ordine didiciſſet, tantum moratus, dum renouaret militem, mox recentibus copijs, multa ſimul damna importãs Scodrenſibus, Drinum traiecit, immiſſoq̃ paſſim equite, quicquid ſati in campis fuit (Autumni nanc̃ in ipſo exitu altiori tum herba ornabantur prata) deuaſtauit, uites uniuerſæ internetione deletæ. Omnis fermè fructifera arbor æquata ſolo, agreſtes qui inuecti fuere occiſi plures, dum arceret hoſtem, reliqui omnes male habiti, exutiq̃ patrimonijs. Subinde ad alia loca & oppida Venetorum progreſſus, eandem omnium fortunã faciebat. Villani, & ſi quid præſidij reliquum in agris erat, cuncti ad ipſum defecerũt, priuſq̃ ruinam ſentirent. Culpauit Scanderbegus Ameſæ indignationem, ſuam non cognouit, execrauit adoleſcentis ferociam, præſeruidam in ſe iram cohibere non potuit. Tum ubi procurſata omnia, & inſolenti dominatione ſubiecta ſibi uidit, urbibus quoq̃ ipſis incipiebat eſſe terribilis. Sed appetens iam frigoris uis, & increbreſcentes quotidie pluuiæ, inuitum ſub aſſuetis mœnibus in hyberna compulerunt. Veneti interea prouinciæ præſides, & Scodræ magiſtratus ſolicíti de rebus omnibus, præſertim de Dayni præſidio, ubi ad ultimum inopiæ uentum ſciebant, literas ad Senatum de ſingulis decernunt. Sub idem quoq̃ tempus & Barbari cum ingentibus donis ac magna ui pecuniæ pro captiuis redimendis ad Scanderbegum acceſſerant. xxv. numum aureorum millia fuiſſe nemo diſſentit. Datus itaq̃ Muſtaphas cum cæteris, & honorati hoſtes, habitiq̃ liberaliter ſunt, uelut omne odium reſediſſet. Exin & duces dati, regionis periti, qui ignaros regerent, & ſeruarent ab inſidijs ſuorũ. Captiua pecunia omnis militibus erogata, ut penes eoſdem præmia, penes quos pericula eſſent. De Dayni oppugnatione nihil per eos dies tentatum, prohibebat nanc̃ moleſtia frigoris quicquam moliri in muros. Oppidani rerum omnium, prętерquam fidei, immemores, de aſſueta pertinacia nihil mutabant. Hauſerant uires hominibus tot undecunq̃ incõmoda, ſed idem feruor animorũ erat, uegetiorq̃ indies in diminutis corporibus ſpiritus. Ita puſilla urbs fortiſſimi ducis impetus retardabat, &

Scanderbeg mœſtus propter Baleſij ruinam.

Scãderbeg ad obſidionẽ Daynenſem ſe conuertit.

Muſtaphas cũ alijs 12. purpuratis captiuus, 20. aureorum millibus redimitur.

Puſilla urbs fortiſſimi ducis impetus retardat.

tot simul bellorum uictorem sola constantia uincebat. Nunquam tamen Castriotum pudor ullus ab inceptо auertit, sed dedendo, si aliter non posset, uincere destinauerat. Ferebantur iam obscuræ quædam uulgi uoces, & incerta murmura de propensioribus ad pacem patrum animis. Quare & mitius Scanderbegus agebat cum hoste, leniusq; in procursationibus assuetis indultum iræ, nunciatur extemplo sibi legatos decreto Senatus missos, qui noua pacis consilia inirent, iamiam adesse. Præmisso itaq; de more obuiam nobilissimorum ordine uenientes honorifice excepit: deinde habitos lautissime, postero die exhibuit copiam dicendi ea, quæ à patribus afferrent. Proposita simul & accepta sine uariatione inter eos est unica illa pacis conditio, ut soluta Dayni obsidione Epirensis, acceptam semel in suam fidem urbem cum omni iure Venetis cederet: Ipsi ager quidam iuxta Drini flumen, & locus quem Busegiarpeni appellant, ad inuicem consignatus. Nihil negauit Scanderbegus, sed quæ statuissent ipsi, lætus tulit. Firmata igitur pace, & rite peractis omnibus, tũ silentio facto (parabat nanq; generosus animus insigne indicium liberalitatis ostendere) ita exorsus est:

Conditio pacis obsessi Dayni.

Busegiarpeni.

Grata lautaq; oratio Castriotti ad Venetorum legatos qui cum pace ad eũ uenerunt

Viueret utinam nunc bonus Princeps ille, cuius mors & præcipuum simul dolorem mihi, & molestissima uobiscum arma excitauit: neque enim dum impij belli auspicijs, ac domestico sanguine cruentam Dayni possessionem à uobis quæro, cernerem hodie prouinciam Christianorum, & sociorum, tot immersam malis, & inuiolata cum optimo Senatu pace gloriarer, quam læsam nunc tam leui causæ momento uix unquam conquerere poterit animus, sed alia contentionis huiusce origo. Excusabilem uestram sumpti belli rationem illorum perfidia fecit, quibus auctoribus primum Daynensis deditio facta uobis, dum & iniquis consilijs facile mulieris ingenium à me abalienassent, & quę acta iam pridem inter me & Leccham fuerant, dolose, & assentationis studio quodam reticuissent.

Laudat Venetos.

Non sum igitur succensus eousq; uobis, nõ arma sumpsi, ut iniustos arguerem, non ut regni libidinem imputarem Venetis, quos unquam iniqui alicuius belli auctores nulla satis ętas uidit. Illud tantum molestissime tuli, quod minus mihi, quàm par erat, credidissetis, & dum à uerbis illorum non discederitis, contentionis me studio motum, & cupiditate aliqua impetrandi arbitrati essetis. Inij tum ipse belli occasionem, quam in manibus fermè mihi traditam uidebam, quum ius omne in armis resideret. Depono nunc ultro poscentibus Dijs, & si uos non posceretis, agrũ & campos, quos in Dayni compensationem decreto Senatus attulistis mihi ad fœderis huiusce firmitatẽ, & libenti animo accipio uoluntatẽ patrum, liberalissimorumq; Principum amicitiam amplector, aliud quippiam neq; peto, neq; accipio. Sed & quicquid agri est mihi, si oporteat, regnum, fortunas, uitam denicq; pro uobis, liberisq; uestris, & imperij dignitate deuoueo.

His dictis

His dictis, præconia per uniuersam regionem decerni iubet, & cupitam tamdiu pacem lætis populis annunciari. Obsidio tum dissoluta ocius, & demolitis oppugnationis operibus, alacres ordines extipere oppidanos, ac inuitare ad stationes, deleto odio omni simul publico, simul priuato. Andreæ quoq; & Vulcatanio libera abeundi potestas data, restitutaq; cætera legatis, uillæ, & castella, quæ Scodrensibus nuper ac uicinis urbibus adempta fuerant. Postridie editis de more uarijs ludorum spectaculis, cum ingentibus donis legatos à se dimisit.

Ipse impatiens ocij cum omnibus copijs ad Barbarorum fines deuastandos, & assuetam prædam, ire perrexit. Collectoq; ibi ueteri præsidio, ac coactis in unum ordinibus, iusti cuiusdam exercitus formam expleuit, ut non ad depopulationem agrorum, sed ad ingentis alicuius belli morem instructam aciem diceres. Ita lætus quisq; sequebatur ad accipienda promerita diutinæ militiæ stipendia. Aliud enim nihil tum à duce poscebat militaris cupiditas, nisi quod quisq; sua manu cæpisset. Hinc ioculariter sæpe uicini principes Aerarium Scanderbegi agrum hostilem appellabant. Tum tripartitis copijs Turcarum fines ab omni parte ingressus biduum in depopulando consumpsit, colonorum magnus numerus cæsus, nisi qui Christianum nomen profitebantur. His quoq; nihil præter uitam & libertatem relictum. Ignis postea tectis immissus, deformauit omnia, ac in cineres uertit, ita ut si exercitus hostilis eo tempore uenisset in Epirum, nisi conuecto secum commeatu, uix unius diei alimenta inde sperare potuerit. Vbi igitur nuda tantum tellus, & sola cladis uestigia relicta, tolli signa Castriotus iubet, & retracto intra suos fines exercitu, collaudata singulorum opera, milites omnes exauctoratos domum dimisit, præter tria millia, quod præsidium nunquam à solita custodia retocatum, ipse cũ reliquo ciuium agmine, & stationarijs suis, Croiam petijt.

Excursio atq; deuastatio agri Amurathis à milite Epirense facta

Aerariũ Scanderbegi, hostilis ager.

Quum relatum est in Senatu de Epirotica pace, & Scanderbegi munificentia, ac laudes celebratæ publice à legatis, ingens patrum gratulatio exorta, quod respirasset eo bello prouincia. Tum ut decorarent eam uiri uirtutem ac libertatem aliquo gratorum animorum exemplo, primum habitis suffragijs sine uariatione absens cum omni posteritate ciuitate donatus, & inter clarissimas familias receptus est: deinde & unus electus in genti patrum cõsensu, cui in ea regione totius rei Venetæ summa demandaretur. Datæ itaq; mox literæ ad eum cum regijs muneribus. Barbaris & assuetis eorum excursionibus nihil per eos dies auditum. Defixerat nanq; pauore quodã eos Mustaphæ fortuna, ac prohibebat Amurathem solita agmina decernere in Epirum, & eiuscemodi copijs augere magis, quàm oppugnare hostis uires, quum omnes exercitus suos, qui ad id tẽpus ad Scanderbegum lacessendum Macedonię fines intrassent, uel maiori ex parte deletos, uel fœde fugatos, aut redactos in seruitutẽ cerneret. Maioribus proinde uiribus, & alio apparatu, ad id peragendum opus esse ratus, terebat dies cõsultationibus, & laudis materiam sibi olim

Castriotus à Venetis ciuitate donatus, totius rei Venetæ in Epiro, ille lyricoq; summus creatus est imperator.

inani propoſito reſeruatam differebat. Sed ubi & fama Venetæ pacis, & prouinciæ deuaſtatio, ac clades alia ſuper aliam audita, pronus iam inde ad bellum animus, acrioribus ſtimulis impulſus eſt. Solicitus itaq; ſenex priuſquam decretum aliquod de habendo delectu interpoſuiſſet, accitis purpuratis quibuſdam, qui propiores tyranni lateri aſſidere ſolent (conſiliarios illi uocant) amens ira furoreq; nutritum tamdiu odium his tandem uerbis explicauit:

Acris tyranni adhortatio ad ſuos ſuper bello contra Scanbegum decernendo.

Fouimus iam hucuſq;, optimi duces, auximus q; nefarij rransfugę fœlicem ſemel audaciam, dum nouis ſemper Hungarici belli neceſſitatibus, præpediti inuiſi capitis ſupplicium diſtulimus, ut tot ſubinde iniurijs, cõtumelijsq; Ottomanũ imperium impune laceſſiuerit, quas neq; audire iam aures, neq; uidere oculi poſſunt. Creuit (proh pudor) proceſſit eo ferox inſania, ut audeat hodie prior totis nos armis impetere, & aperte timorem ſimul & ignauiam ueſtram arguere. Quid Alybaſſæ nunc fortunam, aliorumq; ducum eundem euentum narrem uobis? Sumamus ex

Macedonia deuaſtata.

Macedonia imaginem conditionis noſtræ, quam ita aſſiduis euerſam excurſionibus, & hauſtam incendijs audio, ut nulla iam ſimus prouinciæ, ſed ſola hoſtium ueſtigia uiſuri. Ita integros dies nuper populabundus ingreſſus, compoſitis ad idipſum copijs, ſignisq; in dauaſtanda ea regione conſumpſit. Quouſq; tandem ſcelerati hominis propoſitum paſſuri ſumus? an dum uincula nobiſipſis circundet? Extinguendi ſunt improbi conatus, ne ſenſim per negligentiam noſtram creſcat incendium, & ſerum (quod ominari reformidat animus) remedium conqueramur, quũ à paruis initijs contemptus hoſtis olim funeſtum caput extulerit, & auxerit uires. Inuitant ad bellũ omnia, & arma tradunt uobis. Nam & ſi nulla

Miſerabilis aſpectus populorum.

ſit conſilij huiuſce ratio, nonne ſatis fortium uirorũ animos ſolicitare debeat miſerabilis aſpectus ſubditorũ populorum? An pudorem nõ excitent tot indies uincula noſtrorum, & fumantia late incendia uillarum ultorem eo ipſo poſcentia? Compreſſimus iam totiens Hungaricam rabiem memorabili ſemper clade, ſordidaq; in luctu ſuo Græcia relicta, hauſimus tot inſolentiſſimorum principum uires. Epiroticos tumultus per

Victoriæ Turcicæ.

ſecordiam noſtram creſcere permittimus? & uectigalem, ac ſtipendiariã nuper prouinciam æquo nobiſcũ bello decertantem diutius cernimus? Itáne alios tam repente Epirenſes terra ædidit? Noui ne, & inuſitati nobis hoſtes repente apparuerũt? Experiri iuuat igitur ipſi mihi, utrũ tam inuicta bello gens, et inflati pertinacia ducis, iugum aſſuetũ ſubire poſſit. Neq; enim amplius ineunda ſunt nobis inania conſilia opprimendi per inſidias hoſtis, non alternis ducibus, copijsq; ſolitis decernendis exatu-

A fortuna ductorum et copiarum.

randum ſanguine noſtrorum inuiſum ſolum. Habemus nanq; in oculis eandẽ omniũ fortunã, uel ductorum, uel copiarum, quorum ad hãc diẽ operam uerius ad nos, q; ad hoſtem oppugnandum elegimus. Alybaſſę aut Feriſio ne exercitum tradamus? qui præter uulnera ſuorum, deformesq; reliquias, nullum reliquũ hoſtile ſignũ afferant? Muſtaphę inſoli-

cia con

cia conſilia ulterius exerceamus, ut ſtipendijs alat Chriſtianos, & foueat hoſtium uires, dum ignaua uincula cupit exoluere? Victi totiens, capti, ac redempti tot pœnas dedimus, ut pudere merito iam nos debeat fortunę noſtræ. Quare ſubeunda eſt omnino nobis belli huiuſce ratio, incumbendum ijs uiribus, progrediendũ eo exercitu, quem uix capiat Epirus, nedum eius ſuſtineat impetum. Sicq; incruenti omnia expurgabimus, hoſtibusq; aut expulſis aut memorabili clade domitis, amiſſas populorũ perfidia urbes in antiquã formã redigemus. Vel ſi pertinacia gentis (ut ſolet) temerario propoſito ducis tutandi ſtudio in arma ruet, dabimus excidio auidos ſupplicij animos, & cupita tamdiu ultione ueteres publicas, priuatasq; iniurias cõpenſabimus. Sumẽda hęc arma ſunt uobis fortiſſimi uiri, nõ uelut aduerſus Hungaros, alioſq; hoſtes conſueuiſtis, ſed maiori longe ira, indignationeq; tanq; in ſeruos ueſtros, & transfugas, qui inſolentes in uos ſpiritus nefario iampridem conſilio ſeruatos excitarint.

Apparatus belli Amurathis contra Epirenſem.

Clamabat hæc concionabundus irarumq; plenus, maximoq; ſilentio ac aſſenſu auditus eſt à ſuis, approbantibus omnem belli eius rationem è totius dignitate imperij futuram, acclamantibusq; curam apparandarũ armorũ ſubeundam, quàm maxima fieri poſſet feſtinatione, ne uernum tempus (nam miteſcente iam hyeme, ueſtiti niuibus colles aperiri incipiebant) in apparatu per negligentiam conſumeretur. Tum confeſtim per prouincias & ſubditos populos ac regna ſociorum præconia emiſſa, edicta q; propoſita, ac iuſſę nominatim urbes, prout tyranno uiſum, tot hominum, tot equorum millia impendere, qui ad regiam urbem Adrianopolim, qua maxime poſſent feſtinatione, properarent. Nondũ enim mœſta tanto funere Græcia, nobiliſſimorum Imperatorum ſedem Barbarico ſubditam iugo, ingemiſcebat. Inuaſerat rumor, terror q; pariter uicinos populos, urbesq; Chriſtianas ignaras, quo tanti belli moles eruptura foret, occulta nanq; tyranni conſilia uix ullus poterat cõiectare, ne illorum quidem qui magis intimi domeſticiq; erant, præter conſiliarios, quos diximus aliquot maxime obſeruantes Ottomani, ne præmoniti hoſtes ad uim propulſandam conſilij copiam habere ualeant. Hinc memini prima Scodrenſi obſidione prius fermè uiſos nobis ſub muris, q; auditos fuiſſe hoſtes. Sed & illa inſigniori fallacia perdita gens uti ſolet, ut alio plerũq; mendacem belli famam, ac inanem tumultum præmittat, alio ueros exponat impetus, quo pernicioſa credulitate ductos facilius incautos opprimat. Quare omnia ingenti tumultu undiq; miſceri. Hinc Hungari uerentes æterni perfidiam hoſtis, exhauſtas iam tot cladibus uires, ac infœlicia arma erigebant. Hinc Græcia ſolicita tenues inclinati iam imperij reliquias defenſura, diſperſos domeſticis odijs ſpiritus colligebat, non ſefellit tamen Scanderbegũ Amurathes, qui omnes ſimulationes, & diſſimulationes Ottomanas longo iam uſu callebat. Admonitum tamen illum etiam ferunt à primoribus quibuſdam, & purpuratis Principis, per indicia quædam, & occultiſſimos nuncios, licet nihil ualde certũ affir-

Conſilia Turcæ ſecretiſſima ſunt.

Mos Turcæ mendaci fama belli illudere.

marent, ſed credita ſunt facile omnia ab Epirenſi. Augebat nanq; præcipue fidem, inſolitum Amurathis ocium, quod nihil penitus præſidij, & copiarum, uel ad recentes Muſtaphę iniurias ulciſcendas, uel ad tuendos fines ad eam diem miſiſſet. Dimiſſa itaq; urbanarum rerum cura Caſtriotus, nihil ex tam uaſto belli motu, ac hoſtili tumultu fluctuatus animo expedito conſilio omnia, quæ uel alius imperator prudens & impiger in tali re præciperet, ageretq;, præcepit ordine, atq; egit. Illicoq; ſimul nuncios cum literis ad uicinos, regulos, & ſocios Epirotici nominis mittit, quo inſtructi ſtarent in armis, diſponerent præſidia; ac firmarent armatis oppida, communirentq;. Promiſcua etenim omnibus damna, cõmunesq; uaſtitatis ruinas tanti exercitus magnitudinem afferre, tenderecq; Otomanum, non ad eius perniciem tantum, ſed ad commune excidium Epiri. Ipſe ſimul, dimiſſo prius Moſe, pluribusq; optimatum ſuorũ, tum ad copiarum cõquiſitionem, tum ad frumentationem habendam ad eas belli neceſſitates, nihilo ſegnior ab alia parte peragrans omnia, obequitansq; crebra edicta per uniuerſam prouinciam decernere, non dies, non noctes ceſſare, donec omnem materiam ſeuiendi hoſti, & gloriæ occaſionem ſuſtuliſſet. Agreſtium itaq; magna pars, & inutilis turba, cum uniuerſa ſuppellectili in urbibus reducta. Quod roboris uirorum fuit, & omnis militaris ætas retenta ad belli diuerſos uſus, præſidiũ quoq; à Macedonię finibus reuocatum ad nouum apparatum belli, coactęq; undiq; copiæ ad regiam urbem Croiæ, non contemnendam formam effecerant exercitus ſpeciem. Tum Caſtriotus conuerſo animo ad ſecernendas copias, primum omnium x. hominum millia, qui ſecum nuper contra Venetos, & apud Oronichium meruiſſent, elegit ſibi, quos barbaris, prout opportunitas locorum ſuggeſſiſſet occaſionem, liberiori certamine opponeret, Croiæ præſidio. M. ccc. milites ad ueterem ciuium numerũ adiecti Epirotici generis omnes, ſpectatę uirtutis in multis bellorũ caſibus. Ciues quoq; ipſi tum omni genere telorum, quod ad propulſandum à mœnibus hoſtem, in rem eſt, tum robore animorum præcipue, ac deuotorum fide pectorum armati. Simul igitur & nouum præſidium impoſitum, & imbellis turba fœminarum, ac inutilis puerorum ætas extracta ex urbe, ſola militaris iuuentus, neq; tamẽ cum uulgi promiſcue colluuio relicta, quorum non ſic facile ardentes animos penetrant uirtutis ſtimuli, & ſegnius precioſum libertatis nomen ignaua pectora acuit.

Quæ Caſtriotus ad ſalutem regni procurauerit, audito tyranni aduentu in Epirum.

Decem millia hominum electa cõtra Turcam.

In rem eſſe.

Ingenium uulgi nõ admodũ uirtutis & libertatis curãs.

Habitum ſumma ratione, exacto; conſilio rerũ omnium diſcrimen, utpote quod clauſtrum totius prouincię ad comprimendos barbaricos tumultus ea urbs uidebatur, à qua reliqui ſpes imperij penderet, ſaluſq;. Sed neſcio an meliori conſilio abſtrahi à ciuium cõſpectu filij, uxoresq;, an relinqui ſibi potuerint. Quum acrius longe irritamentum mœſti preſentium uultus, uiſę lachrymæ, auditi gemitus, ac oberrans præ oculis ſeruitutis calamitas, & fœditas uinculorum, quàm ſola abſentium memoria armatis futura fuerit. Ni tutius idcirco fortaſſe id conſilij genus peritis militiæ

Croia clauſtrũ Epirotici regni.

militiæ uiſum, quod licet apta ſit ea adhortatio cernentibus ad labores, & pericula ſubeunda, ſimul tamen & hoſtilis audaciæ, pertinaciæq; non leue momentum eſt. Quod ſperatæ prædę libido impingit obſtinatiori ad arma propoſito milites, & feruidioribus ad inſiſtendũ ſtimulis acuit barbarorum ingenia, acrius in uulnera, acrius in tela ruunt, neq; illos uel muri, uel ſuperſtantes armati arcere queunt, quin certatim ſubeant, ſegnius ſi nihil audiant in urbe præter fortium præſentiam uirorum, ſi nihil aſpiciant in mœnibus pręter auidas ſanguinis dexteras, & morti deſtinata pectora. Miſerabile ſpectaculum erat, flebile Croienſium diſcedentiũ agmen, plena omnia gemitus, ululatusq; fœminei. Non domus, non uicus, non pars ulla urbis expers luctus. Perſonabat uario clamore forum nunc reprehendentium, nunc inuitantium ſuorum lachrymas. Pręcipua tamen in templis & delubris eius fortunæ, ac publici doloris ſpecies erat: ibi nanq; ingens populi concurſus, & omnis generis multitudinis uerſabatur. Supplicationes, uotaq; mixta cum miſeranda ui lachrymarũ, per aras omnes cadebant, pectoris ac oris (ut mos eſt gentis) laceratio fœdiorem aſpectum calamitatis faciebat. Matronarum nihilo ſegnior dolor, & præter uultus deformationem dulce uidebatur imitari reliquarũ mœſtitiam. Nihil pudendum, nihil immodicum in ea ſorte cenſebatur, & laudatior ea ceſſit, cuius inſignior mœror iudicatus. Non deerant quoq; ſi cut ſolitæ ita impiæ mortalium querelæ, ac improbe uoces fœminarum, malorum ſuorum cauſas in deos uertentium. Deinde ubi reſedit aliquantulum per lachrymas exaturatus dolor, ad alloquia ſuorum uerſæ matres iterato ſermone undiq; tumida cum oſculis mandata dabant. Nunc præſtita olim officia filijs, & promeritam pietatem commemorantes, nunc infirmam ſenectutem, & uerendam caniciem oculis ſubijcientes. Idem omnium ſtatus, & habitus ſermonis, uxores paruulos obiectantes uiris, uiduos iam inde penates, & ſordidam orbitatẽ deplorabant. Senes mœſto ſilentio defixi, & æque de natorum ſalute ſoliciti, neq; accendere ulterius uerbis feroces ſuorum ſpiritus, atq; auidam ſuopte ingenio periculi iuuentutẽ, neq; dehortari à laboribus, & perfungendis pertinaciter muneribus, ne liberorũ amorem patriæ charitati præferre uiderentur. Mox decretum à Scanderbego miſſum, ut leuaretur eo onere ciuitas, & armati ad ſua quiſq; munia abirent, quum ſatis iam impenſum ignauo dolori & priuatis ſingulorum conſilijs diceret. Renouatus igitur iterũ luctus, clamorq; cum lachrymis ſublatus, uelut rapi iam ab hoſte omnia, uiros, parentes, mœnia, delubra, deos ipſos uidiſſent. Vix abſtrahi poterat multitudo à poſſeſſo ſemel amplexu, manere quiſq; ſocius periculi ſuorũ, ac comes fortunę uellet. Sed ubi iam inſtare moleſtius præcones, & apparitores ducis aduertere, in ultima oſcula prolapſi omnes paulatim chara pectora relinquebãt, & fixis ſemper in mœnia oculis, incerta humi ueſtigia figentes abibant. Tranſportatos ferunt in maritimas Epiri urbes, & alia ſociorũ oppida, ac Veneti nominis, ibidẽ & ingens colonorũ multitudo cum armen

Spectaculum miſerabile ciũ pueri & fœminæ urbe ejiciuntur.

Malorum cdulas in Deos uertere.

cum armentis, gregibusq́ ac patrimonijs redacta, ne opportunum quic quam calamitati relinqueretur, unde alimẽta eliceret hostis, quibus abun de uteretur. Postquam summota est turba, & sedatus clamor, ac tumul tus in urbe, solaq́ uiris armorum cura relicta, Scanderbegus reliquum eius diei in recipiendis frumentatoribus, ac disponendis publice horreis cõsumpsit. Diuisa est & uiritim annona militibus, telaq́ omnis generis, ac ingens scutorum copia dono data, ut inde iam liberali erogatione suo rum fidẽ præueniret. Arma se ferrumq́ ita largiri dicebat hominibus, ut

Vulgi animus muneribus deuinctus.

sibi perpetuo libere haberẽt, uel glorioſius transferrent in hostẽ: clypeos ita demum tradere, ut iterum restituerent. Sic procuratis his per iocum, & deuinctus uarijs muneribus uulgi animus. Postero die Vranacontẽ

Vranacontis heros Epirẽsis urbi Croiæ præficitur.

quem urbis præsidio prępoſuerat, Epiro oriundum, gratum & auorum meritis, & propria uirtute uirũ ad se accitum, primo summotis arbitris, multa cum eo de Croiensi obsidione, & Barbarorum ingenijs longo exa mine egit. Deinde propalam in foro, medio armatorum agmine immi xtus, altiori sono uocis, ut sermo ad omnes peruenire posset, singulorum

Scãderbeg patriæ salutẽ cõmendat.

fidem appellans, patriæ salutem commendabat, nunc hortans, nunc im perans, nunc precibus agens, & tum perfidiæ pœnas, ac sceleris, tum ge nerosa fidei præmia statuens. Subirent fideliter patriæ onera, arcerẽt per tinaciter hostem, neq́ quicq́ satis hostilis colloquij ad obstinatas aures deferri paterentur. Insidiaturum eo modo Ottomanum, & captaturum eiuscemodi persuasionibus, ac funestæ pacis colore, si faciles ad credendũ inueniat. Contra si nihil præter feroces spiritus, & surdas inanibus blan dicijs aures uideat, pulsum primo impetu aduersis dijs collecturum uasa, neq́ moliturum diutius quippiam in muros, ni perniciem militum suo rum capiat, & in indignationis explendæ causa apertum ruat discrimen.

Croia urbs munitissima.

Eum nanq́ situm urbis insigni munimento naturæ esse, ut locus ipse, uel si compressis manibus sedeant ciues, iniuriam facile cedere possit. Exin, si motus aliquis fiat in muros, neminẽ excessurum integrum, pręclaramq́ simul ac incruentam gloriam paratam sibi, dummodo uti ea uelint.

Adhortatio Scanderbegi ad Croienses suos per occupationem.

Ecquid, inquit, orationis uobiscum mihi esse potest amplius? Quid horter diutius, accendamq́ eos, quorum totiens uirtus, fidesq́ spectata, iam omni fermè terrarũ orbi innotuit? Quin & si minus omnia tuta mi hi uiderentur in uobis, & nulla hucusq́ dedisſetis cõstantiæ, nulla fidelis operę pignora, iustius tñ credere à ciuibus ipse meis decipi, cq́ diffidere.

Scanderbeg Croiam exit.

His dictis, sexta hora diei exit urbe. Ingens, ac omnis ferè ciuium tur ba prodeuntem usq́ ad portas secuta est. Tum relictis & obseratis por tis, ad reliquas copias in ipso conspectu urbis in campestrem locum de scendit, ibiq́ signo ocius dato, mota sunt castra, haud multo longe pro gressus, Mosem cũ expedito militum agmine obuium habuit. Redibat autem à Sfetigrado, quod oppidum ad Barbarorum fines positum, im pensius solicitudinẽ augebat Scanderbegi. Munierat id uero Dibrensis rebus omnibus uiris, armis, cõmeatu, operibusq́ quibusdam in muris, quæ in

quæ in rem uidebantur extructis. Impedimenta præterea omnia inutilis ętatis, sexusq́ abducta ex urbe, cura urbis Petro Parlato, graui, ac perito militiæ uiro tradita erat. Sed illud longe optimum uidebatur, quod per nicioſissimum ex ipso postea euentu apparuit: Quod omne fermè præsi sidium armatorum ex Dibrano milite constabat, quos de industria Mo ses tanquã longe bellicosissimos Epiri populos ex totius corpore impe rij ad id elegerat. Laudatus est multum à Scanderbego, quod omnia ex animi eius sententia gessisset. Traditis itaq́ illi alijs copijs, quas ad cæte rarum præsidia urbium parauerat, ipsum cum optimatibus quibusdam ad cætera prouinciæ loca & oppida firmanda mittit, & singula fermè mu nia singulis designat, quo celerior foret omnium procuratio, neq́ pericu li quippiam sequeretur ex mora. Ipse cum paucis equitibus Sfetigradi portis adequitauit, solicitus nãq́ de ea urbe erat supra cq́ dici possit, uelut tacita diuinatione præsagientis animi imminens malum. Vt autem præ senti sermone firmaret magis, accenderetq́ suorum animos, & Barbaro rum insidias, ac delinimenta Amurathis, quæ magis etiam cq́ arma ipsa ti mebat, doceret præcauere, Sfetigradum ingressus, in media urbe, ubi ma ior aderat concursus, & fremitus armatorum, ac circunfusa undiq́ nobi lissimorum quorumcunq́ astabat corona, exorsum ita ferunt:

Petrus Parlatus.

Non poterat hodie meliorem materiam Sfetigradenses offerre uobis Deus optimus maximus, non pulchrior occasio laudis ardentibus ani mis, & cupidis militibus subesse, quàm ea quæ nunc iustissima uobis ar ma tradidit, quo & priuatam simul fidem mihi, & publicã Epirotico no mini in omne tempus prędaro exemplo testatiorẽ sanciretis. Pro uicto ria hucusq́ pro decore imperij dimicauimus, nunc pro salute, libertate, & mœnibus ipsis patrię pugnandũ est uobis. Enitendum ne quas tot bel lis fœliciter gestis meis auspicijs laudes promeruistis, nunc per summum dedecus & ignauiam dehonestetis, multa ac maxima fermè fortunæ hu iusce pars à uobis pendet. Primus nanq́ Amurathis transitus in Epirũ, Primus (ut nuncius sim ipse uobis eius periculi) Barbaricus furor uos impetet, ut inde uelut demolitis claustris Epiri opportuniorem iniuriæ prouinciam perrumpat. Vos belli eius primitiæ manent. Vos (si residet quicquam in pectore uirtutis, si uiget in fortibus uiris memor libertatis animus) contundere potestis superbas hostis uires, & feroces frangere spiritus, à uobis & timoris & spei initium sumpturus est Ottomanus. Si ita animatos offenderit, ut nunc ego uos in pulchro furore contęplor, & lætus immodicos fremitus audio, maiorem ubiq́ uim periculi timebit, & documentum eo ipso feret abstinendi a' cæteris urbibus Epiri. Neq́ præmet diutius uos inani obsidione, ni consenescere hic copias stoli do proposito uolet obstinatus senex. Is enim urbis est habitus, ea na tura loci, quæ contemnere æque quantumlibet irritatum hostem possit. Quare inducite in animum, ciues sola pertinacia animorum, ac fidei con stantia incruentam hanc pariter & speciosam uobis uictoriam parare.

Libertas.

Oratio Castrioti ad præfectum Sfetigradensem & oppidanos.

Sfetigradi ũrbis habitus.

Ex euentu

Ex euentu uirtutis ueſtræ (id quod libenter repeto) fides quoq; cætero rum populorum plurima ex parte pendet. Vos ſpectabunt omnes, quos laudent, quos accuſent, quos demum uelut omni reformata belli fortuna imitentur. Quid enim obtendere fatum, & caſuum humanorum neceſſi tatem fortes uiros decet? Ratione res optime & ſuſcipiũtur, & finiuntur. Vix eſt ut fallat conſilium fortuna, & non ſequatur uirtutem. Habetis au tem omnia, quæ exactiſſimo iudicio potuerunt prouideri, & pręſtari uo bis. Non arma, non commeatus, non ualidiſſimum præſidium extrinſe cus deſiderare poteſtis. Non inutilis uos turba uulgi impediet, non que rulæ fœminarum uoces, & moleſtæ occurſationes liberorum à muneri bus publicis, ab armorum cura, & patrię cuſtodia auocabunt. Solos uos uobis, & patriæ mœnibus, Diis, aris, focisq; reliqui, ut glorię tantum, & libertatis ſtimulis, laboris, ac periculi certamine, ipſoq; inter uos conſpe ctu accendamini. Adero tamen & ipſe non longe cum expedito milite & ſpectator, & hortator tacitus uirtutis ueſtræ. Et licet non in temeraria li bidine pugnandi omnem cruenti hoſtis impetum, & uniuerſi fortunam belli æquo Marte ſubiturus, multos tamen labores ueſtros in me trans feram, & uanos hoſtis conatus crebris infeſtationibus ludificabo. Quan doquidem nulla potior ratio dimicandi, nulla tutior militia exercẽda eſt nobis inter eam hominum colluuiem, & tot armatorum millia, cq; nunc; ſatis copiam facere pugnandi hoſti, nunquam, uel ſi certam uictoriam ui deamus, totius aleam fortunæ intrare. Dabit nanq; de induſtria primũ materiam nobis benegerendi Barbarus, fouebit audaciam noſtram ſan guine ſuorum, ut uelut ineſcatam fœlici ſemel ſucceſſu temeritatẽ facilius circumueniat, opprimatq;. Sed eludenda erũt ſumma ratione, conſilioq; improba Ottomani deſideria, carpẽdusq; paulatim immodicus hoſtis, prout temporum ſuadebit & locorũ habitus. Luctuoſa nanq; mihi pro fecto illa eſſet uictoria, quam militum meorũ pernicie emerem, & triſtius (mihi credite) quàm lætius ſpectaculum cernerem, cæſa octona, uel x. ho ſtium millia, pauciſſimorum quantumcunq; ueſtrũm iactura. Satis lau dabo Epirenſes meos, & honorabo pro uictoribus, ſi non uinci ſe à Tur carum rege permittent. Reliqua uoſ ipſos uobiſcum reputare Dibrenſes q; ſolicite monẽdo de fide ueſtra tacita aliqua dubitatione referre, malo.

Ratio dimicandi cum Turca.

Aſianus miles in Europam trãſportatur.

Per eoſdẽ dies, quibus Caſtriotus collectis hincinde copiis ad Croiã firmandam cõceſſit, Aſianus miles eſt in Europam tranſportatus, Adria nopolimq; magnis itineribus contendit. Haud multo plus quàm xl. ho minum millia fuiſſe omnes conſentiunt. Nam quum bellum in Europa eſſet, confectus eſt ibi ex maiori parte exercitus, utpote quod & aptior eſſet ad belli aſſueti uſum miles, & cõmodius in ea celeritate domeſticus fermè apparatus fieri poterat.

Dum ſic ex omni parte indies aduolarent regię copiæ, & ingentis iam ſpeciem exercitus confeciſſet Amurathes, ac prope finem apparatus eſſet, uaria exordiendi belli conſilia apud tyrannum afferebant purpurati, ac periti

periti militiæ. Alij non amplius morandum rati, mittendum prius expe ditorum equitum agmen in Epirum (præcurſores illi de more gentis ap pellant) qui uelut procella ſubito impetu confunderent, turbarent, miſce rentq; omnia, ac incautum hoſtem extraherent ad certamen per ludifica tionem, donec ſubſequens deinceps ipſe toto exercitu facilius opprime ret. Alij abſtinendum omnino ab eiuſcemodi inanibus irritamentis cen ſebant, ne uel maiorem hoſti materiam procurandi præberent, quę ad to tius belli molem in rem eſſent, uel priores ipſi præcipitarẽt in inſidias. Sa tis multa eſſe aliorum recentiſſime cladis documenta, audire ſe præterea, id quod & propalam quotidie in uulgus nuncietur, totam Epirum iam pridem inſtructam in armis eſſe, urbes oppida rebus omnibus, & præſi diis armatorum affatim communita, loca cuncta fermè & aditus locato ad id ipſum milite teneri, Epirenſem cum reliquis copiis tota die peragra re prouinciam, ac perluſtrare ſaltus ad fœlices totiens inſidias, ſiquas de inceps etiam poſſet, concinandas. Pernicioſum eſſe cum eo hoſte ſeruare eum belligerandi morem, ineunda alia conſilia, quæ non, ut conſueuit, adhuc improbet euentus. Quid enim obſtare, ut non ad unum percant ſub hoſtili gladio omnes, antequam ſerum lenti exercitus auxilium adſit oppreſſis? Cauendum ne belli eius auſpicia à ſuorum ſanguine capiant, progrediendũ cũ omnibus ſignis, ac integro apparatu, exoluendumq; tandem eo labore Ottomanum imperium. Vicit tamen media quædam ſententia, utpote quæ aptior tempori, ac rerum gerendarum dignitati ui debatur, ut haud multo minus, q; tertia pars exercitus prœmitteretur, ido neum numerum rati nõ ad propulſandam ſolum, ſed inferendam quoq; ignominiam, qui turbatis repentino aduentu hoſtilibus rebus, cõſilijsq; liberiorem deinceps regio exercitui aditum pararent. Electa mox igitur xl. equitum millia leuis armaturæ, eoq; ipſo magnis itineribus expedita recta ad Sfetigradũ uia, ut priores eius obſidendæ urbis rationẽ inirent. Tum ſurgens ex toto Tyrannus, perluſtrare reliquas copias iubet, ac in ordines deduci. Legionum duces penè innumeri erant, diuidi nanq; cõ ſueuit per Flambura exercitus, quibus Feudatarij, quos ipſi Timarato res appellant, præſtent, & ſingula Flambura plures Subaſſidas, ac capita ordinum, & pro qualitate maiorem uel minorem equitum numerũ ha bent. Pedeſtres item copiæ tam Aſianæ, quàm ex Europa, certo quæq; ordine conſtant, ac ducibus ſuis diſtinguuntur. Auxiliariorum quoq; armorum, quæ belli tempore decerni conſueuerunt Tyranno non igno bilis numerus erat. Non deerat etiã, ut ſolet in omnibus fermè negocijs, multitudo uoluntariorum. Aderant præterea haud multo minus, quàm tria millia, obęratorum, ac exauctoratorum, & aliorum florentiſſimorũ iuuenum, qui mercedem regis, & ſtipendia militaria, ac reſtitutionem or dinum præclaro aliquo facinore, atq; ignominię abolitione expectantes quærunt. Prętorium, ac ſtationem principis, amplius q; viij. armatorum millia, Ianizaros uocãt, cuſtodiunt, & hæc uerius familia tyranni dicitur, pedites

Flambura. Timaratores. Subaſſidæ.

Ianizari.

pedites omnes cæterorũ longe bellicosissimi, quos uelut Triarios in sub sidijs habent in bello Barbari. Sed & ad augendam speciem exercitus ma gna seruorum colluuies, & ingens inermium fermè numerus ad terren dum magis, cp ad belligerandum appositus cogebatur. Et ut ea materia cedendi oblata occupatus hostis exhaustis uiribus facilius fessus oppri meretur, id quod inter maxima Turcarum stratagemata numerãtur, hu ius exercitus duo prcipui ductores ex more fuere, quos illi Beilarbeidas hoc est ducum duces uocant, unus Asiæ, alter Europe, nos usitatiori uo cabulo Bassas nuncupamus. Nimis molestum esset animis legentium, si demonstrare nunc singula proprijs nominibus, & suis quæcp numeris recensere uellem. Satis igitur feciss mihi in hoc proposito scribendi ui debor, si totius exercitus summam certa aliqua eius rei notitia perstrinxe ro, sed & in hoc etiam sicut in multis non transit sine uariatione res, quæ minuat aliquantulum fidem certa approbantibus. Aliqui enim cl. millia armatorum tum affuisse Amurathi narrant, xc. equitum, peditum lx. Quidam cxx. tantum, & de equitibus xx. millia detrahunt, x. de peditibus. Ipse utramuis sententiam sequar, non multum uideo momenti, inclinat tamen in maiorem numerum animus, ut parem magis tamdiu prparato bello apparatum dicamus. Quamuis non sic exactissimo eouscp ordine confectus est hic exercitus, ueluti quum ad dimicandum collatis signis, ubi uera appareret uirtus, proficisceretur Ottomanus, omnia con silia, omnes apparatus potius ad obsidionem urbium, & murorum euer sionem, cp ad ulla campestria certamina ordinabãtur. Scanderbegus fir matis Sfetigradensium animis, rebuscp, prout operprecium uidebatur, ad cætera loca, urbescp imperij sui experrexit, peragranscp maxima soler tia uniuersam prouinciam, nunc laudibus, nunc præmijs, nũc ipsa etiam periculi uastitate suorum fidem acuebat, accendebatcp. Firmauerat autẽ omnia ualidissimis prsidijs Moses, annona, armis, cæterocp apparatu, ad sustinendam quantamlibet belli fortunam. Dimissa itacp eorum cura Castriotus ad copias, quibus non longe à Croia se operiri mandatum fuerat recta ire pergit. Assequutus est eum Dibrensis in ipso itinere, & reducto simul milite in castra lti se recipiebant. Vix spacium ad collo quendũ fuit uel militibus, uel ducibus, quod subito undicp trepidi nun cij, clamorcp insuetus iamiam in uestibulis adesse hostem, ardere omnia, miscericp miserabili tumultu nunciabant. Ignari (ut credulos facit homi nes timor) Amurathem ipsum adesse, complesscp iam armatis montes, iuga, prata & ualles omnes assueuerabant, obtestabanturcp solliciti ducem, cõsuleret sibi copijscp, ne campestribus locis pernicios audacia primos tam ualidi hostis impetus excipere uellet, reduceret militem in aliquo cdi tissimo loco, unde ex conspectu ipso melius, tutiuscp possit sumi rerum omnium iudicium. Non multum mouebant hæc Castriotum, ut semel possessa castris loca iuxta eorum suasiones relinqueret, sed ubi undicp cu stodias ad se aduolare uidit, & eundem fermè omnium sermonem, nisi quod de

Beilarbeidæ, ducum duces apud Turcas, Bassæ dicti.

Summa exercitus.

Timor homines facit credulos.

quod de magnitudine copiarum hostilium incerta ferebãtur hominum iudicia, nondum enim descenderat omnis in campos barbarus, nec colle cta in unum agmina confederant, ut de numero certa posset fieri æstima tio. Tum sublatis ocius signis, quatuor equitum millia, mille peditum se sequi iubet, & ad Sfetigradum, ubi castrametaturũ hostem sciebat, quan to maxime potuit silentio procedit. Extremum noctis erat, quum signũ proficiscendi datum est militi. Subsequenti die igitur uix secunda noctis uigilia consederunt circiter vij. millibus passuum ab oppido procul. Di stabat enim à Croia Sfetigradus per cccc. fermè, & lxxx. stadia. Vbi tutũ castris locum cognouit Epirensis, aggere quocp ducto ut tutior esset, cu rauit disponi pedites, equites cp suis locis, decerni custodias, ac quærere tacite idoneos insidijs saltus. Prohibuit tamen ignes, uel priuatim, uel pu blice fieri. Sic omnibus procuratis, imperatocp silentio uiris, ipse ad spe ctanda castra, & contemplandas res hostium cum Mose, & Tanusio To pia perrexit, taciteep nunc per syluas, modo per occulta uallium collem ascendit oppositũ urbi. Inde certa iam luce quietissime perlustratis omni bus repetit statiua. Ea res non sine multa uariatione consiliorũ est transacta, nam quum sub ipsis mœnibus castrametatus esset hostis, & partim subiectos campos, partim montes teneret, uix aliqua spes rei benegerendæ apparebat ducibus sine multa suorum pernicie, ne pauci scilicet mul tis, nunc in plano, nunc descendentibus ex monte integris succumberẽt. Verebantur prterea (id quod etiam abstinere tum fermè eos ab omni ra tione pugnandi cogebat) ne si reliquæ regiæ copiæ ex improuiso super ueniss, opprimerentur in medio omnes, eademcp ratione & euocare præsidium ex oppido periculosum censebant. Tutior illa uia uisa, ut con suetis artibus, si possent, diuiderent hostium uires, & diuisas in magis op portuna iniuriæ loca traherent. Nihil tamen actum ea die, nam nox agen dis interuenit, missi tantummodo exploratores latissime per omnia loca, qui obseruarent aduentum Amurathis, & ne quid insidiarum ab hoste fieret. Dimidium eius noctis quieti datum est, reliquum diuersis operi bus consumptũ. Motis enim inde castris Epirensis propius urbẽ transtu lit uasa, ut uix à stationibus hostium xl. stadijs distaret, facilius nancp ex tractos ad certamen ex propinquo opprimi posse putabat. Ordine dein ceps curatis corporibus, & instructis (ut sic dixerim) ad manum singu lis, quæ apta insidijs uidebantur loca, complet armatis, & per omnes syl uas, dumetacp circunfundit milites, peditatus superne per magis ardua montis, & saltus inuios dispositus, ipse latuit inter equitatum, & secundũ radices montis uallium sinus obtinuit. Mosem deinde pluribus uerbis cohortatus, & Musachium Angelinæ præcipuum bellicis artibus uirũ, cum xxx. ferocissimorum iuuenum agmine ad hostes è stationibus eli ciendos & trahendos ad locum insidiarum mittit. Electi sunt equi, uiricp ex omni turma maxime insignes gregalibuscp amicti sagulis, ne militaris & speciosior habitus proderet insidias, quas maxime tegi cupiebat. Data

Processus Castrioti aduersus hostem crũ pentem in prouinciam.

Distãtia inter Sfetigradum & Croiam.

Stratagema Scanderbegi ad alliciendũ hostem ad pugnam.

fermè ſingula iumenta equitibus agenda onuſta frumento, ut frumentariorum ſpeciē quandam præ ſe ferre uiderentur. Iuſſiq; (ne deeſſet quippiam ad fraudem) per latentia itinera adequitare oppido, qua parte liber hoſtilibus tentorijs mons patebat, ut inde intrare urbem ſimularent, nihil horum eſt prætermiſſum à ueteranis & ſagaciſſimis ducibus. Milites quoq; intrepidi, & obedientiſſimi in omnem euentum ſequebantur. Ra reſcentibus iam ex interuentu diei ſtellis, mille fermè paſſuum ſpacio appropinquauerant hoſtium caſtris, quum barbarorum cuſtodiæ ex alto conſpectos, primum ſublatis ſignis, deinde clamore prodiderunt. Ipſi nihil his uocibus turbati accelerabant inſtantius gradum, nondum enim uel periculum ab hoſte timeri poterant, uel utilis fuga uidebatur. Sed experrecti à uigilibus turmales quidam incerti ex ſomno arreptis armis incondite, è ſtationibus progreſſi in eos proruunt, paſtorum, & agreſtium frumentatorum gregem rati. Epirenſes cōtempta paucitate uenientium maiori quidem animo quàm conſilio præparant ſe ad dimicandum, primo tamen procurſu hoſtium paululum retrocedentes terga uertunt, & ſimulato pauore relictis iumentis arripiunt fugam. Barbari ubi timoris indicem fugā aduerterunt, quàm concitatiſſimos equos immittunt in eos, & inſultant ferocius fugientum tergo. Tum cōuerſi uno impetu omnes ſiſtunt equos, & ſtrictis cominus gladijs inferunt pedem, tanquam uel neceſſitate coacti, periculum ultimum ſubituri, uel obiectis corporibus, & obnixo uultu uim inſequentium propulſaturi, quū pernicioſam iam fingerent fugam afflantibus fermè humeros hoſtilibus equis: Turcæ nihil territi, & ex habitu ſolo metiti uiros ſublatis uelociter ſcutis appropinquantes hoſti ordiuntur priores pugnam. Vnuſq; ex eis Aſiatici generis ingenti mole corporis ante alios progreſſus ferream clauam maximo ſimul clamore & impetu rotatam dextera, ut telum magis concitaretur, iacit in hoſtes. Qui conferti in unum, ac conglobati uitare ictum uenientem non potuerunt, licet uulnus uitaſſent. Perlata nanq; in medios ingenti ſonitu à Dibrenſi quodam iuuene porrecto ſcuto eſt excepta, deinde ſecuti cæteri, & gladijs geri cœpta res. Pulchrum ſpectaculum faciebat, & ſpecioſam formam dimicationis idem fermè utrinq; numerus armatorum, & non diſpar armorū habitus, nam neq; barbaris, ut in ea celēritate, & per contemptum quendam eruperant è ſtationibus, præter ſingula ſcuta, gladioſq;, aliud teli genus aderat. Illud tantū onerabat hoſtes, quod electiſſimi ex omni uirorū robore, & principes iuuentutis noſtri erant, illi ſine diſcrimine ignaui, fortesq; ſimul, prout tumultuarie exciuerant eos uigiles, proruerant. Sicq; haud dubie primo furore congrediendi fortuna eorum longe inferior apparuit. Confoſſo nanq; ſub Moſis manibus Aſiano, in quo totius robur agminis erat, ingēs terror cęteros, ac deſperatio ſimul inceſſit, nedum uictoriæ, ſed ſalutis quoq;, ni auxiliū aliquod adeſſet è caſtris. Quare referentes paulatim pedē, terga dant hoſti, & per quē modo alios inſequebantur mutata ſorte fœda fuga campū deſerunt.

Fuga timoris index.

Ferrea clana Aſiatici.

Aſianus Moſis manibus cō fodituꝝ.

deſerunt. Epirenſes liberam præbuere facultatem fugiendi, neq; moleſtę quicquam uocis, aut indicem uictoriæ clamorem ſuſtulere in uictos, ſed exactiſſimo conſilio collecti circa duces, relictis corporibus, ſpolijsq; occiſorum repetunt iumenta, & agere fugientibus ſimillimi unde uenerāt, pergūt. Creuerat audacia, animiq; uiris ex eo proſpero pugnæ ſucceſſu, Differebat tamen gaudium omne in ſecundum cœptæ iam rei euentum. Vnus erat nōtæ in multis bellis operę miles, cuius aſſiduus gemitus, & impatientia doloris ex uulnere cæterorū ſolatia perturbabat, & impediebat lętitiam ſociorum, transfixerat nanq; Barbarus gladio leuum uiri humerum, ut neq; ad arma gerenda, neq; ad regendum equum ſufficerent uires. Hunc miſeratus Moſes deſiliens ex equo, ſublatum ſuis manibus uni ex militibus commiſit, ne inter curſum equi procideret inutilibus ad ſuſtinendum manibus, & quàm ociſſiſſime priusq; alius excitaretur tumultus ab hoſte, ferri in caſtra ad ſtationes ſuorum iuſſit. Reliqui integri omnes erant, nemoq; præter illum eo certamine uiolatus exceſſit. Barbarorum quinq; occiſi, uulnerati octo, pauci quidam numero, multi tamē, ut ex ea paucitate. Simul itaq; & equus hinc ex oculis ſociorum rapuit milites, & clamor inde, fremitusq; ingens à caſtris hoſtium exauditus. Impleuerant nanq; querelis omnia ſaucij, & deformia oſtentantes uulnera excitauerant ad arma totius exercitu furorē, illosq; præcipue, qui affinitate aliqua contingebat occiſos. Proinde impatientes imperij prorumpebant undiq; ſine duce, ſine ordine è ſtationibus, ut quenq; ira, cupiditasq; ultionis ducebat. Miſſo tamen edicto à prætorio imperatoris reuocati ſunt omnes, & conuenere circa tentoria, iuſſa eius expectantes. Ille aſſuetas ueritus hoſtium inſidias, & ne ſub frumentandi prætextu fraus aliqua circum latitaret, præſertim q; plagę ipſę ſuorum, & uulnerū uaſtitas, non humilis uulgi dexteras, & aggreſtes gladios arguebat. Quatuor fortiſſimorum equitū millia, ne ita expoſita ignominię eſſet paucitas, ad id muneris eligit, qui ſimul & id agmen frumentariorum opprimerent, exuerentq; iumentis, & uicinos colles, ualles, ſyluas, ac latebras locorum diligenti indagine oberrarent, ad aperiendas inſidias hoſtium. Peruenerat interim ad Caſtriotum miles à Dibrenſi miſſus, & tradito ſocio ſtationarijs obuiam progreſſis, ut uulnera uiri curarent, ipſe uix ſui cōpos procurſans huc, illuc, ob oculos armatorū, & multos nominibus appellans, arma arma clamabat, iamiam adeſſe Barbaros, concitata omnia caſtra hoſtium, & tolli indicem uenientium puluerem oſtendebat. Tenuit dolor primo, timorq; Scanderbegum, ſolicitum de ſalute ſociorum, quū & duos tantum ex toto agmine, alterumq; profluenti recentium uulnerum cruore oblitum ad ſe deuectos turpi fuga cerneret, & ſtolidum clamorem militis, ac plenum pauore exaudiret, ſed ubi ordine quæ acta fuerant, didicit ab homine, mutata in riſum mœſtitia, & ſolicitudine in audaciam oēs bono eſſe animo, & equos, tela, armaq; uiris in procinctu eſſe iubet. Conſpiciebatur iam Moſes à cuſtodijs ſuorū, quæ per montium

Miſericordia Moſis ducis in militē ſaucium.

Milites duos intelligit, alterum uulnerat um, alterum cui Moſes hūc comiſerat.

 iuga diſpo-

iuga disposite fuerant, aperto campo hostes eodem tenore insequentes, iamiam ad locum insidiarum pertractos sociorum manibus cædendos traditurus, nam lentiori gradu primum nostri inter agenda iumenta deflexo nunc hac, nunc illac procursu expectantes magis, q̄ fugientes carperant iter. Sed ubi prorumpentes è castris aspexere hostes relictis saccis impedimentisq̄, in apertam fugam inclinauerant. Momento itaq̄ temporis planicie superata, contigere collem, qui à septentrione oppositus, tegebat uallis umbilicum, ubi aderant armati. Et priusq̄ immineret propius hostis, recepti tacite sunt inter suos, ita labore & cursu continuo exhausti equiq̄ uiriq̄, ut uere fugisse appareret. Barbari uelut prolapsos mox eos è collis uertice aspicientes ualle immersos latitare arbitrati recta illos insequuntur, & appropinquantes loco, ut commodius undiq̄ obsessos caperent, effusi passim ac inordinati, hi collem conscendere, hi ab alijs partibus ingredi uallem parant. Conterruit tamen primo uiros auditus ingens fremitus equorū, immotiq̄ gradu silentiū tenuerunt, donec certior iam sonus, strepitusq̄ increbrescens, aperto indicio patefecit hostes. Tū audita maiora omnia uisa, & incerta timidius (ut fit) interpretata perpulere facile ad fugam homines. Fugere iam parantes Scanderbegus dato præpropere signo, ingenti, ut in resubita, iniecto terrore, consurgens à dextro latere est aggressus, Tanusius à sinistro, superne quoq̄ peditatus, qui inter cōfragosa montis loca, & aspreta latitabat ex improuiso descendens, eodem impetu obruit. Stetere tamen admiratione quadam magis, terroreq̄ perculsi, q̄ certo ad dimicandum animo. Sed ubi sæuientibus undiq̄ hostibus suasit arma necessitas, cōcitatis ingenti furore equis, occupauere collem. Et primo equestris hastas iacientes ex alto (nullus enim alius in tam exiguo interuallo loci, ac præcipiti, & inæquabili solo eius telli usus aderat) arcebāt hostem, sed succedens ab auersa parte Peicus Manudi cum agmine peditum, quorum ducenti sagittarij, totidem scorpionarij erant, facile pulsos loco impulit in præceps. Subter hostis undiq̄ circūsidebat. Deorsum prēmebat intollerabilis uis telorū, ita ut uix ullus ad effugiū exitus pateret oppressis. Strictis itaq̄ gladijs oēs in duas partes diuisi irruunt in aduersos, ac uelut cæci multa suorū strage incūbunt in tela, & in ferrū ruunt, sed facile pellebantur retrò à pluribus pauciores, & fessi ab integris. Prēsertim à dextero latere, ubi Scanderbegus uallum, murumq̄ uelut fecerat densato agmine equitum, peditumq̄ hastatorū. Coaceruati igitur eadēra bie omnes à sinistro latere perfracto robore nostrorū penetrāt aciē, emptaq̄ multo sanguine uia pugnantes simul, & fugientes consulunt saluti. Confusa repēte sunt omnia, neq̄ uel ordinis seruandi cura, uel retinēdi collis habita amplius ab Epirensi, pro se quisq̄ instat uictis, & cēdere fugiētes pergit. Attriti sunt fermè plures in eo tumultu cōtentioneq̄ exeundi, proprio onere, & sociorum armis, q̄ hostium. Effugere tñ paulominus, q̄ duo millia: reliqui occisi, nudataq̄ spolijs cadauera palpitantia adhuc iacuere, qua quenq̄ oppresserat fatum. Fugien-

Peicus Manudi.

Scorpio militare instrumentum est, quod uulgo nunc baliſtam uocant, ita dictus quod paruis ac subtilibus spiculis inferat mortē.

tium

tium xxxiiij. uiui capti. Cæteros uix ullus est xx. passus insecutus, mox nanq̄ receptui cani iussum à Castrioto, quum contentū se ea uictoria diceret, timereq̄, ne si exaturari ad finē libidinē suorū permitteret, breue foret id eis gaudiū sibiq̄. Signa militaria tria tantū adempta, sed neq̄ plura tulerāt Barbari, quū tumultuarie, & quasi latronū more uenissent. Equi occisorū mille amplius inuenti, cęteri confossi inter pugnandū fuere. Victorum xxij. tantū interfecti, uulnerati xv. Ita cōpensauit egregia prēda uictoriaq̄ iacturā frumenti Albanus. Turcarū statiua quæ sub oppido morabantur, lęta fuere primū cōuecto frumēto hostili, iamiam inde uinctos frumentatores expectantia adduci ad præstitutū supplicium immolandos manibus illorū quinq̄ occisorū. Vbi uero eam tanti agminis deformitatē, ac suorū stragē aspexere, obortę cū inani indignatione lachrymę uiris, obtorpuereq̄ insigni mœstitia animi. Trepidatum quoq̄ fuit mopere est in totis castris, ueriti ne elatus eo successu hostis ipsos eodem impetu adoriretur, quū maiorē longe numerū nostrorū, & totius uires prouincię adesse in oculis crederēt. Quare dispositę undiq̄ prēcipua cura custodię, partiti exactissime ordines, ac in speciē coronę circa ducū tentoria considere iussi. Parata suis locis signa, equi strati, frenatiq̄ uelut certissimo iudicio expectaretur hostis. Non tñ is animus Epirensi, nō ea uictorię elatio & insolentia spiritus erat, quin timebat non minus hostes & ipse, q̄ ab eis timebatur, & moliri aliquid in se ad eam ignominiā ulciscendam assidue putabat, prēsertim q̄ nō longe iam regia castra adesse nunciabatur. Primū igitur omnium exortis tenebris colligi uasa iussit, & alijs quinq̄ millibus passuū procul ab hoste locauit statiua. Mane uix dū orto sole Tanusium cū L. militibus, & singulis famulis Croiā uersus, ad accersendas copias ibi cū Georgio Stresio relictas misit, equosq̄ ac prædā captiuā illis tradidit in tutiora prouincię loca deportāda. Procurata sunt ea omnia, expeditaq̄ septem diebus, ac coactę in unū copię nostrorū. Biduo tñ prius q̄ nouum istuc præsidium receptum est in castris, quinq̄ millia antesignanorum tyranni, secunda noctis uigilia aduolarunt ad urbem. Amurathes cum reliquo apparatu crastina luce inclinato iam sole est subsecutus. Millesimus hic quadringentesimus quadragesimus nonus à Christi natiuitate cōputabatur annus, undecimus aūt à tēpore quo Scāderbegus obtinuerat imperium, pridie idus Maias, quū matureſcūt segetes in campis, & uestita herbis prata cōmodam præbent pabulationem exercitibus. Id aptissimum belligerandi tempus ad externas præsertim expeditiones obseruant semper Barbari. Pari igitur ratione prohibuit tyrannus quicquam in hostilibus campis corrumpi, uel proteri frumentum, ut maturefactum postea & demessum præstaret alimenta militibus. Sed summa ratione consilioq̄, tum ex more gentis, tum ut deterreret oppidanos, huiusmodi pompa spectaculi est constituta: primum instructa peditum agmina, & leuem armaturam Asapporum, deinde equites iuxta Timaratore, Subassidas, Sanzacchos, ac cæteros suo ordine

Anno 1449. nono anno imperij Scanderbegi, bellū Sfetigradense.

Spectaculum Turcæ quo obsessos Sfetigradenses deterrere uoluit.

duces obire mœnia urbis præmittit, atq; ingẽti plauſu, clamoreq; militari, & omni inſtrumentorũ crepitu edito ſe præire iubet. Deinceps quiſq; ad eligenda ſtatiua diſcurrentes fixis humi ſignis, ſtatuunt diuerſis locis tentoria, maior pars peditatus, ac uilia uulgi capita ſecundũ radices montis ſub mœnibus, & in magis opportunis iniurię locis diſpoſita. Equitatus partim tribus, partim quatuor ſtadijs ſtetit procul ab oppido. Prętorium, & ſtatio principis octingentis paſſibus amplius à murorũ ambitu collocata. Totum id noctis in ſituandis caſtris, ordinandisq; cuſtodijs, per iocos cantusq; uarios tranſactum. Non tñ expers moleſtiæ animus Tyranni erat, quum & recentem ſuorũ ignominiam acceptam ab hoſte æquo animo ferre nõ poſſet, & difficilem urbis potiundæ ſpem cerneret in ea, præſertim inacceſſi loci aſperitate, qui in ardui crepidine montis ſitus uix habilem expedito pediti pręſtabat acceſſum, ita ni lenioribus conſilijs magis q̃ armis fidem oppidanorũ expugnaret. Nihil igitur poſtero die tentatum uel molitum hoſtiliter in muros, retentus quietiſſime miles, neq; procurſationibus ullis indultum. Miſſi uero ſub ſero diei caduceatores ad urbem, cũ poſtulatis Ottomani, qui monerent obſeſſos imminentis mali, periculiq;, ni priusq; bellicum cani audiſſent, ad uoluntariam deditionem animos inclinarent formula ea ædita ſingulis. Nihil immutaturũ Amurathẽ de priſtino ciuiũ ſtatu, eadem onera, muneraq; relicturum uiris, quę ante à Scanderbego eſſent præſtituta. Pręfecto multa dona, honoresq; propoſiti, Pręſidio libera abeundi facultas, & ccc. millia aſprorum promiſſa (genus eſt argenti ſignati apud Barbaros) dare ſe eius noctis ſpacium ad conſulendũ. Si perſiſtant in pertinacia uiſuros craſtina luce ſupra caput armatos, & fruſtra ſtrictis idẽ gladijs, ac perfractis mœnibus ſpretas ſemel cõditiones imploraturos. Perlatus, qui in foro aderat cũ agmine armatorũ, ubi progreſſus è muris miles, nunciauit adueniſſe regios quoſdã, petentes, ut eum alloquerentur, citato gradu mox proceſſit ad eam partẽ urbis, ubi hoſtes expectare narratũ, ſuperſtansq; è muris per interpretẽ dicere Barbaros iubet, illi ſummoueri cęterã turbã, habere ſe à Tyrãnno, quę cũ eo ſolo agerent, poſtulant. Ad ea Petrus facete cauillatus & iocans: Aptũ quidẽ tempus, ait, obſeruaſtis amici, quo archana iſthęc ueſtra in noctẽ differretis, ut nedum milites meos, ſed diem quoq; ipſum laterent. Quare timeo, ne eius generis iſthęc ſint quę ad me affertis, quę lucẽ ipſam nõ iniuria horreant, licet forſan uerecunde factũ à uobis, laudari debuerit. Non tñ accepiſſe ſe exemplum à maioris ſuis, inquit, ut quicq; inconſulto milite ſuo ageret, quos laboris, & periculorum ſocios haberet, ac ſummoueret ab hoſtilibus alloquijs illos, quorũ præcipue fidẽ ad Scãderbegi imperiũ, ad Epiroticã libertatẽ defendendã ad ſui denicq; corporis cuſtodiã elegiſſet. Neq; cõſueſſe ſe prętera noctẽ ullis externis cõſultationibus adhibere in eo pręſertim rei ũ tumultu uenią eius tẽporis darẽt, craſtina luce, ſi uellẽt, eos ſe ad ſatietatẽ uſq; auditurũ. His dictis excedere illico à muris iuſſit. Irritati tũ ſunt maxime (ut leuiter impel

Situs Sfetigradi.

Caduceatores quos uocant Heraldos.

Reſponſum Perlati datum Turcæ petẽti dedꝛtionem Sfetigradi.

ter impelluntur) uulgi animi, ac ingenia militum, coactiq; circa præfectũ ſpectatores ad ſitum urbis contemplandum, & perſcrutandas res oppidanorum non fœderis cauſa miſſos uociferantes, aperiri portas rogant, ut comprehenſos & adductos in urbem, confeſſionem ueri ab eis extorquerent, & præciſis manibus (ut puniri exploratores conſueuerunt) remitterentur in caſtra. Petrus non ſolum negauit iſthæc ſtolide petentibus, ſed ſeueriori etiam caſtigatione uerborum repreſſit libidinem militarem: Non eſſe, inquiens, aliquid in rebus humanis tam ſtudioſe obſeruandum mortalibus, quàm ut fides non læderetur. Ipſos curioſos nimis & ſolicitos interpretes factos, ut in ea incertitudine rei ius omne gentiũ fasq;, & mores ac ritus bellorum uiolarentur. Rediere igitur nuncij ad Tyrannum æque, ac uenerant, ſicut nullo, neq; facto, neq; uerbo inclementiori uiolati, ita incerti omnium, nullaq; re uel expoſita, uel impetrata. Indignatus eſt primo ſenex uelut per deriſum contemni ab hoſte, & propior fermè ad oppugnandam prius armis quàm uerbis urbem fuit, tamẽ ſedato animo, nihil ſatis humile ratus, uel pudendũ principi, quod pro imperij ratione & cupiditate gloriæ non ſit adeundum, præſertim ubi conciliari per beneficium populorum animi poſſint, & haberi oppida urbes q; incruẽto milite, & ſine aliqua pernicie mortalium ſubiugari. Poſtero die iiſdem ipſis mandatis eoſdem tentare oppidanorũ animos iubet. Adiecitq; unum ex purpuratis ſuis, uerendum animis uirum, & præcipue in perſuadendo ſolertiæ, Epiro oriundum, Quo & maior intereſſet agendis grauitas fidesq;, & notæ linguæ homo facilius obſtinatos animos nunc precibus, nunc conſilijs ad deditionem impelleret. Ap propinquantibus illis oppido, Perlatus priuſquam ad colloquiũ deſcenderet, procurauit è muris undiq; perluſtrari oculis montem, ac uicinio res mœnibus ſaltus, ne inſidiæ aliquæ inſtarent à tergo. Dehinc portula quadam, cui Dibrana nomen eſt, recepit in urbem barbaros. Purpuratus tantum immiſſus fuit cum tribus militibus, & duobus famulis, adductisq; per mediũ forũ in tẽplo ſanctæ Mariæ, & cõuocatis ſenioribus urbis, conciliũ indixit. Iuuentus nanq; omnis excluſa, ne id motus alicuius cauſa fieret. Tum cõſurgens Barbarus, quũ ſuas diceret primas partes loquẽdi, qui prior ad colloquiũ inuitaſſet, multis prius uerborũ lenocinijs pręſtruere fidẽ ſibi, ac prœoccupare oppidanorũ animos eſt conatus, atq; à multarũ urbiũ populorumq; exorſus exemplis tam accurate diſſeruit omnia, ut nihil haberes quod reprehenderes, niſi quod immodice ad terrendos homines ſupra mortalium ingenia tyranni uires extulit. Petrus eleganter ait, & optime eam cauſam actam eſſe, niſi apud tam obſtinatos animos, & deuota libertati pectora ageretur. Inclinaturos ſine uariatione ad ea poſtulata omnes eſſe, ſi uel Ottomanum & inanes hoſtium minæ ad fortes animos penetrarent, uel imperium Scanderbegi illis faſtidio eſſet. Nullum neq; maleficium eius ad hanc diem extare, neq; beneficium Amurathis, quo præponat externum ciui, amico hoſtem, Chriſtiano

Fides ſeruanda & ius gentiũ.

Secundo tentat Tyrannus Sfetigradum ad deditionem impellere.

Barbari oratio ſuper modum Tyranni uires efferens.

Pulchrum reſponſum Petri

Christiano Barbarũ. Ageret, tentaret, experiretur armis tyrannus, ferro perterreret obsessos, perfringeret muros, ederet prius occisorũ aceruos, ut eo spectaculo examinati ciues ad genua eius prouoluti, tunc has pacis conditiones approbent, turpe nunc uideri sibi, ac prope ridiculum tantæ indignitati submittere animos, priusquàm infestis signis impeti muros, & discurrere armatos sub mœnibus, priusquam gemitus uulnera & sanguinem suorum, priusquam effossam murorum compaginem, ac nudata urbis latera conspexissent. Rectius tamen facturum Amurathem, si conuersis signis Adrianopolim repetat, & senilis quod supereſt spiritus immunis à bellica inquietudine transigat, neq; fatalem sibi populum armis diutius lacessat, quorum egregiam in tuenda libertate fidem, ac priuata, & publica in duces suos studia, totiens tanto suorum sanguine sit expertus, se promissam semel principi fidem, & traditæ curam urbis, nisi mortuum non relicturum, sat præmiorum, sat honoris delatum sibi credere, si uel defensam patriam superstes aspiciat spiritus, uel ea collapsa uindex libertatis dextera, & insons animus inter suorum cadauera liber ad meliorem patriam migraret. Idem finis & orationis & consultandi fuit, nam primores urbis, qui aderant, ad unum ingenti assensu uocem præfecti laudibus efferentes approbarunt. Regij nihil ultra apud tam surdas aures agendum rati, re infecta exeunt de templo. Præfectus cum suis iuxta secutus, & quia prandendi tempus instabat, laute & opipare acceptos habitosq; ad portas usq; deductos ad suos redire permisit. Mouit maxime Ottomanum audita oppidanorum fiduc[illegible], & grauitas, prudentiaq; ducis, rerum præterea omnium & alimentorum copia non ad necessarios tantum usus, sed abusus etiam in urbe repertorum, quæ potius de industria curauerat disponi per uicos Perlatus intrantibus oppidũ regijs, ut narrata postea Amurathi amouerent spem urbis per diutinæ obsidionis, & famis incommoda potiundæ. Quare ubi nullum aliud remedium præterquam in armis cognouit Tyrannus, indicto mox ad prætorium cõcilio purpuratorũ, & fortissimorũ quorumcunq;, ac peritorũ militiæ uirorum, ardens odio simul, iraq;, quod leges bellorum, & agendorum consilia sibi ab infami castello, & clauso latronũ agmine darentur. Quod inuictos se, & fatales populos uelut usurpato prouerbio appellarẽt. Multa de oppugnandæ urbis ratione quærens tacite, & consulens differuit, præcepitq; tum ordine quædam uiris, quę ad id operis genus in rem essent. Reliquus apparatus, & exordium oppugnationis in posterum diem dilata, nam parum adhuc eius diei supererat.

Fatales populi

Amurathes ægre fert leges bellorum sibi dari ab infami castello.

∴

Marini

MARINI BARLETII SCODRENSIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI,

Liber Quintus.

INVASERAT IAMPRIDEM EX AMVRATHIS aduentu, & hostilis exercitus fama pauor, timorq; uniuersum Epiroticum nomen, regulos præsertim, ac principes uicinos solicitos, ne si tã immodicus hostis obsessam urbem absorbuisset, eodem quoq; calamitatis tenore cæterorum fortunam traheret. Quare secretis hinc inde concilijs habitis (licet pleraq;, ac ferè omnia ad locorum præsidia, & saltus regionis custodiendos antea prouisa essent) legatos ad Scanderbegũ ex omnibus locis decernunt, qui monerent ducẽ, ne pateretur ea impunitate diutius Amurathem urbes Epiroticas uexare. Nam si iniquo aliquo sydere Sfetigradensis urbis atrox Tyranni animus compos fiat, cæterorum quoq; sumptis uelut inde uictoriæ auspicijs, & ferociæ alimentis eandem fortunam facere. Neue (id quod longe perniciosius esset, & maximo omnium periculo futurum) solus ea hominum paucitate ad hostium uires tentandas, & tanti exercitus molem lacessendam animum destinaret, offerentq; ei arma, equos, uiros, commeatus, aliaq; omnia, quibus amoueri commode tantum incendium posset, antequam uniuersi conflagrassent, satis se quisq; defensos, tutosq; dicentes, si defensum nunc eum ab ea periculi uastitate præstent, à qua tum publice, tum priuatim incolumitas omnium, & quietissima possessio imperandi, tum prouinciæ totius robur, & perpetua Epirotici nominis gloria pendeat. His alijsq; multis obedientissimorũ sociorum & beniuolentissimorum animorum documẽtis onerati nuncij recta uia circunfusos Sfetigrado montes, ubi locata principis statiua esse sciebant, petunt, sed non inuentum illum, ibi per totum diem expectarunt. Nanq; quũ primum Amurathes signa intulit in Epirum, & tam immensi exercitus, ac tantæ rei fama omnium aures animosq; formidine replesset, postridie eius diei Scanderbegus cum Tanusio, & Georgio, ac decem electis custodibus corporis sui, militari (ut consueuerat) sagulo amictus ad peragrandas propiores periculo prouinciæ urbes, & firmandos animos, ac stabiliendam eorum fidem processerat, non ignarus (ut in re noua ac recenti) multum illos ex tanto rerum motu atq; crescentibus quotidie uel falsis rumoribus, & animo perculsos esse, & plurimum se omniũ solicitudini, ac timidis consilijs mederi posse, restitueregq; hominibus (si qua parte labassent) pristinum robur animorum & solitę pertinaciam fidei, sicq; nihil (ut instituerat) prætermisit. Orsus enim à Croia, tanquã à capite, uel imperij, uel solicitudinis, accito ad portam Vranaconte cum agmine armatorum, ac nobilissimis quibusq;, urbem nanq; ingredi prohibebat, multa ex breui temporum agendorum instantia, plerisq; concitatis rebus

Vranacontis responsum datum Scanderbego.

tatis rebus (ut aiunt) calcaria addere ſuperflua cura conatus eſt. Reſpon
ſum à præfecto tulit, ſicut tantæ non indecens fidei, ita neq; iniuria ingra
to ſilentio à præclaro uiro auferendum. Indignanti nanq; primo ſimilli
mus, & uelut mœſtior ex eius aduentu: Si, inquit, hodie Scanderbege
Amurathem, & hanc quam narras, prȩclari exercitus formam, quam te
ipſum uiſuri erant Croienſes, adeò ſicut ingratus & publice omnibus, &
priuatim ſingulis ſermo iſte tuus fuit, ita nihilominus aduentus quoq;
ipſe moleſtus. Quid enim deterius afferre potuiſſet hoſtis uel uiſus, uel
auditus, quod magis fortium uirorũ turbaret animos, & feroces oſten
deret ſpiritus? Iam eó decurritur, iam eos aduerſus te & Epiroticum im
perium animos gerimus, ut dònec uigenthi rerum motus in prouincia,
& donec reddit in Epirenſibus campis armatis iura Amurathes, expecta
tior ſit omni tempore, gratiorq; nobis hoſtilis cõgreſſus, quàm tuus iſte
futurus, quandoquidem hic nihil præter tacitas querelas, ac uelut inclina
torum ad perfidiam animorum ſolicitas dubitationes aduehit. Ille totius
materiam laudis, præclarum fidei experimentum, ac perpetuę occaſionẽ
gloriæ eſt allaturus. Nihil aduerſatus iſs Caſtriotus, ſed expurgans ſe, &
nuncium non hortatorem appellans, dimiſſo inter oſcula præfecto mili
tibusq; ad reliqua euectus loca, ex animi ſententia omnia & inuenit, & re
liquit, abſcedentibus tenebris, neq; adhuc certa die applicuit in caſtra, feſ
ſus longa itineris fatigatione, & continuis uigiliis propè exhauſtus. Sed
uix reſpirandi tempus conceſſit ipſe ſibi, ubi legationes ſociorum uidit.

Oratores ſocio rũ atq; prin cipum Epiri, Illyrici atq; Macadoniæ ad Caſtriotum continue con uolant auxilia offerentes.

Conuocatiſq; extẽplo primoribus ac optimatibus ſuis, permiſit liberas
conciones uiris. Illis auditis, liberaliter cõſenſu omnium laudati, maxime
ſocij, & gratiæ acte à Scanderbego, quod in ea perturbatione rerũ tantã
ſalutis & laudis ſuæ pariterq; Epirotici nominis rationem haberent. De
auxilijs reſponſum, ut bono eſſent animo, non uideri ex re nunc ſibi ma
ioribus copijs agere cum hoſte, & integris adhuc omnibus nudare præ
ſidijs ſociorum latera, ſtarent interim inſtructi & ipſi, atq; defixi in Otto
manum. Difficile eſſe perfidi hominis conſilia pernoſcere, ubi aliqua be
negerendæ rei occaſio affulſiſſet, illuc præter ſpem omnium irrupturum
ſe, quum operęprecium erit, & maior exiget ius periculi, ac ratio dimican
di, illorum opera libenter, & æque ac ſua uſurum. His expeditis, paratæ
militariter menſæ, ac refocillatis corporibus, tertia hora diei cum multis
muneribus dimiſſi. Dum hinc conſultationibus geruntur res, & uerbo
rum magis quàm armorum uſu Amurathem oppugnat Caſtriotus, ille
dilatam ac præſtitutam diem Sfetigradi oppugnationem aggreſſus, loca
tis in eminentiori quodam loco oppoſito urbi, unde apertior murorum
aſpectus apparebat, duobus tormẽtis ingentis magnitudinis (neq; enim
plura aduexerat, triduo ad id operis intẽtus crebris ictibus ſatis amplam
murorum partem decuſſerat, concœperatq; craſtina luce totis ſignis &
robore exercitus ſuccedere mœnibus, ſperans nõ poſſe aliqua oppidano
rũ pertinacia, uel arte excludi ab urbis poſſeſſiõe milites, quũ perfracta in

uaſtum

uaſtum urbis latera non difficilem ſuis aditum promittere uiderentur.
Nunciata hęc omnia Epirenſi per eam noctem ſunt à cuſtodijs locorum
& exploratoribus. Proinde coniectatus & ipſe tacitam hoſtis uoluntatẽ,
ac inſtitutum Amurathis, ſubueritus eſt primo, timens ne obruti multi
tudine ea armatorũ, ciues ad hoſtes propulſandos non ſufficerent, & col
lapſa alioquin ab ea parte mœnia eum timorẽ augebant. Quare uoluens
plura animo, ſtatuit eius periculi laboriſq; partem in ſe transferre, ac laxa
menti aliquid præbere obſeſſis. Medio itaq; noctis acceptis tantũ unius
diei cibarijs, reliquis impedimentis, ſarcinulisq; ibi relictis, quinq; milli
bus paſſuum procul ab hoſte in ueteri præteritarum loco inſidiarum po
ſuit caſtra. Prȩmiſſoq; Muſachio, & Guiriza Vladieni, primoribus ſuis,
ac prȩcipuę ſolertiæ uiris, ad ſpectanda hoſtium ſtatiua, & obſeruandum
apparatum ad urbis oppugnationem, ipſe iugi ſilentio manſit, donec ge
rendorum conſilia ex ſuorum aduentu ſumeret. Secunda diei hora ſimul
& Epirenſes ſpectatores ad copias ſuorum uertunt iter, & educti è ſtatio
nibus Aſappi atq; auida periculorũ gens Ianizari, armis inſtructi, & ad
inuaſionem parati conſcendunt montem, equites uix tribus paſſibus ſu
perare radices montis propter accliuitatem illius poterant, & procul in
tenti ſagittis, ſuperſtantes è mœnibus hoſtes terrebant magis q̃ arcebãt,
uiliora capita uulgi, ac imbellem turbam ad primos impetus oppidano
rum exponebant, ut defatigatos ea cedendi occaſione facilius ipſi poſtea
ſternerent, & auocatis ad eam materiam rei benegerendæ à deſignatis cu
ſtodijs ciuibus nudata præſidijs munimenta occuparent, hæc ab ea par
te moliebantur, qua perfracta mœnia tormentis fatiſcebant. Sed facile lo
cus ipſe natura arduus & erectus pellebat homines, & leuiſſimo quoq;
ictu deturbabantur ab oppidanis. Aggerem prȩterea eo loci per eam no
ctem fecerant ciues, cõgeſta terra tumuli in modũ & cratibus uimineisq;
pluteis circundederant locũ, præparatisq; circa ſudibus, & lapidum con
gerie paruo impulſu emiſſa tela altitudo ipſa, ac decliuitas loci concitabat
in ſubiectos, uix ullo ſatis firmo retinaculo oblato, uel certo ueſtigio fir
mandorum pedum ruentibus in præceps in aliis urbis partibus, præſer
tim iuxta portas, ubi planior locus erat, & facilior militibus aſcenſus, de
ſcenſus q; oſtendebatur. Circunfuſi undiq; Aſappi ſcutati â fronte, & po
nè duo lectorum hominum agmina ſcloppis ſcorpionibus, ac uelut ca
ligine ſagittarum ad auertendos à ſtationibus oppidanos locata erant, ut
facilius euaderent in muros Ianizari, qui plures admouerãt ſcalas, ac ſum
ma contentione uulnerum prorſus, mortisq; immemores, integri alij,
alij uulneribus confecti aſcendentes iam ad coronam ſummis manibus
attentabant. Inconcuſſa nanq; ab ea parte mœnia fuere, neq; præſidium
aliud, quàm per ſcalas, potiundæ urbis apparebat, ſed quo altius à terra
euecti ſuperabant muros, eo infirmiores ad inſiſtendũ, multi ſuo ipſi one
re ruebant, & cum ſcalis ipſis deuoluebantur humi, quæ pondere frange
rentur aſcendentium. Plures præciſis digitorum retinaculis, inutilibus

Oppugnatio urbis.

Aſappi auida periculorum gens.

ad tenendum manibus, quibus collapſa primum arma corporis, deinde ipſi quoq; ruina ſequebantur. Sed ſaxis præcipue gerebatur res, quæ ſuperne demiſſa cum ingenti fragore promiſcue & armatorũ, & omnis apparatus idem exitium trahebant. Et licet paſſim innumeri caderent, aſcendebant tamen nihilo pauciores, ac recentes, integriq; pro defeſſis, ac uulneratis ſuffecti oppugnationis miniſteria ſubibant, & per cadauera ac ſanguinem iacentium irruentes maiori iam ultionis ſtudio, quàm cupiditate prædę, abiecto omni procul mortisq; timore, ingenti fremitu rapiebant murorum propugnacula, & feſtinatione ipſa, ac certamine aſcendendi, quum quiſq; ſummus euadere non poſſet, alij (ut pleruncq; fit) alios impediebant. Oppidanis cum ingens copia congeſta telorum ſuppeditabat, tum etiam uires ad exercenda non deerant, adiuuabat prętera omnia locus, & ipſe ſibi ſuppetias ferebat. Ad ſagittas autẽ & miſſilia hoſtium, plutei quidam, & tabulata diſpoſita fuerãt, ac porrecta in modum ſcutorum, ut tecti ponè milites facilius aſſignatas ſtationes ſeruarẽt, & ſua quiſq; munia commodius obiret. Turcarum plures uiui capi manibus poterant, quum propter altitudinem ſcalarum corporibus penè ipſis cõtingerent hoſtes, & inermes nonnulli relictis armis aſcendiſſent, dum impedirent onera ſcandere cupientes. Nemo tamen uiuos, quàm mortuos mallebat, timens, ne ſi in eo furore & rabie pugnandi hoſtis ſeruandi cura, & prædę cupido animos inceſſeret, urbs ipſa ſtolide ab ignaris amitteretur. Hæc primo fermè & ſecundo impetu tentata à Barbaris. Vbi uerò fœde repulſos ſe ſemper uiderunt, iam inanes conatus, & ſtolidum mortis appetitum cognoſcere incipientes, & quiſq; propria tractans uulnera, ac profluentes ſanguinis riuos aſpiciens, tum demum ferinam mitigare iracundiam cœperunt, imbelles, tum etiam uirorum ictus tardior concurſus ad muros. Non agilis dextera, non pernicitas pedum aderat propter tacitam uirium defectionẽ (ut maxime ſolet laſſitudo haurire ſpiritus ex aſcenſu continuo) ſed aſtantes à tergo duces & purpurati regis, nunc adhortationibus, nunc minis urgentes, feſſos concitabant in hoſtem, ac impellebant uerberibus, ſi qui ſegnius intuliſſent pedem. Ita coacti redintegrabant pugnam, & languida corpora trahentes in hoſtẽ, torpidos efficacesq; ictus in aduerſos muros effundebant, & paulatim deficientes mœſtam exhalabant animam. Multos inter expirandum ſocij tractos pedibus, dum à ſæuitia oppidanorum ereptos deducere in tentoria conantur, & officio pietatis fungi credunt, alijs q; ſi conſulentes magis uulneribus confoſſi, ſuper ſemianimis cadebãt ſocios. Exin facile iam uictor oppidanus ex clamore indice lætitiæ è muris ſublato & feſtiuis inceſſationibus irridebat uictos, augebatq; dolorẽ uiris, ac renouabat uulnera, ſed nõ ferens inultam eam ignominiam Tyrannus, unum ex ſatrapis ſuis, Feribaſſæ nomen erat, pręclarũ & uirium, & ingenij robore ducem, cum tribus armatorum millibus, ac quibuscq; bellicis inſtrumentis, magno pręterea ſcalarum numero ad oppidanorũ excidiũ, uel uerius ad

Clamor lętitiæ index.

Feribaſſa.

ulciſcendas iniurias, & præſidium ferendum ſocijs miſit. Mox clamor omnis ceſſauit in urbe, & timorem arguens ſilentium ad aliam belli duriciem, & recentes ſudores ordiendos euocauit milites. Intenti itaq; omnium animi, oculiq;, ad auertendum nouũ hoſtem, & perturbandos progredientium apparatus, ſagittis primum, manubaliſtis, ſcloppis, catapultis omnis generis, quibus à longe potuit arceri procul à muris tenuerunt hoſtem. Deinde ubi inferri pertinaciter ſigna aſpexere, & pręter aliquem periculi reſpectũ impeti mœnia uiderunt, ſudos ſaxaq;, illitas pice oleoq; Corbes & Sarmenta iniecto igne iaciunt in ſubiectos. His igitur oneratis, ac perterriti regij, dum alij ab incendio ſe ſubtrahunt, alij ad extinguendum ignem accurrunt, paucas admodum ullas mœnibus ſcalas admouere potuerunt, & quæ admotę fuerant plures arſerunt incendio. Dux ipſe cum parte agminis euectus aliquantulum ab eo tumultu & occiſis ſtationarijs quibuſdam noſtrorum erectis ad eam partem murorum ſcalis, pugnando ſimul & hortando accendebat uiros, ut in uacuam inde urbẽ introrumpent. Neq; deerat obſequium militum, & ſuopte inflammãti ingenio uulgi animi, ingenti nanq; ferocia, ac propè rabie omnes certatim, id decus petebant, non ignari q; præclara quæq; præmia, & ampliſſimæ faſtigium fortunæ, præter muralis coronæ donũ parata eſſent ei, qui primus murum aſcendiſſet, ſed irritas & ducum adhortationes, & contentiones militum fecit, accurrens repente in locum demortuorum ſociorum Perlatus, cum non ignobili manu Dibrenſium, ac grandine ucluti telorum obrutos homines contriuit, apparatusq; omnes perfregit, ac diſſipauit. Clamor iterum renouatus ex urbe, & repulſus hoſtis, licet maiori timore quàm periculo. Vix enim ex eo agmine xxx. ceciderũt, uulnerati duo de uiginti. Nemo tamẽ ab alijs operibus oppugnationis abſtinuit, priuſq; receptui cani audiuiſſent. Inſtabant ab omnibus partibus pertinacia ſola qua poterant, ac pudore magis q; uiribus, ita ut ſatis ampla copia reſpirandi fuerit oppidanis. Longe tamen amplior, nunc futura ex ipſo Scanderbegi aduentu, & aſpectu ſociorũ, quos index iam uenientium puluis ac fremitus equorum auribus, oculisq; omnium prodebat. Tarditatis autem noſtrorum (pugnatũ eſt enim ante eorum aduentũ ſub muris tribus amplius horis) ea cauſa fuit, q; poſt multas denicq; ſentẽtias tutius uiſum, & magis opportunũ, ſi protraheretur pauxillũ eius dimicationis ex ordiũ, donec hoſtes uacuis tentorijs relictis omnibus ignis uiribusq; in oppidanos intendiſſent, ac quiſq; ad ſua diſcurriſſet miniſteria, facilius tunc rati intẽtos, operi, ac occupatos feſſos, ac duplici oneratos hoſte aggreſſę urbis, & initæ oppugnationis pœnas luere poſſe. Sed nõ adeò ſupinus inuẽtus Ottomanus, nec tantę ſe reũ ſtultitię prudentiſſimus Imperator prębuit, ut cõuerſa in oppidanos cuſpide, nuda tantũ terga Epiren ſi relinqueret. Locata nãq; ipſe ſtatione paulominus quatuor ſtadijs procul à muris ſpectator & hortator cõſederat, ſtipatus aſſuctis cuſtodibus corporis ſui & lectiſſimorũ iuuenũ agmine circa paſſim xv. fermè equitũ

Donum parata tum ei qui primus murum aſcendiſſet.

millia disposita, qui obirent assidue, & lustrarent oculis omnia, ne motus aliquis oriretur à tergo. Epirensis septem millibus equitum, tribus peditum instructis usq; ad duo millia passuum prope hostem processit. Ibi uero de more partitis copijs, Mosem cum peditatu omni, & duobus equitum millibus in insidias, & ad uarios fortunæ euentus locauit. Ipse cum reliquo equitatu maximo impetu apertissima, & campestri uia tendit in hostem, & priusq; ad coniectum teli appropinquaret ingenti sublato clamore & oppidanorum animos erexit, & depressit Barbarorũ equitatus. Regius qui ad idipsum (ut dixi) instructus stabat, nihilo segnius occurrit, & concitatis equis irruit in aduersos. Ipsi nihil multitudine territi, uel gradu turbati, illato infestius pede, primo impetu facili negocio propellunt ac dissipant uenientes, pluresq; immixti, ac congressi cominus iam gladijs furere cœperant. Regij nulla re, præterquã numero suo aliquantisper pares, iam cedere aperte, & timida fuga momento temporis paulatim confessionem ignauiæ præbere nõ erubescebant. Id ubi aduertit Tyrannus, & aduersis ubiq; Dijs, ac infœliciter rem geri cognouit, mox ce-

Tyrannus receptui canit.

cinit receptui: Proh pudor, inquiens, & ostentans digito paucitatẽ nostrorum. Terga uestra ait, tam infame latronum agmen uidit, sed uidi, & ipse, quod magis excitare ruborem fortibus uiris debet. Ita ne deos illi in manibus, in sinu uictoriam gerunt? Vos tantum imbelles gladios, mortales dexteras, & humana, ac ferro obnoxia corpora habetis? En expectant adhuc, quid statis? Oberrant præ oculis tam uobis pudendi uicto-

Exhortatio tyranni ad suos.

res, absorbere potestis cũ totis armis equisq; uiros. Vlciscimini, sanguinem uestrum ulciscimini (ut enim sit publici honoris ratio) cladem socio rum, & priuatas saltem iniurias. Ad hanc illius uocem conuersi extemplo omnes, & undiq; relictis operibus effusi ex monte proruunt in subiectos. Non expectauit Epirẽsis, licet fessos & inordinatos, sed retroactis ocius signis, adeptũ semel uictoriæ decus ordinato in tuto recessu, qua sola poterat uia seruauit, & uno tantũ suorum amisso, tribus uulneratis, ad

Victoria Scanderbego cedit.

Mosem se recepit. Ex Barbaris lx. amplius ceciderũt, & sub solius Scãderbegi manu quinq; interfectos narrãt. Recedẽtes eos Turcæ nõ lõge sunt insecuti, nã ueritus insidias Tyrannus (præsertim q̃ de cæteris copijs latitantibus nõ incerta apparebãt indicia) iterũ receptui cani iussit. Pulchrũ spectaculum erat, quũ momẽto eodem & urgere ab una parte Barbaros, & urgeri à tergo ab oppidanis cernere liceret. Insultabant hi Castrioto cedenti, ac carpebant cõuitijs, quẽ armis nõ poterãt. Illis molestior longe Perlatus & clamore aures, & telis terga incessebat. Nã ubi relictis muni mentis ad auditũ Scãderbegi nomẽ descẽdere eos ex mõte uidit, occasio nem sequẽs præbitã cũ ccc. armatorũ agmine erũpens multo fremitu, ac

Ottomanus in fœliciter pugnat.

grandine uelut telorũ, usq; ad extremũ mõtis illos est insecutus. Ita oĩa ad uersa irritaq; ea die Ottomano steterũt. Vrbis oppugnatio intermissa, hostes nõ assecuti, & incruenti erepti ex oculis, aucta oppidanorũ audacia, & promptissimus fermè quisq; sub mœnibus amissus. Rerũ præterea aliarum

aliarum, ac totius apparatus uix tolerabilis ruina. Tria nanq; hominum millia confossa per montis latera sunt inuecta. Vulneratorũ quatuor amplius millia excessere, instrumentorum bellicorum magna uis perfracta, ac consumpta incendio. Oppidanis xl. non amplius militum iactura ea uictoria stetit. Vulneratorum magnus numerus. Ingens tamen telorum multitudo ac spoliorum inuenta sub muris, conuectaq; in urbem, dum circa Castrioti recessum occuparentur hostes, Tyrannus nihil amplius per eam diẽ tentauit. Sed recedens ob oppido, fixis circa tentoria signis, ac stationibus firmatis, per totã usq; noctem mœsto silentio se continuit. Epirensis quoq; satis ea uictoria contentus, quod & dissipatos hostes, & tantum laxamenti datum oppidanis cerneret. Moratus tantummodo dum respirarent milites sublatis signis in priora castra ubi reliquerat impedimenta cõcessit, ac ibi ciboq; refocillatis corporibus somnoq; mane ab una parte nuncios rei benegestæ, & Sfetigradensis uictoriæ ad Vranacontem, & cæteras imperij urbes ac populos decernit. Subsequẽti die ab alia parte ipse cum ducentis uiris per ardua montium ad res hostium contemplandas ire perrexit. Et quũ quieta uidisset omnia, idemq; ocium oppidanorum, reuersus in castra, & ipse biduo ibi mansit. Postridie uero in Dibras superiores cum omnibus impedimentis transtulit copias, ibiq; munitissimo loco statuit castra, xv. millibus passuum procul ab hoste. Eam potissimum (ut arbitror) rationem in tam crebra mutatione loci secutus, ne uel certis stationibus ocio assuescerent milites, uel consilia inire posset hostis, aut per insidias captandi uiri, aut ab eo præcauendi. Amurathes interea ægreferens funestæ illius diei fortunam, & tam grauem repulsam ab oppidanis non æquo tollerans animo, ubi satis iam cæcis consultationibus, & ignauo dolori datum est, accitis furoris & ultionis ministris contemplari denuo situm urbis, & obseruare, qua parte magis obnoxia iniurię mœnia essent, iussit. Deinde dispositis machinis, integro triduo in euertendis muris inanem operam consumpsit. Nam licet ab ea parte laxarentur urbis latera, & extructa opere humano munimenta corruerent, insignis tamẽ natura loci nulla ui poterat, uel ingenio mortalium expugnari. Et quamuis aperta omnia, ac sine defensore fuissent, progredi uix manuũ pedumq; (ut aiunt) adminiculo expeditis licuisset uiris, ne dum armatis, & eos trahentibus apparatus. Ita confragosi montis saltus, & anfractus præcipites, liberum prohibebant ascensum. Ab alia parte unde commodior apparebat oppugnatio, si perfringi mœnia potuissent, umbilicus quidam in modum gibbi in dorso montis oppositus defendebat à machinis, ne à stationibus hostium in eum locum apponerentur tormenta. Sed tum propter ascensum in primo aditu difficilem, tum ob uicinitatem nimiam urbis, frustra sæpe tentata res. Erumpentes nanq; oppidani, semper apparatus impedierunt, & deiecerunt omnia beneficio loci adiuti, tormentis præterea cæteris q̃ id genus instrumentis secure de muris hostium conatus deturbabant. Sic inanis labor ex omni

Sfetigradenses erumpunt in Turcicos.

latere apparebat, neq; dilucebat quippiam, quod inuitaret senē ad spem tam cupitę rei potiundę. Statuit tamē crebris certaminibus, & uexatione assidua incessanter incumbere, exhauriri posse obsessorū uires dictitans, quod licet dies primę oppugnationis multo sibi sanguine steterit, satis tamen multos hostium quoq; cecidisse, ut ex eo numero, sed non totius tamen aleę fortunam experiri ausus est, quū et à tergo residens hostis injiceret pauorē tyranno, & recentis memoria cladis adhuc ob oculos obuersaretur: Ignobilibus tantum dimicationibus lacessiti oppidani, & quæsita crebris procursationibus occasio à regijs urbis ex improuiso potiundæ. Sagittandi tamē nullus finis erat, neq; à reliquis operibus oppugnationis à longinquo cessatum. Minimum itaq; utrinq; iacturæ fuit, neq; aliquid dignum memoratu gestum, muri non attentati manibus, & scalę eousq; nusq; admotæ, donec lanizari quidam latenter progressi obseruarunt solitudinem quandam urbis ab auersa parte, unde non satis necessaria uisa fuerat procuratio oppidanis, propter inaccessi propè loci munimentum, & prærupti montis cupidinem. Res ad Amurathem delata, mirifice eius mouit animam. Itaq; approbata ea occasione, alij post alios ab illo missi, & illuc conuolantes, iusti agminis formam expleuerant. Præfecto obeunti munimenta, ea res nunciata est statim à custodijs propinquis, quamobrem accurrens mox ad locū cū delecto satellite, & magna ui telorū, ex occulto primū, & ipse spectatis hostium consilijs, admiratus summopere est eam audaciam hominum, uel uerius stultitiam, & apertū uitę contemptum. Deinde ut dolum dolō, & silentium silentio falleret, latuit tantum post munimēta, donec intentos operi singulos, erectasq; scalas, & alios scandētes, atq; in sublime leuatos uidit. Tum crumpens illico ita uel solo aspectu exanimauit hostes, ut relictis armis, socijsq; multis, prout pauor cuiq; suadebat, profugerēt, priusq; sub teli iactu essent. Pleriq; tū inter fugiendū obruti saxis, reliqui obtriti ferè cum scalis omnes, & præcipites ad ima montis deuoluti. Ita deformatis, contritisúe corporibus, ut inuenti postea non agnoscerentur à suis, quū uix effigies humana supereſſet, oppidanorum nemo læsus abijt, sed nec per totos eos dies gemitus fermè in urbe est exauditus. Nam ab ea parte qua tormentorū ictibus quatiebantur mœnia, interdiu quidem summa ratione uersabantur ciues. Noctu uero congesta terra stipitibus sarmentis, lapidibusq; reficiebant locū. Dū sic leuibus offensis lacessunt se, & acuunt magis iras, cū dimicāt cū oppidanis hostes, Scanderbegus cū duobus equitū millibus solicitus ubiq; peruagabat, perlustrans summo studio oīa, si alicūde sibi daretur occasio intercipiendorū frumētariorū, uel aquatorū, uel id quod facile credebat missorū forte quorundā à Tyrāno ad depopulationē provincię, & uastationē agrorum. Vanus tū huius rei æstimator semper fuit, nam neq; tū, neq; ullo deinceps tēpore Sfetigradensis obsidionis tentatū tale quippiā cōpocrio ab Amurathe. Redibat mœstitior in castra Epirensis, ubi irrita ea cōsilia, & nullā explendę irę materiā offerri sibi cernebat.

Quadam

Quadam die decima Kalend. Quintilis, acta iam secunda noctis uigilia, cupidus iampridem sanguinis conscendens equum cum Tanusio, & quinquaginta uiris ad assuetum opus, scrutandas uidelicet res hostium profectus, quū ex alto prospectans uelut muta omnia, neq; præter signa hostile aliud quicquam uidisset, & stratos promiscue cum iumentis sub tentoria homines (torrebat nanq; impatientia æstus corpora cancer nimijs solis ardoribus peruſtus) conuersum ad suos ita, & insigni uocis orisq; habitu proloquutum ferunt:

Oratio Scanderbegi ad suos.

O præclarum spectaculum uiri. En Orientis Imperator, & terror gentium Amurathes. En orbis uictor exercitus, qui Hungaricis spolijs, & Asiatica gaza, ac Peloponesiacis ornamentis totiens barbaricas domos decorauit, sepultus ignauo dolore, somnoq; iacet, à Sfetigradensi præsidio, & tam pusilla urbe uictus, ut obsesso iam uideatur, quàm obsidenti similior, uix exaturari animus eo aspectu potest, cū turpis rerum omnium facies, & iumentorum simillima omnia. Sed adessent utinam spectatores Christiani principes, uix temperaturi quidem lachrymis nunc mecum, quum ex eo fœdissimi habitu hostis fortunę suę indignitatē metirentur. Quod ad uos attinet, transmittite quęso hęc ita ad ima pectora, & memores libertatis animos, sicut oculis nunc tam sordide subiecta sine contemptu cernere non potestis, agite dum, properate mecum, dum aliquid diei supereſt, & recens huius spectaculi imago hæret animis. Abeamus in castra, ut accipiamus signa, ut ferrum tradamus socijs, dum iacens tam bellę hostis cruentum nobis iugulum tradit.

His dictis, concitato equo, sequētibus impigre alijs, totus irarū spei cq; plenus ad stationes contendit, atq; nullo ibi laxamento suis dato, uix cibi militariter sumendi facultate concessa, auelli præcipiti festinatione signa & copias omnes, arreptis unius tantum diei cibarijs se sequi iubet. Ad custodiam castrorū xl. militum libera capita, cęteri seruilis corporis, & lixarum manus relicta, nondum sole fugato opertam tellurem inuaserant tenebræ, cū viij. millia passuum propè hostem irrepserat Epirensis, tacitus semper prœuntibus equitibus quibusdā, ac lustrantibus oīa, & peragrantibus assueta indagine singulos saltus, ne struendarū tantūmodo insidiarum artificē Castriotū appareret. Timebat semper peritus belli dux, uel ex composito summa ingenij dexteritate timorē simulabat, ut cautiores efficeret milites, & ad omnia redderet intentos. Inde crebro dicere solitū ferunt, plures claros imperatores exercitusq; insidijs, cū aperto Marte deletos. Optare se contra x. potius uiros certa cum destinatione, atq; aperta fortuna congredi, cū aduersus duos in aliqua rei loci q; incertitudine confligere, quum & omnia occulta formidolosiora, & in re subita quęq; maiora uideantur. Vbi uero quadringentorum ferè interuallo stadiorū hosti propinquus factus est, progredi ulterius signa prohibuit, donec duos milites multis pellectis donis ad disquirenda cuncta usq; ad statiua Barbarorum misisset, sed & sponte cum illis id subijt onus Moses,

Plures exercitus et clari imperatores magis insidijs quàm aperto Marte deleti.

utpote qui non ſatis uel audaciæ, uel peritiæ illorum fideret. Et deſcendens illico ex equo, ut pedes tutius falleret uigiles hoſtium, ſeruili ueſte tectus, ac Illyrico præcinctus enſe, alacer euanuit ex oculis ſociorum. Militeſ ambo intrepide ſecuti, erecti ſunt omnium animi, quum Moſis ingenium ad id negocij adiectum uidiſſent. Expectabant itaq; ſoliciti inuitantibus pauorem noctis tenebris, quæ gerendi belli conſilia tantus explorator afferret, neq; fefellit hominum uota Dibrenſis. Quum nõ tantum adiacẽtia caſtris loca, ſed in intimas quoq; ſtationes progreſſum latebras omnes hoſtium perluſtraſſe non ab re dictum ſit, nec me præterit aliquis ad Scanderbegum id audaciæ experimentum tranſtuliſſe, quod tamen ego à Moſe non aufero, ſecutus in re non ſatis certa plurium ſententiam, licet non prima, & ſolius ea Moſis fuerit laus. Nam & Caſtriotum ipſum in Croienſi præſertim obſidione, nemo negat id munus obijſſe, pari animo, euentuq; : quid enim dicam conſilio ? quum uix fermè ibi aliquid ratione, ſed ſolo caſu geratur. Quare nõ multum auſim laudare in ducibus tam prodigam uitæ uirtutem, & ſi quod reprehendas in Epirenſi nihil reliquit fortuna, quæ omnes uiri conatus, cogitatusq; ita ad ardua quęq; eſt comitata, & ſecuta, ut rarum illud ſpectaculum ea ætate cernere licuerit, euentum cum conſilio, fortunam cum uirtute coniunctam. Sed dabitur aliâs his locus, nos interim cum Moſe redeamus in caſtra, quem conſpectum à longe ſtationarij (luna nanq; pernox erat) obuiam progreſſi, multo gaudio exceperunt, tacitoq; murmure perduxere ad Imperatorẽ, circumfuſi tum turmales, & mixta multitudo optimatibus concurrunt ſoliciti ad audiendum quæ uiderit, quæ egerit, quantum timoris, quantum ſpei attulerit. Vbi tuta omnia ſunt nunciata, ac lætitia in ſingulos transfuſa, Scanderbegus ſentiens iam pugnæ optatũ adeſſe tempus, medius uadens per agmina armatorum, diſponebat ſimul tela, uiros q;, nũc primos, nunc poſtremos ad ſua quenq; officia collocans, ſimul animos præclara uerborum adhortatione accendebat:

In ducibus nõ laudatur prodiga uitæ uirtus.

Oratio Scanderbegi ad milites nocte pugnaturos.

Et ſi, inquiens, milites nunc cũ tempus ipſum, ac multa propè undiq; omnia, tum ſpectata totiens uirtus ueſtra me ad ſilentium inuitarent, tamen noua hæc conſilia noſtra, & inſueta belli gerendi ratio non alienum fortaſſe ſermonem meum apud uos faciunt, quandoquidem cũ nocturno nunc hoſte, non aperto (ut conſueuiſtis) Marte ædenda uobis nouæ uirtutis exempla decerno. Quare ago libenter nunc uobiſcum, & ſi quo intentius fieri poſſit, hortor, obſecro, obteſtor omnes, ut memores animorum, memores per tot annos parti decoris præſentes uos tenebræ oſtendant. Nam ibi ipſe neq; ſpectator, neq; adhortator cuiuſquam ueſtrum uel uirtutis, uel ignauiæ eſſe potero, ſola luna teſtis, & dextera uobis ueſtra hortatrix aderit. Aderit à uobis rerum geſtarũ tamen & euentus publice teſtis, egõ priuatim ſingulorum iudex, quum cruenta occiſorum ſpolia, & oblata è tentoriis ſigna, quum trunca hoſtium capita manibus ueſtris ad me deferri uidero. Hæc & huiuſmodi alia uelut per iocum

iactabat

iactabat, monens tamẽ præcipua cura uiros, abſtinerent ab hoſtilium ca ſtrorum direptione, neq; dum ſordidam cupiditatem explere conantur, funeſtiſſima ſe præda præpedirent, nullam poſſe meliorem fortunam, nihil precioſius pręclaro militi offerri, quàm hoſtile iugulum. His expeditis, ac ſupplicationibus, uotiſq; multifariã pro uictoria nuncupatis, quarta ferè hora noctis inde eduxit ſigna. Sed priuſq; ad caſtra hoſtiũ peruentum eſſet, illorum aduentum prodidit equorũ hinnitus, armorumq; ſtrepitus cuſtodijs Barbarorum. Itaq; momento temporis uigiles excitatis ducibus caſtrorum confuderant omnia, ac repleuerant tumultu. Prætoriũ quoq; Principis re ſubita perculſum, excitusq; facile è ſomno ſenex, quæ in tam præcipiti facto potuit quaſi inops animi procurauit. Non tamen idcirco tardauere, ne dum tenuere impetũ Caſtrioti, qui & ſi eo motu miſceri caſtra, ac uolitare per ſtationes armatos ſentiret, uix aliquid de concœpto iampridem ardore moderatus ingenti clamore, fremituq; impetit munimenta. Dimicatio primũ orta circa tentoria Aſiaticorũ quorundam militũ, quæ forte prima occurrerant. Facile itaq; diſiectis omnibus, & ſtationarijs tum fugatis, tum occiſis, ad alia uiciniora eandem traxit ruinam. Occurrebant multi ſumptis tumultuarie armis, ſed impares & numero, & ferociæ noſtrorum. Mox diſcerpti gladijs, uel in fugã acti fuere. Inde Epirotæ ubi deſertas quaſdam ſtationes uiderũt, iniecto igne & funibus præciſis uacuas cuſtodibus domos deformabãt. Stetit incruenta eouſq; uictoria Scanderbego, donec collecta in unũ, & denſata ualida Barbarorũ manus è uiſceribus ipſis, ac robore caſtrorũ ad eam ignominiam propulſandã accurrit. Tum anceps apparuit Mars, & opertus cadaueribus, ac multo cruore notatus locus. Caſtriotus nanq; deductis à fronte ſcloppis, ſcorpionibusq;, ac omni agmine ſagittariorum, primo impetu ueniẽtes exceptos ea ſtrage afflixit, ut obſtupefacti primo augente pauorem nocte dubijs pergerent, ne ire, an retrocederent animis, ſtetẽrint. Freti tamen numero (xiiij. nanq; millia amplius illuc confluxerant) reliquam fortunam experiri deſtinant. Epirenſis poſſeſſum ſemel locum necubi mutauit, ſed obnixo perſiſtens gradu, pari animo conſilioq; ad ictus cum inferendos, tum ſuſtinendos ſe præparabat. Neq; enim uel ingredi ulterius caſtra hoſtium ob confertam multitudinẽ poterat, uel eam præclaram uictoriæ occaſionem ullo propoſito diſcrimine dimittere uolebat. Collato igitur comĩus pede, gladij gladijs, ſcuta ſcutis concrepuere, ac cõgreſſus uelut uir uiro (cauebant nanq; permiſceri, ne in ea noctis confuſione periret diſcrimen hoſtium, ſociorumq;) ſingularis cuiuſdam certaminis ſpeciem effinxere, ita ut ne dum publico, ſed priuato quodam odio inſanire uiderentur, dum quiſq; ſibi ueluti aſſignatũ credit hoſtem, & cruenta inuiſi capitis ſpolia detrahere ſtudet. Dilucebat iam ex omni parte, cq; fixa militum animis recens oratio Caſtrioti, cq; infuſa mentibus ſingulorum priuata quoq; præcepta forent. Ita undiq; ſub manibus uictorum gemebant Barbari, ac ſecta ferro guttura cum profluenti copia

ſanguinis

sanguinis stridebant. Dum abscissa quisq; capita solicitus uelut data pignora fidei, & emeritæ signa uirtutis duci ostentare cupit, sed non permissa diutius nostris ea facultas sequendi. Nam ubi oneratum agmen suorum uiderunt Turcæ palantes undiq; integri, ac saucij simul ad tutiora castrorũ loca, & uallum principis se recipiebant. Deprompta mox è stationibus omnis acies, & egregie (ut in eo tumultu potuit) instructa, ad eam partem sicut magno, ita inani impetu incubuit, quum in ipso fermè hostium fugæ initio nostri quoq; satis ea cæde tum defessi, tum exaturati retrocessissent. Cæterum cum uix adhuc per duo stadia abessent, nullus tamen instare ausus fugientibus ob timorem insidiarum. Manserе ibi igitur, donec illucescens aurora suorum stragem, & cadauera sociorum recensenda illos multis cum lachrymis obtulit. Duo occisorũ millia fuisse omnes consentiunt. Vulneratos quingentos amplius. Nostrorũ quoq; duo & quadraginta inter hostium aceruos iacuere, quos inuentos Barbari, licet frigida tactu corpora, & liuentes ex more oculi conspicerentur, ac pristinos membrorũ usus fœlices iampridem deseruisset anima, inani tamen ultionis studio fœde laceratos, publica simul & priuata odia inexangues truncos, & surda nequicquã cadauera explere satagebant. Scanderbegus interim ereptos omnino ex oculis auribusq; hostium in quadam ualle, quã Pulchra incolę appellant, quinq; millibus passuũ procul ab his stare iussit signa, donec respirarent milites, & reformarẽtur ęquius ordines sub splendore diei, sauciorumq; cura haberi posset, quos ipse singulos adeundo consolabatur, & imperatorij decoris oblitus, militari ingenio, uelut unus ex plebe, manibus suis attrectabat. Procuratis diligenteromnibus signis sublatis, inde circiter quintã diei horã peruenit in castra. Nam tardabant multa uiros uulnera, calores, præterea prædę hostilis satis grauia onera captorum, quinetiam non ignobilis erat numerus fortunæ tam publicæ, quàm priuatæ sub tentorijs quantum inuentum, tantum fermè arreptum, equi ccxxx. signa militaria vij. Sed ornabãt præter cætera spectaculum præclara gestamina, & insignia priuatæ uirtutis cruenta hostium capita in manibus militum. Hos Scanderbegus publice multis uerbis donisq; honorauit, captiui ad urbes uicinas transmissi, donec pro redimendis precium afferretur. Signa ad regulos socios cum quibusdam ornamentis Barbarorum transmissa. Reliqua prędа cõcessa militibus, & diuisa, quiesq; per eos dies data castris ad reparandas uires. Exacto triduo collecta uasa, & in Aemathijs campis castrametatum. Otmanus ex tam miserabili suorum fortuna, & fœdissimo castrorũ aspectu ab ira in rabiem & furorem uersus, quum aliam ultionis materiam nõ uideret, truculentissimos animi æstus in oppidanos & opposita mœnia ne quicquam expromebat. Ter per eos dies præfectus nouæ Romæ cum insigni apparatu eam oppugnationem aggressus, repulsus totiens ab oppidanis, & maxima clade deiectus. Sed quantum ferociæ ex ea re obsessis & animi accedebat, tantum atrox indignatio, & præseruidus furor uexabat magis

Scanderbegus solatur uulneratos, & manibus suis attrectat.

bat magis Amurathẽ, & superstes in effœto corpore uirtus, ac uetusta rerũ gestarũ memoria seniles erigebat spiritus. Bellorũ uarios euẽtus dicebat, & nullibi instabiliorẽ fortunã, difficultates oẽs pertinaci cõsilio, & in defesso studio superari posse, debiles fore urbes, infirma oppidorũ munimẽta ęquabilia solo oĩa ubi mortaliũ ingenia, & humanus labor intẽdere uellet, accẽdens his dictis suorũ animos, & pręmia simul (qualia uix ullo imperij sui tẽpore polliceri cõsueuerat) proponẽs uiris, posterũ diẽ ad urbis oppugnationẽ destinauit. Nõ latuit horũ quippiã Scanderbegũ, sed prout uel decreta, uel tentata fuerant, detecta sunt oĩa ei per singulos dies, tũ exploratoribus à se dispositis, tũ à transfugis barbarorũ, quorũ indies multi ad eũ cõfluebant, uel imperiũ Ottomani fastidiẽtes, & sequẽtes fortunã ducis, uel sola ducti (ut fit) ingeniorũ leuitate. Cõciliabat prętерea ita sibi homines liberalis natura, & prudentia uiri, ut si quid simulati & pernicioſi ingenij secũ attulissent, ea uicti clementia id fermè omne exuerent. Moratus itaq; tantũ Epirensis dũ Moses redijsset, quẽ ad cõquirendos milites, & in supplementũ amissorum sufficiendorum miserat, reliquos ordines, turmas q;, tanquã uisus esset hostis, in procinctu tenebat. Ab Amurathe ut cõstiterat signa sub mœnibus illata, & cœpta oppugnatio sub primo fermè diei exortu. Cincta urbs corona undiq; qua accessibilis mons erat, & operta omnia armatis. Nam quũ ultimam eam dimicationem tyrannus proposuisset, in obsessos, totis uiribus, roboreq; exercitus incubuit, sed ne perturbaret ea (ut consueuerat) improuisus Castrioti aduentus, Feribasse feroci illi duci sponte id munus petenti. xij. equitũ, vi. peditũ millia tradita, qui hostis impetũ auerteret, sustineretq;, neq; reliquas turmas à tenore oppugnationis interpellari pateretur, multũ consilij aderat Barbaro, plurimũ animi, utpote militaribus nõ minus, q; imperatorijs officijs assueto. Obibat singula crebra perequitatiõe, & exploratoribus præmissis perlustrabat remotiora etiã à tentorijs loca impatiẽs animi, ociq;, uelut cupitũ expectans hostẽ, & indignans tam præclaram laudis materiam diutius differri sibi (ita oberrans prę oculis fatũ, & uicina libertas, audaces plus nimio homines facit.) Rudis nanq; propriarũ uirium ęstimator destinauerat iampridẽ animũ ad singulare certamen cũ Scanderbego ineundũ, si per militares tumultus, & furores belli sibi usq; licuisset. Deformata interea totmentis multa murorum parte, & disiectis munimentis quibusdam oppidanorũ, repleuerant scalis muros regij, & intenti omni genere telorum asseribus prętertim (usitatiori uocabulo Arpagones dicimus) superstantes armatos incessebant, nec; cuniculorum inanis labor à quibusdam intermissus, ignes quoq; rotati à multis partibus, & immissi in urbẽ (nondum enim uel nota mortaria, uel satis in usu erant) sed facile extinguebantur ab oppidanis, agebaturq; intrepide undiq; cura murorũ. Plurimus tñ labor, ac ferè periculum omne ad portã maiorẽ erat, ubi conuectis multis scalis tabulisq;, uelut turrim quandam erexerant regij, quo & plures simul euadere possent, & pedum stabiliore

uestigio,

Bellorum uarij euentus, et nullibi instabilior fortuna.

Scanderbeg conscius consiliorum Turcæ

Libertas audaces homines facit.

uestigio tela facere ad summouendos stationibus q; deturbandos oppidanos. Augebatur semper numerus hostium confluentium, tanquam in uenta uia esset potiundæ urbis. Alij ingentis magnitudinis trabes ad firmandum, ampliandum q; nouum opus, ac latentes muris insidias struendas subuectabant. Machinas minores alij, & ferreos uectes ad fodienda subter mœnia afferebant, ministrabant q; simul sagittas, lapides, ac cetera id genus missilia ijs qui à summitate eius compaginis, urgebant hostes. Iam q; senescebat paulatim ab alijs partibus ardor oppugnationis, & uis omnis, ac certamen illuc transferebatur. Tumultus præterea, clamor q; insultantium omnia maiora faciebat, incesserat formido mixta desperatione oppidanos, quibus ea statio assignata fuerat, quum in eo statu res uiderent, ut ne dum remoueri ulla pertinacia ab eo opere, sed nec; tardari Barbarus posset. Quo maiori strage pellebant hos, eo numerosiores alij scandentes nusquam respirare illos patiebantur, ita ut tela quoq; cum uiribus deficerent obsessis. Quare ubi inane suum præsidium sensere, periculum q;, ne inde urbs caperetur, extimescerent, soliciti de salute patriæ, præfectum acciri cum manu armatorum ocius iubent. Sed exciuerat rumor, pauor q; alius ab alio Perlatum, quia inuenere eum non longe festinantem ad eam partem, cum longo ciuium agmine. Consternata nanq; omnis ætas uelut captam ciuitatẽ audissent nondum certo dolore, suspenso q; gemitu cupidi ad tam inuisum spectaculum accurrebãt. Deiecit primo impetu hostes Petrus, qui euaserant in muros. Signa quædam tyranni inuenta affixa munimentis, multo clamore auulsa, delata q; in forum, quo eius prædæ aspectu solicitudine sociorum animi leuarentur. Vnum restabat, ut lignea moles illa perfringeretur, & iniunctæ ad muros trabes (ut diximus) æquarentur solo, sub quibus tecti milites uectibus ferreis demoliebantur fundamẽta, & reliqua ministeria oppugnationis exequebantur, licet & ex ipsa turri sæuientibus Barbaris non satis adhuc tuti nostri erant. Congesta igitur ui saxorum ingentium, ac oleo, aceto, aquaq; feruentibus affatim coniectis eodem momento machinę tabulata, compago illa scalarum crebris superne ictibus dissiparunt, reliqua instrumenta hostilia obruta, perfracta q; pari ruina. Gregariorum quoq; centũ amplius capita attrita, suffocata q; in eo tumultu, & duo non uiles ordinum ductores. Liberata eo metu ciuitate, ac renouatis munimentis, custodiarum q; habita ratione, uix enim ullus de uetere præsidio inuiolatus excesserat, ad alios hostium motus ubi par iam cõtentio de muris, ideo q; propior periculo urbis fortuna apparebat, cõuersis signis dux peruolat. Barbari qui à recenti agmine nostrorum repulsi, abscesserãt aliquantulum à mœnibus, dum primus ille feruor oppidanorũ resedisset (utpote quos licet magna, non tamen omnis penitus tentatæ rei spes deseruisset) ubi abesse ducem nouere, procurrentes illico ad relicta ministeria, & fumantes adhuc suorum sanguine trabes, renouant oppidanis priorem periculi faciem, sed paulopost accurrens Perlatus, uix dum cõpactam materiã leui momento

Perlatus præfectus festinat ad tutandum murum.

momento disiecit. Inter has uirorum contentiones, & fortunæ uariationes, speciosior lõge figura belli ab alia parte affulsit, quæ utrorum q; auerteret animos manus q; à pugna, & uelut mitigata ira, ac ferro depositio spectatores timido silentio euentus sociorum faceret. Adduxerat enim repentine instructum militem Castriotus quinq; fermè stadijs prope hostem, celeri q; cursu ad hostium castra pergebat, ni instructus iampridem Feribassa cum assignatis sibi à Tyranno copijs ei occurrisset, non passus propius progredi hostem, ne (quod maxime intendere nostros sciebãt) disturbaretur eo tumultu oppugnatio urbis, & auocarentur à mœnibus reliquæ principis copiæ. Scanderbegus simulato pauore retulit latenter pedem, & cxl. amplius passus protraxit, longius adhuc se insequentes hostes, tum deductis ex more copijs infestis passibus procursum est in aduersos, uerus q; depromptus furor. Barbarus olim auidus pugnæ, nihil recusauit, sed quum eam paucitatem nostrorum uidisset (nam cum ix. paulo plus millibus Christianus uenerat, reliquos enim ad M.D. amplius, cum Musachio x. fermè stadijs procul uelut ad subsidium cæterorũ, si uariasset fortuna reliquerat) peditatu omni, & quatuor equitum millibus à fronte oppositis, impetum eorũ excepit, reliquas copias equestres militari astu delusas à robore cæterorum, ac passim circunfusas ad occludendos & opprimendos à tergo nostros misit, ne ullum effugium pateret obsessis, ratus forte Scanderbegum quoq; ipsum eo modo uiuum in manus suas uenire posse. Sensit fraudem ueteranus dux, mox q; concito equo, Mose cum cæteris ibi ad mediæ aciei sustinenda onera relictis, ipse cum expedito equitum agmine ad dextrum latus peruolat, & progredientes ad prostitutas insidias hostes primo aspectu inhibuit. Deinde cominus illato pede acerrime urgens loco mouit, transtulit q; animos hominum ad propriæ salutis curam. Quatuor amplius hostium millia erant, Epirensis uix duum millium implebat numerum. Par ita q; aliquantulum uictoriæ spes, & ardor animorum fuit, licet dimicatio dispar, quũ longe plures illorum caderent. Musachius à sinistra parte euorcatus, & ipse à socijs toto agmine in hostem incubuerat. Ita tripartitæ copiæ utrinq; triplicis speciem prœlij effecerant. Moses consilio magis quam dextera rem gerebat, nec; indulgere ferociæ suorum, nec; nimium adire periculi uolebat, donec prosperum aliquem successum, & exordium uictoriæ à cornibus conspexisset, seruare recentes suorum uires, & densatis ordinibus differre fortunam tergiuersando in aduentum sociorum. Feribassa eo insolentior instabat, & crebro ad suos conuersus:

Feribassa occurrit Castriotο.

Inferte pedem, clamabat, socij, Vtimini Dijs propitijs, utimini uictoria, dum torpent hostium gladij, dum senescunt uires. Petite deuota uobis capita. Excindite scelerata ferro pectora. En quàm ignaua undiq; omnia. Vix hostile quicquam aspicimus in hoste. Non uultus hominibus, non uox, non motus aliquis, index animorum apparent. Vel

Feribassa hortatur suos ad pugnam.

protrahunt fortaſſe in noctem certamen tenebris aſſueti prædones. Vobis aperta luce eſt utendum, & è manibus hoſtium ea conſilia extorquenda. Nunc & uirtute & numero ſuperamus. Nox expectata, & pluribus pauciores, & ignauos fortibus eſt æquatura. Sed quid hos increpo? quid inſequor? qui uelut æſtus maris ſubito ceſſabunt, ubi procellam ſuſtuleris. Abſcindendum caput ipſum, cæterorum ſicut uilis, ita facilis ſanguis. Vbi eſt nephandus transfuga ille, tot autor malorum? quem incruentis uobis, ſi eum mihi aliquis hodierni prælij offerat caſus, ſolus conficere cupio, & elatam tantis latrocinijs feram ſociorum mactare manibus. Longum hoc deſiderium meum, non noua aliqua & ſubita libido certaminis eſt, milites, iamdudum eſt quod hoc cogito, animumq; meū iſtuc iamdiu ſolicitat certamen, & ſcelerati hominis ſupplicium, experiri iuuat, an & hoc ferrum nocere poſſit? An penetrabile corpus illi, unde ea uiriū uis, & in quo fœlix tamdiu bellator iſte cęteros ſuperet mortales.

Feribaſſa prouocat Scanderbegum ad ſingulare certamen.

Eo uociferans modo, minus quàm ducem decet, perluſtrabat paſſim oculis, ſicubi eum conſpexiſſet, & abalienato à reliquis animo, ſolum manu, ſolum uoce poſcebat. Milites non inuiti audiebant hominem, & licet inuicta omnibus ducis noſtri uirtus uideretur, expectabant tamen interti (ut auidum eſt uulgus rerum nouarum) tam pulchrum ſpectaculum cernere, ſperantes præterea alterutrius uictoria finem ſibi eius diei potius laboris ac ſanguinis futurum. Multi tamen, quibus maior rerum cura, & honoris inceſſerat ratio lenibus nequicquam alloquijs, ne ignauiam tacite imputarent uiro, ſummo ſtudio ſingulare illud certamen diſſuadebant. Pernicioſam æque ac nullius exempli rem eſſe dicētes, ut duces ipſi eius rei præberent ſpectaculum, cuius deberent eſſe ſpectatores. Militares eſſe eas contentiones, & priuatorum munia. Imperatoris partes magis in conſulendo & imperando, quàm dimicando ſitas eſſe. Non defuturos plures alios (ſi res ferat) qui intrepide id muneris obeant, ne ipſe ea ferocia & auiditate periculi poſſeſſum iamiam decus & certā uictoriam aleæ committeret.

Imperatoris partes magis in conſulendo quàm dimicando ſitæ.

Surdis ad omnia auribus præfectus, neq; uel tantum ſalubre conſilium ad animum tranſmittens, ut ſtolidum propoſitum differret, dum ſignum aliquod bene gerendæ rei à cornibus affulſiſſet, concitato propere equo, militum ſtipatus agmine, Scanderbegum clara uoce compellans, parare ſe ad pugnam iubet. Illé & ſi audiſſet nuper omnem fermè orationem uiri, nihil tamen ab incepto dimicationis ardore auocatus, uel diſſimulans regio decore, uel contemnens, uix caput conuertit. Vbi uero & expeditam præ oculis uictoriam, & inſtantem moleſtius Barbarum uidit, adductis ad eam partem militibus, mox & ipſe recenti ſucceſſu ferocior, ac hoſtili cruore reſperſus conuolauit. Poterat Barbarum is præſentis aſpectus, poterant fuſæ ſuorum ex lateribus legiones, ac tanta militum iactura commouere. Debebat talis fortunæ ſuæ facies illum perterrere, & extinguere eoipſo illi omnem dimicandi cupiditatem.

Tamen

Tamen uel coactus fatis, uel pudore prohibitus à retractando nihil de priſtino animi habitu mutare uiſus eſt. Quieuere mox ex omni parte tela, & publicus furor inhibitus à ducibus. Non tumultus, non clamor, non hoſtile quippiam auditum, circumfuſi tamē milites ac purpurati circa Caſtriotum, non precibus modo, ſed contentione agere, ut manibus ſuis clamoſam beluam illam relinquerent, caput tantum occiſi deberi Imperatori, reliqua omnia ſua eſſe. Magis futurum & ex eius, & Epiroticæ rei dignitate ſi ſentiat Ottomanus, pares milites Albanos ducibus ſuis, quàm pares Imperatores. Indecorum præterea uideri tantum principem eam gloriam rerum geſtarum, & tot annorum laudes cum infami Amurathis ſeruo dimicando in diſcrimen dare, ſe noui decoris nihil exinde expectare poſſe, Feribaſſam illuſtriorem eo facto, quàm reliqua omni anteacta uita futurum. Ad ea Scanderbegus mirifice omnium animis ac priuatis in ſe ſtudijs collaudatis, inter apparandum, quæ ad id genus certaminis in rem erant:

Oratio Scāderbegi ad ſuos, oſtendentis paratum ſe ad duellum cum Feribaſſa.

Auertat, inquit, Deus optimus maximus, ſocij, ut dum hæc dextera ad telum gerendum ſufficit, dum uiget in corpore tale uirium robur, extorqueat à me quiſquam ueſtrum huiuſmodi fortunæ euentum, quemcunq; parauerint fata. Seruate in aliud tempus officia iſthæc ueſtra, quū ſenem me, & haud ſatis uiribus meis fidentē uidebitis. Nunc cauiſſe potius uos oportet, ne dum nimio plus ſalutis meæ anxij eſtis, laudis uideamini inimici. Quid enim, ſi ad uos (ut poſcitis) id periculi tranſtulero, dicturus eſt hoſtis? niſi tergiuerſando apertam timoris diſſimulare confeſſionem, quum ſentiam me ſibi parem non eſſe. Nam (quod ad uos attinet) non priuatorum hæc tantum, ſed Imperatorum etiam quandoq; munia eſſe conſueuerunt. An pudori Alexandro cum Poro Indorum Rege glorioſa illa dimicatio fuit? An Pyrrho cum Pantacho duce ſingulare certamen illud uitio dedere ueteres? Marcellos hoc in loco, Torquatos, Coruinosq; conticeſco, qui prouocantes hoſtes magna ſua ciuiumq; ſuorū gloria proſtrauerunt. Mea ſors hęc, manibus his ſubeunda, me hoſtis poſcit prodigus minarū. Me trux belua cōpellat, ignauus ſim, ſi recuſem, ingratus ni tāto hominis deſiderio morē gerā, ſatis dignus eſt, qui ferrum hoc ſentiat, quē tanto nō indignū imperio ſenſit Amurathes.

Etiam Imperatores ſingularibus certaminibus uſi.

Alexander. Pyrrhus. Marcellus. Torquatus.

His dictis, mox unum è ſtationarijs ad Barbarū, ut ad ictus pararet ſe, mittit. Ipſe ſubinde maximo militū clamore euectus, in deſtinatū certaminis locū prorupit. Minus nobile ſpectaculū fecit, ſicut impar hoſtilis ducis uirtus, ita pręproperus exitus. Primo nanq; cōcurſu telorum excepta in faciem cuſpide Feribaſſa, eo ſolo ictu corruens, ſimul & equū & uitam reliquit. Scanderbegus dimiſſo cadauere, ſpolijsq; iacentis, & ad ſuos reuerſus, inire ocius oēs pugnā, & inſtaurare undiq; prælium iubet. Non expectauere hoſtes, ſed ubi ſtratū uidere ducem, primo denſi accurrētes, tractū pedibus cadauer ab ignominia, deinde haud ſatis cōmode tutari conati ſunt propter interuentū noſtrorū eo officio defuncti totis ſignis

Scanderbegus iugulat Feribaſſam.

M ij effudere

effudere se in fugam, illi prout auide prodierant, multi fugientibus insta-
re, anteſignani præſertim donec receptui dato reuocati ſunt omnes. Ita
priuata ſimul & publica uictoria lætus Epirenſis, ubi quieta omnia, & ni
hil præter ueſtigia hoſtium, ac frigida iacentium corpora uidit, mox uul
Scanderbeg ſuos mittit ad legenda occiſorum ſpolia. gus ad legenda occiſorum ſpolia dimiſit. Ipſe inſtructus cum reliquis co
piis, & promptiſſimis quibuſcp, ne quis motus fieret ab hoſte, obſerua-
bat. Amurathi nunciata hæc primo, deinde uiſa ita dolorem mixto timo
re inculſerunt, ut uocem aliquandiu non emiſerit. Quum ita uelut inui-
ſus ſuperis fatiſcp prohibitus fruſtratam undicp ſpem ſuam uideret. Sed
retrocedente paulatim ui doloris, quæ in ea re prudentiſſimus quiſcp
procuraſſet, ordine procurauit atcp egit. Primum nancp diſpoſitis un-
dicp militibus, ſolicite obſeruare omnia hoſtis conſilia iubet. Deinceps
deductis à muris quibuſdã minoribus machinis locat ab ea parte caſtro-
rum, qua magis ſolitus aggredi hoſtis, & opportunior iniuriæ locus ap-
Bona conſultatio Amurathis hoſtis conſilia obſeruare. parebat. Auctis præterea copijs ducis occiſi, ac quatuor millibus in ſup
plementum ſuffectis (totidem enim ceciderant) ad cuſtodiam muni-
mentorum collocauit, edicto ne quis ſigna extra efferret ad dimicandum
cum hoſte, niſi comminus inuectum in caſtra uidiſſent. Tunc tormentis
ad id ipſum locatis magis cp corporibus ſuis rem gererent. Facile eo mo
do ratus in cruento milite ſuo omnium certaminum ueteres & nouas ia-
cturas reſarcire. Ita & commode ubicp prouiſum, & oppugnatio urbis
non omiſſa. Corruerant tamen animi Barbaris, defecerant uires, conſe-
nuerant ictus. Vbi infœliciter pugnatum in campis, ſecuscp quàm ex-
pectauerant, belli fortunam inclinaſſe conſpexerunt, & priuata ducis no
ſtri uirtus, fortunacp multorum ſibi conciliauerat animos, illorum præ-
Transfugæ ex Turcis ad Chriſtianos. ſertim, qui ex ſucceſſu rerum formant, uariantcp fidem. Quare ea die
transfugarum ad noſtros numerum amplius quinquaginta fuiſſe inue-
nio. Oppidanis uelut alimenta quædam audaciæ, & uirium uictoria ſo-
ciorum præſtiterat. Exin acrius ſemper pro munimentis inſtare, necp re
ſpirare unquam ſinere, donec feſſus iam hoſtis ſuperuenientibus etiam
tamdiu cupitis tenebris relictis operibus, ſigno receptui dato, reuocatus
eſt in caſtra. Stetit ea dies Tyranno ſemptem amplius millium militum
iactura, faucij fermè plures, quàm integri exceſſere. Ex oppidanis lxx.
deſiderati, uulnerati nonaginta duo, adeo ut rareſcente indies noſtro nu
mero, multorum animos timor inceſſerit, ne defendentium aliquando
paucitate urbs cuſtodiri non poſſet. Igitur intentiores quotidie ad refi-
cienda mœnia, & conſtruenda munimenta, ne penitus obnoxia telis ho-
ſtium corpora offerrent, curam omnem tranſtulerunt. Erigebat tamen
illud præcipue feſſos, & acuebat animos incluſorum. Quod eandem ſem
per principis ſui fortunam aſpiciebant, & hoſtilem exercitum tot cladi-
bus ſordidatum, ac magna ex parte diminutum. Scanderbegus autem
priuſquam deſcendiſſent ex monte regiæ copiæ, lectis tutiſſime iacen-
tium ſpolijs duplici ouans uictoria abſceſſit, & receptus in caſtra, quod
noctis

noctis ſuperfuit cantibus, iociſcp uarijs conſumpſit. Prædæ tantum ad-
uectum, quod iam ſacietas homines ceperat, equorum præſertim, ut con
cederentur promiſcue ignauis, fortibuſcp, multi dona regulis uicinis,
cum alia gaza hoſtili miſſi. Confluxerat præterea ea tempeſtate multitu-
do mercatorum ex Italia, alijſcp locis, qui emptos pecunia, uel mercium
facta permutatione, abducebant indies ex prouincia. Quieuerat iam pa-
uor per uniuerſam regionem, & perinde cõtemni cœperat ab omnibus
Ottomanus, quum ſic confractas penè eius uires uiderent. Scanderbe-
gus quocp ipſe iamiam urbis obſidione relicta, diſceſſurum ultro crede-
bat, necp amplius tot acceptis iacturis, moram tracturum in Epiro, cre-
bros tamen ſpectatores quotidie decernebat, qui regis conſilia explora-
rent, ſed nullus motus apparebat à caſtris hoſtium. Itacp ipſe impatiens
ocij, cum duobus equitum millibus per aſpera montium progreſſus,
oberrabat indies loca, & contemplabatur omnia: necp ſatis poterat con-
iectare, quid conſilij uerſaret hoſtis, ſi quos frumentatores, & uectigales
Tyranni intercipere poterat affixus ſtabat. Aggrediendorum nancp ca-
ſtrorum, uel congrediendi aperto campo nulla uſquam tuta occaſio ap-
parebat, quum & unitas tantæ multitudinis uires, & detectas à tranſfu-
gis inſidias machinarũ timeret. Obequitabat tamen pluribus locis con-
ſpiciendus hoſti, ut eliceret ad certamen uiros ea militum paucitate ſpe
bene gerendæ rei iniecta. Sed ea conſilia nullus unquam euentus eſt ſe-
quutus. Nam uelut obſeſſi in ſtationibus Barbari uix pedem extra ual-
lum mouebãt, quũ edictum à principe fuiſſet, tapitali proposito animad-
Edictum Tyranni per omnia caſtra. uerſionis metu, ne quis iniuſſu ſuo, non ſolum in hoſtem pugnaturus
egrederetur, ſed necp etiam pugnandi ullam facerẽt mentionem. Epiren-
ſis ubi inanem expectationem ſuam uidit, plenus curarum indignatio-
niscp reuertitur in caſtra, conſultaturus, quæ ratio obſidionis ſoluendæ,
& fugandi ex prouincia hoſtis eſſet ineunda, quum alioquin & imparẽ
ſe ad uim apertam, & hoſtem nihil temere agentem cerneret. Solicitare
ad arma ſocios, & regulos, nominis Epirotici, concitare, ac dare fortunæ
pignus totius ſummæ rerum nunquam ſatis tutum uiſum, quippe cum
licet certa apparuiſſet uictoria, non poſſet tamen tanta res ſine multo
ſuorum ſanguine comparari. Illud ex multis conſilijs melius eſt uiſum
receptumcp, ut ſolito tenore, bellum cum Barbaro gereret, ſineretcp
marceſcere hoſtem, donec tacitis exhauſtus incommodis ſeneſcentibus
indies uiribus ultro malecœptam prouinciam damno ſuo deponeret,
Exempla Sfetigradenſis conſtantiæ. ſe eouscp necp de ullius fide, necp de fortuna conqueri poſſe. Sfeti-
gradenſis conſtantiæ ea iam dilucere exempla, ut omnes conſtanti,
quietiſſimocp animo eſſe poſſint. Vrbem præterea rebus ſingulis, qui-
bus indigeant obſeſſi, non ad uſum ſolum, ſed abuſum communitam.
Itaque hoſtem uel nihil diutius moliturum in muros, uel maxima ſu-
orum perniciæ, urbem tentaturum, præſertim, quum operibus oc-
cupata oppugnationis multitudine caſtra ipſa inuadi paruo negocio

campestribus copijs possent, & affici undiq; ignominia Tyrannus. Hæc propalam hilari uultu, pulchraq; fiducia iactabat Scanderbegus. Varij tamen intus æstus curarum urgebant solicitum uiri pectus, interpretabatur consilia Amurathis, prout euentus postea ipse rerum non fallum æstimatorem ostendit. Silentium illud, & ocium senis non minus quàm arma ipsa timebat, utpote cuius longo usu nouerat ingenium, auro & largitionibus, munerumq; copia oppugnari posse urbem assidue cogitabat.

Auro peruia mœnia quæ genus ferri cõtempsissent.

Subinde mortalium pectorum cupiditas facile omnia timenti suadebat, & penetrabilia auro mœnia, ac corpora uirorum, quæ omne ferri genus contempsissent, non uanum suspitionis metum incutiebant, quum præcipue facillimum uideretur uoluenti singula, in tanta præsertim multitudine aliquem reperiri posse, qui nefaria ea libidine obcæcatus sordidas conditiones ad sceleratum animũ transmitteret. Neq; de Sfetigrado tantum ea solicitudo ducis erat, sed de cæteris quoq; urbibus, Croia præsertim, ne occulta alicuius perfidia, & secreta suorum consilia cum Ottomano aliquid struerent. Quare nihil moratus Tanusio tantũ, & Musachio socijs consilij acceptis, & triginta non amplius uiris sibi adiunctis militari ueste amictus ad disquirenda omnia, & digitum ad fontem (ut aiunt)

Proverb. Digitũ ad fontem intendere

intendendum ire perrexit. Ita hic Epirensis, inde Ottomanus uarijs ambo curis alter alterum timentes anxie torquebantur. Cæterum Ottomanus totos eos dies (ut ante dictum est) castris inclusus, uafris consultationum discursibus consumpsit. Nam ubi nihil uel arma, uel minas, uel diutinam obsidionem, & crebros armatorum insultus ad urbem potiundã satis esse cognouit, & perstare in pertinacia oppidanos uidit, alia sibi uia fortunam tentandam esse statuit, licet nõ deessent, qui instandum adhuc ferro, & urgendam solito apparatu urbem dicerent. Plures autem qui nihil ultra tentandum in ea rei difficultate affirmarent, Sed uel discurrendum totis signis ad deuastationem hostilis agri, & cæterarum rerum incendia, & insequendum hostem, qui tot elatus uictorijs, per omnis contemptum periculi cum ignobili uirorum agmine passim uagaretur. Vel relicto Sfetigrado, Croiam copias deducendas, ibi fortasse meliore fortuna rem gesturos, & obsideri posse in ea urbe Scanderbegum, sicq; unũ tantum hostem habituros. Facile enim credebant ducem curam eius loci nulli prætercq; suo ingenio fideiq; cõmissurum. Hæ sententiæ haud quaquam ad animum tyranni transmissæ, sed spretæ æquæ atq; abiectæ sunt. Nam prædandi agri ridicula ac penè puerilia consilia non immerito dicebat esse, quum nihil fermè usquam appareret, unde unius posset militis libido exaturari, ita ante eorum aduentũ procurauerat omnia Epirensis. Castrioti quoq; insequendi nihilominus stolidas cogitationes suorum ridebat, pernicios issimum inquiens saltus Epiroticos, & inaccessa ferarũ magis, cq; uirorum cubilia eo inani studio adire, quippe quũ nihil aliud eo cupiat hostis. Croiam præterea copias transmittendi nouas ambages & refugia fortunæ appellabat, scilicet, pugnatiores ibi eos futuros, et alios

Sfetigradi, alios Croiæ Deos esse. Subinde dictitans, scilicet in minoribus male expertam uirtutem, fortunamq; ipsorũ, ad tantæ rei onus inani quodam appetitu transmittendam, & intrantibus intima Epiri, ac umbilicum ipsum hostilis imperij ueluti exordium, à tergo Sfetigradum relinquendum. Ita his consilijs spretis, alijs adhuc non inuentis, omnia in incerto erant. Et abscedere Tyrannum hinc pudor & indignatio pluscquã credi potest non sinebant, inde tentare quicquã diutius satis cognita fortuna prohibebat. Stabat igitur dissimulato dolore Ottomanus, & ne ni-

Solicitat Ottomanus Dibranos ad deditionem urbis.

hil ageret perstructa paulatim occasione, ac captata colloquij copia benignis uerbis hostes pellicere aggreditur, apta irritamenta, ad ingeniorum leuitatem, & quod magis cæcam hominum libidinẽ inuitat, ingentia dona proponens, et ingentioribus etiam promissis sese ostentans, ad portas aperiendas, & præsidium in urbe accipiendum pellicere conabatur. Varias subinde à ciuibus responsa tulit, omnia tamen recidentia in idem, nõ esse cur ad mutandam cum muneribus fidem descenderent, Scanderbegicq; amicitiam cum alieno iugo permutarent, cuius neminem ad eam diem pœniteret. Consociata sibi omnia cum eo esse, & ad ultimum futura. Aluit tamen ea spes Barbarum per aliquot dies, quum tanta perfidiæ præmia proposuisset, quæ uel obstinatissimos labefactare animos possent, neq; eum sententia fefellit postremo. Exciuit nanq; sordida cupiditas hominẽ quendam perditum, qui pernicios is muneribus, & Barbari pollicitis muneribus corruptus presscius, cõmodis, ciuium patriæ, ac sociorũ salutẽ ne flocci quidẽ faceret. Obseruato itaq; tempore quo custodias falleret, habitis ex occulto sermonibus cũ quibusdã exploratoribus regijs, ignarã ciuitatẽ mercede pactus est. Sed non obtulit tam cito consiliũ fortuna nefario proposito uiri, & hæsitabat timidus scelere aliquid tentare, ne detecta fraude, prior ipse tanti mali periculum pernicie sua lueret. Nõ portas & serras moliri, non effringere claustra, egredi ad excipiendos hostes satis tutum uisum, quum omnia ciuium custodijs tenerentur, non sibi socios conscisscere, qui nocturno tumultu occisis optimatibus consternatam ciuitatem opprimerent, traderentq; Barbaro, quum alienissimos ab ea re omniũ animos cognosceret. Infixumq; uiris, aut defensa patria uictoriam reportare, aut expugnata speciosam mortem oppetere uelle, cerneret. Montana urbs erat, & in æditissimo uertice saxi sita, nulla neq;

Descriptio Dibrarum.

intus scaturientis aquæ, neq; propinqui fluminis commoditate utens, unicus erat intus puteus aquæ, uetusta populi cura, tum ad priuata hominum commoda, tum magis ad bellorum necessitates, si quæ incidissent, in medio urbis uico effossus constructusq;. Præsidium omne (ut diximus) ex Dibrensi milite constabat, subiecta ea gens Scanderbego, sed nõ usquequaq; Epirotici nominis, & linguæ erat. Duas nanq; Dibras regio habet illa, sicut natura, ita nominum etiam distinctione seiunctas. Et alteram quidem inferiorem, alteram uero superiorem Epiri accolæ uocant. Inferior plana ferè tota est frugiferis circundata campis, & rerum

omnium fertilibus. Albani, & Epirotæ incolunt locâ, fortiſſimi bello populi, quorum præcipue armis Caſtriotus & ſeruauit, & auxit imperium, & ardua quęq; ac difficillima expediuit, ita ut uelut Colophonem quendam ad oẽm bellorũ uim & hoſtium molem illos haberet. Egregios inde uiros uniuerſo promptiſſimo tempore habuit, qui non imperatoriis minus, q; militaribus rem Epiroticam iuuerunt. Superior Dibra montuoſa eſt, & aſpera, ferax tamen, & Macedoniam tum ipſa loci uicinitate, tum ſimilitudine morum contingens. Bulgari, ſiue Tribali habitant, ferox in armis gens, & non minus Scanderbego multis præclaræ uirtutis fideiq; meritis grata. Propior tamen externis, quàm Epiroticis moribus, & abhorrens in multis ab Albano cultu Græcanico ritu uictitabat, & plerasq; eorum ſuperſtitiones ſequebatur. Hinc occaſionem nepharij propoſiti ſceleſtus ille proditor ſumpſit, ratus ſi alicuius in puteo demerſi animalis cadauer conſpexiſſent Dibrenſes, ſubituros potius ultimam perniciem, uel fœdiſſimas pacis cõditiones admiſſuros, q; eam amplius aquam hauſturos. Neq; uanus eius rei æſtimator fuit: nam quũ noctu proiecto in puteum cane, contaminaſſet aquam, ea re poſtridie mane perſpecta, quũ rumor alius ex alio totam urbem cito peruaſiſſet, tumultus ingẽs undiq; exortus, ac prope ſeditionem res fuit, dum tanti autor ſceleris quæritur, nec inuenitur. Dolentibus uicem ſuã Dibrenſibus, proditos ſe, & uelut ignaua pecora ſiti omnes extinctos iri, uix enim ullus eſt inuẽtus, qui nõ magis id aquæ genus, q; hoſtile iugum formidaret, clamantibus alijs incendendam urbẽ, & per medios hoſtes erumpendo conſulendum fugæ ſibi, aut fortiter cadendum, leuiſſimum tamen malorum deditio uiſa. Sedatus itaq; paulatim dolor, & clamor ubiq; ceſſauit. Iam feroces uiris ſpiritus tam paruæ rei momentum abſtulerat, iam relegata fides ſuperſtitioſa pectora reliquerat, iam facilior barbaris aditus, & placidiores hoſtilibus alloquijs aures factæ, ſolicitiq; undiq; milites, quas nuper tam glorioſe ſpreuerant, ſordidas pacis conditiones ab Amurathe petituri ultro ire parabant. Ciuium minor numerus longe erat. Itaq; impares uiribus Dibrenſium nulla uel cædendi, uel expellendi præſidij conſilia inire poterant, quum præſertim uel ſi eieciſſent eos, non ſatis paucitatem ſuorũ ad murorum cuſtodiam eſſe uiderent. Fremebant tamen omnibus locis, nunc perfidiam illorum, nunc inanem ſuperſtitionẽ accuſantes, inceſſentesq; querelis Scanderbegum abſentem, quod patriæ & ſalutis ſuæ curã in eorum manibus tradidiſſet. Attonitus in eo tumultu Perlatus, & commenta proniorum ad perfidiam animorum, corruptionem aquæ cauſantium ratus, ac prodita omnia credens, prohibuit primo quicquam poſthac cum Turcis ſe inconſulto decerni. Deinde progreſſus in forum, coacta in hunc modum contionis multitudine:

Superſtitio Dibrenſiũ ob demerſum in puteo cadauer canis.

Oratio Perlati urbis præfecti, ad Dibrenſes ſuos, ne ſe Ottomano dant.

Ita ne, inquit, Dij boni, tam leui momento fides ueſtra fundata erat Dibrenſes, ut non minus animos nunc ueſtros, & illam tot bellis ſpectatam conſtantiam, quàm aquam ipſam corruperit? Quiſquis ille eſt tanti reus criminis

criminis Dijs pariter & hominibus inuiſus, uix poſſum (proh pudor) mei compos eſſe, animumq; meum componere, quum & pernicioſiſſimas has conſultationes ueſtras, tamq; ſubitam rerum omnium mutationem, & leuem, ac ridiculam quidem eam cauſam tantæ indignitatis aſpicio. Prodere patriam ſociorum ſatius ne uidetur, uxores, liberos, aras, focos, Deos ipſos in manus hoſtium transferre? Et uos tam inſignis perfidiæ reos in omnia ſecula offerre, quàm ſordidiori hoc, uel (ut uos appellatis) fœdiſſimo etiam potu contaminatos, & obnoxios præclaros ſpiritus tantam animorũ mundiciam, & fidei nitorem ſeruare? Nihil uideo cur pereatis milites, ni Dæmon aliquis conſilia ueſtra ſana peruerterit. Iam certis eó decurritur, ut dũ ſuperſtitioſiores ſumus q; par eſt, honeſtatis, pietatis, fidei ratione uniuerſam abijciamus, & malimus, ut perfidos nos q; minus ſuperſtitioſos homines appellent. Ridebunt mortales, mirabuntur poſteri, deteſtabuntur etiam hoſtes ipſi tam ſtolidam fidei mutandę cauſam, tam faciles ad ſtultam, futilemq; perfidiam animos, uel potius credent omnes (in quam ſententiam tamen & ipſe, ni aliam uos mentem indueritis, licet inuitus deſcendo) corruptos Barbaricis muneribus uos, & beneficijs præoccupatos, commentitiam hanc cauſam perfidię ueſtræ nunc uelle prętendere, qua certe obiecta cum culpa coram omnibus uacare contendatis, culpam profecto omnium iudicio, ſceleſtiſſimumq; facinus confeſſione ueſtra cõfirmabitis. Quæ enim eſt tam efficax ratio? quis perſuaſionis modus? qui tot ſimul honeſtiſſimarum rerũ, ac Scanderbegi officiorum memoriam abolere à pectoribus ueſtris potuerit? Quæ tam fœda animorũ imbecillitas, mentiumq; inconſtantia, ut adeò parua, contemnendaq; res totius utilis, & honeſti diſcrimen abſtulerit à uobis, ni aliud ſit tanti motus pretium, alio morbo infirmi ſenſus, & corrupta ingenia. Hæc ne Scanderbego præmia Dibrenſes? Hæc conſtantiæ documẽta? Hęc gratiſſimis hiſce ciuibus, & ſocijs ueſtris debita exoluitis? Piget ea apud fortes uiros referre. Nihil tutum uſq; erit, nihil ſanctum, nihil integrũ, ſi tam delicatum prætextu, & perfidum ſit genus humanũ, ſi tam leuibus de cauſis mortalium pendeat fides. Et quis tã ignauus eſt, tam perditus hoſtis, qui non ſemper aliquem inueniat modum nocendi, inſidietur, tentet, experiatur omnia, ſi tantũ uideat promiſſum fraudis fructum? Fruſtra mœnibus circundedere urbes patres noſtri, fruſtra aggeres & turres in iugis montium conſtructę, fruſtra & armatorum præſidia adinuenta, ſi mutabiles cum ſingularum rerum & temporum mutatione homines gerãt fidem? Si ratione hyemis & æſtatis uelut arbores alios induamus, & inuicem exuamus animos? Quid, ſi immodici calores & intemperies cœli corrupiſſet aquam, facturi eratis? Nempe iſtuc ipſum. O pernicioſum fidei genus. O deteſtabilem ingeniorum leuitatem, Sic agimus, ſic loquimur de urbis ſalute, libertate, uelut de re humillima orta ſit contentio. Pedibus trahi oportebat uos exangues, ſemineces, de loci huius poſſeſſione, non ſic uoluntarios, integroſq; tam præ

claræ

claræ dominio fortunę cedere. Nos ipſi (ſi Dijs placet) ultro inuitamus hoſtem, ſubdimus iugo collum, abrogamus libertatem, ius omne, fasq; polluimus, ne ſordidiori potu ſuperſtitioſa ora inficiamus. Sic ne Dariũ illum Perſarum ſuperbiſſimum & lautiſſimum regem, quum ſuperatus ab Alexandro noſtro fœda fuga memorandæ cladis ueſtigia recenſeret, oblatam à ſeruulo ſibi turbidiſſimam aquam, quam inter fugiendum circa equorum ungulas & cadauera occiſorũ collegerat, recuſaſſe audiſtis? Accepit inſolentiſſimus rex, & quum hauſiſſet, nunquam ſe bibiſſe libentius teſtatus. Præteriit ita iugum hoſtile, diſtulit fortunam, & regios ſeruauit ſpiritus. Qui? Caium Marium magni nominis Romanum Imperatorem in bellico ardore, & inter militaria opera, ac obſeſſarum urbium munia obeunda, Coctám ne ſemper habuiſſe refert antiquitas? Quid (ut Saguntinam pertinaciam omittam) Petilia ciuitas in Brutijs, Annibalis tempore memorabili, ac propè incredibili exemplo, nonne fidei ſuę conſtantiam poſteris teſtatam reliquit? Quæ non canum modo, quos tantopere uos execratis, ſed omnis generis quadrupedũ carne, ſutrinæq; corijs, radicibus, & corticibus, ſtructisq; cois ueſci non dubitauit, ut receptam ſemel Romanis fidem, & nuda ſeruaret mœnia. Temiſtoclem illum longe clariſſimum Athenienſium lętiferum poculum hauſiſſe ferũt, ut ingratiſſimam patriam interitu ſuo liberaret. Multa ſunt per omnia ſecula uetuſta & noua huius generis exempla, quę uos ipſos uobiſcum uerſare, q̃ me referente cognoſcere malo. Sed alienam fortaſſe patriam dicetis, non ueſtram. Vobis tradita, ueſtra eſt Dibrenſes, ueſtram potiſſimũ fidem ad id muneris elegit Scanderbegus: uos reſtituere principi commiſſam uobis urbem oportebat. Date quæſo modum tempusq; perditis conſilijs, nec uim, ac neceſſitatem appellate, quod peruerſum cõſilium appellandum ſit. Quid enim, ſi ſpretis conditionibus deditionis ueſtræ ad ſupplicium uos uocet Ottomanus? An recuſaturi exitialem potum ſitis? Hauſturi quidem omnes potius uos, quàm in uoſmetipſos ſeuituri. Nunc quia ſaluis uobis nihil prætereq; fides perit. Inſaniſtis eadem cogitatione omnes, adeò minimum malorum inuiolatę crimen fidei uidetur. Nequeo animo meo imperare Dibrenſes, nequeo lachrymis temperare, quum obuerſatur ante oculos nunc illa concionantis Principis noſtri ſpecies, obteſtationes illæ, preces q; diſcedentis, quas in hoc ipſo loco nuper, tanta ueſtrum corona fidem ſingulorũ appellans, credulus iactabat. Quum fremitus item ueſtros illos, & audaces ſingulorum tum publice, tum priuatim pollicitationes, ac fortia dicta recolo. Vbi nunc uoces illæ Dibrenſes? ubi feroces ſpiritus? ubi urbi huic deuota pectora? ubi tam audax uitæ contemptus? Eoſdem quidem uiros, eadem arma uideo, diuerſum tamen animorum habitũ, & cum deplorata iam urbe infœliciſſimum rerum omnium ſtatum. Adeſt, adeſt forte in oculis ueſtris ſolicitus Princeps, tam inſignis perfidiæ ſpectator. Quem putatis fore eius? quẽ cæterorũ animũ? Quos prouinciæ tumultus? Quam totius Epirotici nominis

Caius Marius

De hoc Titus Liuius, Val. Max. et Cicero in Philipicis.

Plutarchus in uita Themiſtoclis.

nominis fortunam? quum ea malorũ & calamitatis ſuæ initia fluxerint à uobis. Proponite ante oculos, dum integrum eſt, facti huius indignitatem, & ſeruate uos uobis. Retinete patriam ſociorum, retinete libertatem dignitatemq; ueſtram, quæ per ſummum ocium tenere poteſtis. Reſpicite mœſtos ciues, reſpicite meipſum, iamiam, ſi patimini, ad genua ueſtra prouolutum. En offerunt iugulum omnes. En trado & ipſe hoc pectus uobis Dibrenſes. Aperite ferro, haurite (nihil enim recuſo) ſanguinem hunc, ſi iuuat potus iſte, ſi fidem ipſi ueſtram, ſi urbem hanc aliter ſeruare non poteſtis. Sed heu quos nunc ſermones uobiſcum iacto Dibrenſes? Audire ſine lachrymis hæc apud uos loquentem poteſtis? Neq; moueo (ut mihi uideor) iam quempiam uanus adhortator, quos nuper, dũ cruentis ſanguine ueſtro mœnibus inſtaret hoſtis ad pericula, ſudores, & extrema quæq; audenda, uel nutu ſolo mouere potui. Expiraſſetis utinam tunc mecum omnes, potius quàm ad iſtas nunc conſultationes, ne dicam mala me uobiſcum fata ſeruaſſent. Poteratis tunc impranſi totum diem tranſigere in armis, & pari ſitis, ac caloris tolerantia perdurare pro muris iſtis, pro ſalute ſociorum, pro Caſtrioti, & Epirotici imperij dignitate Nunc quum omne fermè iter per ſummã laudem emenſi ſitis, & uertus hoſtem in caſtris obſederitis, q̃ ipſe obſederit uos, inani hac ſuperſtitione dehoneſtare & peſſundare omnia uultis? Intuemini, iterum repeto, intuemini ſordidatos ciues, audite iuſtiſſimas ſociorum querelas, & preces obſecrantium. Ne quos uobis tantis officijs, & ſparſo paſſim cruore deuiciſtis, nunc uel tanquam iumẽta tradatis hoſti, uel extorres patriam per ſummum dedecus ſtipem mendicare cogatis? Momentaneum hoc erit Dibrenſes, quod nunc uos abhorretis tantopere, Palatum tantum et labra ueſtra inficiet. Perpetuas uero calamitates, perpetuas ſordes, æterna mala, amiſſa ſemel miſeris ciuibus patria, obſtinatio iſthæc ueſtra eſt allatura, neq; ora ſolum, oculosq;, ac ſingulos ſenſus contaminabit, ſed uret continua laceratione animos, & memores nequicquam ſpiritus libertatis. Sed (ut nullus ſit horum reſpectus, nulla honeſtatis ratio, ueſtræ ſalutis, ueſtri capitis) non minus (ut opinor) cura eſt habenda. Ser uaturum creditis Tyrannum pacta uobis, cuius uos totiens omnes pacis conditiones inſolentiſſime recuſaſtis? & ſtudio tuendæ libertatis dictis factisq; ita hominis indignationem in uos acuiſtis, ut nihil expectat, nihil quærat dies noctesq;, quàm unde tamdiu conceptum uenenum in capita ueſtra, in hanc urbem euomat. Ibimus ſcilicet ſequentes fidem Amurathis, tranſibimus per totarmatorum ordines in hoſtium oculis integri, inuiolati? Quos tot publicis, priuatisq; calamitatibus affecimus, ut uel ſi prohibeat Amurathes, uel ſi ipſi nolint, manus tamen ipſe hoſtium impatientes odij, ulciſcendi cupiditate ſponte ſua ſint in ferrum dilapſuræ. Poterunt Barbari? Quis furor hic, quæ mentium inſania, truces hos aſpectus, & cruentas adhuc ſanguine ſuo dexteras intueri, neq; ſubrepet cuiquam tot cladium, tot malorũ recentium memoria?

A perfidia Tyranni.

Non

Non feruebunt iuſtiſſimo dolore pectora, quum fratrum, parentum, quum filiorum occiſorum umbræ ob oculos obuerſari uidebuntur? Victimæ omnes (mihi credite) erimus Dibrenſes. Et (utinã Dij omen auertant) dabimur pro cuiuſcp appetitu ad uaria genera ſuppliciorum, iugulabimur alter in alterius conſpectu, necp proderunt tum inanes que relæ uobis. Sera erit ſpreti huiuſce conſilij pœnitentia. Expirabimus tan quam ignaua pecora, & rei proditæ urbis, rebelles ſociorum, proditores ſanguinis noſtri, inter hoſtium tormenta infœlices efflabimus animas hominibus pariter & Dijs inuiſas. At quanto ſatius eſt nunc & cum ſo-

Perlatus præbibit Dibrenſibus.

cijs, & pro ſocijs uiuere. Nolite igitur per Deos immortales in uoſmet-ipſos crudeles eſſe. Agite dum, properate mecũ, en propino ipſe primus omnium uobis poculum aquę eius milites, nuncp ſuauius eſtis, nunquã dulcius potaturi. Quandoquidem libertas eo, & uita ueſtra, dignitas Albani imperij, opes, pœnates, focicp, & chara ſociorum patria ſeruatur.

Hæc dicens, ſequente fermè omni multitudine, progreſſus ad puteũ, ſpectãtibus omnibus, inde hauſtam bibit aquã. Idem fecit & maior pars ciuium. Porrecta eſt deinde quibuſdã optimatibus, & ducibus præſidij, ſed necp bene dicta, ſed necp facta mouere quicquam ſuperſtitioſa uirorum pectora. Vix auſim ſine rubore quodam uel credere ipſe, uel alijs affirmare leuiſſimam hanc, uel magis ridiculam tantæ rei cauſam, quum non dubitem riſum potius id poſteris, cp admirationẽ excitaturum. Ita ut ſi concedendum tamen ſit aliquid, negent tamẽ cauſam eam, ſed quandam uerius occaſionem fuiſſe exiſtimeut inclinatis ad perfidiam animis, & corruptis iampridem militum ingenijs. Ego quum omnia diligentiſſi me euoluerim, necp uſcp aliud quippiam à me ſit compertũ, nihil uereor tantæ credulitatis quoſpiam inſimulari. Quandoquidẽ nihil puto tam occultum in mortalium actis aut abſtruſum adeò quod latere tamdiu potuerit, præſertim quod nullus eorum (ut aiunt) qui ſuperſtitionem ſecuti ſunt illam, uel ad Amurathem transfugerit, uel conſequuto poſtea tempore ditior ſit deprehenſus, ut coniectari exinde fraus aliqua poſſet. Nec profecto mirum cuipiam eſſe uideatur, ſi Dibrenſes hac ſua leuiſſima ſuperſtitione adducti, in hanc delapſi dementiam, huiuſmodi errorẽ commiſerint, cum ij non tantummodo ſuperſtitioſi, uerumetiã hæretici ſint,

Superſtitio & hæreſis morbi cõnexi & affines.

fuerintcp ſemper (hæ nempe contagiones, ſiue morbi connexi ſunt inter ſe & affines) Sermo enim huius gentis Sclauonus eſt, cuius ſermo & lingua (ut nobiliſſimi ſcriptorum tradidere) latiſſima in uarias diuerſascp ſectas diffuſa & ſparſa eſt. Nam ex Sclauonibus alij Romanam ſequuntur Eccleſiam, ut Dalmatæ, Croatini, Carni ac Poloni. Alij Græcorum errores & ineptias, ut Tribali, qui & Bulgari dicuntur, Ruthenj, & multi ex Lituanis. Alij proprias hçreſes inuenere, ut Boëmi, Moraui, & Boſnenſes, quorum magna pars Manichæorum immitantur inſaniam. Inſtabat tamen præfectus nunc precibus, nunc donis promiſſiscp agens cum illis. Vbi uero obſtinatos eos & uanas omnes adhortationes ſuas uidit,

uidit, aſſumens & ipſe conuenientem tempori animum, coactis tam Dibrenſibus quibuſdam, quã primoribus urbis breui conſultatione (res nancp morã non patiebatur) leges deditionis ſibi ipſi ſtatuere, quas necp graues ſibi, necp ingratas hoſti cenſuere, ut præſidio rebus armiscp libera abeundi facultas daretur, ciuibus ſiue manendi in urbe in priſtino ſtatu, ſiue diſcedendi, prout quiſcp elegiſſet, poteſtas eſſet. De præſidio nihil mutatum eſt à Tyranno. Oppidanis tamẽ negata urbs ad habitandũ, cætera conceſſa, & deſignatę ſtationes in ſuburbijs. Quare datę mox claues Ottomano, & uacuum oppidum traditum. Ciues, quos patrię amor, & cura natalis ſoli tenuit, ędificatis extra muros tectis, in aſſignatis ſibi locis manſere. Multi impatientia hoſtilis iugi, relictis omnibus, confugere ad Scanderbegum. Proditor ille & corruptor aquę, apud hoſtes in oppido manſit, qui cognitus ab exploratoribus regijs, & in caſtra ductus ingenti lætitia ad Tyrannum, publice ab eo uerbis ſimul & ingentibus donis honoratus eſt maioribus adhuc, cp promiſſa ſibi in eius perfidię præmiũ fuerant. Data nancp quinquaginta Aſprorum millia, tres ueſtes inſignis artificij cp precij cp, aſſignatæ deinde tot uillæ, prædiacp, ut reditus duum millium aureorum nummum ſupperaret. Sed breuis admodum earum rerum perdito homini poſſeſſio fuit: nam quũ publico omnium ſpectaculo his muneribus ac laudibus ſimul honorifice habitus eſſet ab Amurathe, & multo fauore uerſaretur apud Barbaros, pauciſſimis poſtea diebus nuſquam uel uiſus, uel auditus. Rumor fuit ſublatum occulte digno ſupplicio à Tyranno, non ſatis fidente eo uiri ingenio, qui patriæ, ſociorum, & domeſtici ſanguinis prodendi, ſordida ductus cupiditate tam impia conſilia inijſſet. Præſidium Dibrenſe per medias hoſtium turmas, & tentoria Amurathis liberum inuiolatumcp exceſſit, licet magna contentione ageret apud patrem Mahumetes ferox adoleſcens, qui tum patera caſtra in Epirum belli & gloriæ cupiditate fertur ſecutus, ne inani ſtudio fidei ſeruandæ ita per ſummam ſuam ignominiam illæſi dimitterentur hoſtes, quũ alioquin nullũ haberent Turcę certius fidei documentũ, nullum antiquius eſſet legis Mahumetanę prœceptũ, cp omnibus modis ſequire in Chriſtianos, & omne in eos exercere ſupplicij genus, in eos præſertim, à quibus tot iacturæ fuiſſent, tot calamitates acceptę, cęſę legiones, cæſi duces, & deformatus magna ex parte exercitus. Plectendos Sfetigradenſes ad terrorẽ cęterorũ, & præſtandũ reliquis exemplum, ne in ciuſcemodi pertinacia diutius perſtarẽt: Non eſſe, inquiens, clari Imperatoris officium, ex hoſtium fortuna mutabilem animi habitum gerere, & precibus eorũ illachrymari: tranſigendos ferro omnes, aut habendos in uinculis, donec precium pro redimendis afferretur. Oſtendit ſatis ex ijs Mahumetes & adoleſcens, & priuatus, qualis eſſet ſenex, qualis olim Imperator futurus, feritatis & auariciæ ſuæ ſordes iam atrox declarauit ætas. Sed nihil potuere apud ſenile pectus impia filij conſilia, quin reprehendens eum, dixiſſe fertur: Nullam eſſe inter mortales maiorẽ neceſſitatem

Conditiones deditionis.

Proditori merces data à Tyranno.

De diſceſſu Chriſtiani præſidij ex oppido ad Caſtriotum.

Mahumetes putat Chriſtianis non ſeruandã fidem.

Mahumetis feritas et auaritia arguitur à patre Amurathe.

quàm fidei ſeruandæ, qua ſublata, neq; imperia poſſint, neq; aliud quip-
piam permanere, & in claro quoq; principe, qui magnarum rerũ impe-
ria ſpe animoq; cõplexus ſit, alteram omnino eſſe debere aut ueram, aut
ſimulatam ſaltem, ut hominum ingenia eo modo concilientur, allician-
turq;. Perfidiam & feritatem deſtruere regna, urbes, populos, ac ſibi po-
ſtremo ipſis nõ minus quàm aliis iniquas eſſe, deuinciendum beneficijs
ac liberalitate mortalium genus, qui fideles ſibi eos futuros cupit, crude-
litate, ac odio nihil profici apud ſubiectos. Quod ſi immiti regantur im-
perio, nunq; diu ſint inſolentis domini iugum laturi. Allici ea clementia
poſſe animos multorum, qui quum acciderit, tam lene iugum nõ ſint re-
cuſaturi. Quid præterea peccaſſe Sfetigradenſes ipſos, uel contra imperij
noſtri dignitatem deliquiſſe, ſi patriam, ſi liberos, uxores, & penates ſuos
tutati ſint? Si cõditiones tandem ſibi eas impoſuerint, tenuerintq;, quas
uictor ipſe approbaſſet. Dimiſſis Dibrenſibus, & reliquo hoſtium agmi
ne, Amurathes impoſito nouo præſidio in oppido M.cc. Ianizaris, curã
omnem tranſtulit ad reficienda mœnia, & ſtructuram murorũ, qua par-
te quaſſati tormentorum ictibus corruerant. Scanderbegus interim re-
uerſus iampridem à perluſtratione prouinciæ, & admonitus recentibus
nunciis de urbis euentu, & Dibrenſium perfidia, plenus irarũ in caſtris
mœſto ſilentio ſe continebat, quum non multo poſt Perlatus cum infa-
mi militum agmine apparuit, triſtis ipſe, ac ſqualore obſitus, triſtiores op
pidani, & manantibus patriæ deſiderio per ora lachrymis. Dibrenſes &
ipſi tanti erroris conſcientia demiſſo in terram uultu, cæterorum mœ-
ſtitiam imitabantur. Sed ubi propiores facti ſub ducis fuere conſpectũ,
& uim ingentem indignationis in truci facie uidere, abiectis humi armis,
& ſuis quiſq; cingulis circundati colla prouoluti ad genua eius, ueniam
tanti facinoris flebiliter orabant. Quid faceret mitiſſimus princeps? nõ
facile erat de tanta multitudine ſupplicium ſumere, non cauſam tanti ſcele
ris aliam, niſi ſuperſtitioſam gentis credulitatem uidebat, confeſſio erro-
ris ultro à præſentibus ingenti abiectione animorũ fiebat. Mouere itaq;
hæc Caſtriotum, & mitigata ira cõuerſus ad eos haud grauate omnibus
pepercit, & uitam ſe illis in præmium eorum, quæ pro mœnibus urbis
bene geſſiſſent, largiri dixit. Sfetigradenſibus pro dignitate & ueteri for
tuna cuiuſq; noua patrimonia data, multis illuſtres ordines in militia ad
ſolatium amiſſæ patriæ conceſſi. Dibrenſibus quoq; quæ petierunt, ni-
hil fermè negatum, pudore tamen recentis infamiæ pauci manſere in ca-
ſtris, aſpectum ſociorum declinantes. Perlati uirtus conſtantiaq; in rei
Sfetigradenſis adminiſtratione, tum longo ſermone Scanderbegi, tum
præſentium teſtimonio militum ſatis præmij tuliſſe potuit, quamuis nõ
iniuria fortaſſe reprehendi potius meruerit Perlatus, q; commendari, &
amiſſæ culpa urbis nõ in conſilium, ſed in laxiorẽ eius indulgentiam, uel
imprudentiam magis reijci poſſe contenderim. Quod tam facile in eo re
rum diſcrimine ad colloquia hoſtes, & ueluti in promiſcuam quandam
ciuium

Perfidia & feritas deſtruũt regna.

Scãderbeg triſtis in caſtris ſe continet.

Scãderbeg Dibrenſes et Sfetigradenſes in gratiam recipit.

ciuium ſuorum familiaritatem admiſerit, unde conſuetudine aſſidua &
facile allici ad perfidiam oppidanus poſſet. Caſtriotus tamen non ſolum
præclaro uerborum decore fidem, ac facta eius publice comprobauit, ſed
dictis etiam nihilo indigniora facta adiecit, onerando uirum, licet enixe
recuſantem pecunia, equis & reliquis quibuſq; uarij generis ornamẽtis.
Ita Perlatus multo cum honore & amplificatione nominis domum re-
miſſus. Erat ex Emathia uir iſte Antiſtes, quem illi Prothoſengeli, nos
Abbates uulgo dicimus, emendatiſſimæ uitæ, atq; ingenti morum mun
dicia, doctrinæ præterea excellentia, ac facundia linguæ, cũ grauitas ipſa
annorum, reliquas hominis uirtutes decorabant. Expeditis his Scander
begus ubi intentum muniendo oppido Tyrannum, & occupatos operi
bus Barbaros cognouit, acceptis quinq; equitum millibus, ad laceſſen-
das ac diſturbandas res hoſtium illico feſtinauit. Sed nulla inuenta occa
ſione benegerendæ rei, biduo ibi oberrans per ſaltus ac montium iuga
obſeruabat, ſi quos pabulatores, uel frumẽtarios regios intercipere poſ-
ſet. Neq; expers penitus prædę miles diſceſſit, nam (ut ſit in magno exer
citu) multi libere palantes equi, uiriq; capti. Amurathes perfectis ſatis
commode (ut pro ea breuitate temporis) mœnibus urbis, impoſitoq;
pro unius amplius anni neceſſitate frumento, ac reliquis rebus uelut ob-
ſidionem iamiam præſagiret animus, deducere ex Epiro exercitum, &
Adrianopolim repetere ſtatuit. Multa hic mendacia haud ſatis conſtans
fama interſerit, dum quiſq; archana Tyranni conſilia coniectando diſqui
rit. Hi Hungaricos, alij Græcos, nonnulli Perſicos tumultus cauſam
diſceſſus eius inquiũt fuiſſe. Multi accepta in Epiro damna, & uarias bel
li eius difficultates ammouiſſe, tum ex prouincia Ottomanum aſſirmãt,
ut ualidiori, & recentiori poſtea apparatu rediret ad Croiam oppugnan
dam, quum maioribus ea urbs uiribus indigere uideretur. Ipſe admitte-
re ſingulas ſententias poſſum. Quod habet unaquæq; ſimilitudinẽ quan
dam ueri. Hanc tamen probabiliorem crediderim, utpote quam euen-
tus ipſe rerum ſatis efficax teſtis approbauit. Vel illud fortaſſe non teme-
re quis dixerit, quod non urgentibus fatis præſtitutum ſeni tempus adue
nerat. Neq; (ut licenter ſcribunt Poëtæ) omnia adhuc ſtamina impleue
rant ſorores. Pridie itaq; kalendas Sextiles collectis uaſis impedimenta
omnia cum equitatus parte præmiſit. Ipſe poſtero die, incenſis prius per
noctem caſtris, ſub ortu ſolis cum reliquo exercitu ingenti omnium læti
tia, clamoreq;, ac crepitu inſtrumentorum ædito, eſt ſubſecutus. In me-
dio turbarum robore Tyranno locus ſemper eſſe conſueuit, ſicut etiam
tunc fuit, ubi albo uectus equo, ac Ianizarorũ cinctus armis, nihil tumul-
tus periculiũe incurrere uſquam poterat. A fronte nanq; præfectus Aſię,
à tergo nouæ Romæ ordinibus ſumma ratione cõſtitutis, tutam eius ſta
tionem præſtabant. Triginta hominum millibus amiſſis, eoq; pauciore
numero q; cũ uenit, diſceſſiſſe ex Epiro Amurathem oẽs ferè cõueniunt.
Reliqua quoq; exercitus ornamenta, ac ſigna militaria, magna ex parte

Prothoſengeli hoc eſt abbates.

Amurathes parat reditum in Adrianopolim.

Amurathes redit poſt occupatũ Sfetigradum.

amissa & fœdata. Sed auxit eas iacturas Barbaris, ac renouauit priorũ cladium formam recenti ignominia Scanderbegus. Nam ubi reductus in castra discessum hostium audiuit, totis signis roboreq; suorũ octo equitum, tria peditum millia erant, uestigia uelut fugientium est insequutus, carpens postremum semper agmen, ac exhauriẽs incessabili cæde quosq; cessantes, aut aliqua casus contingentia relictos. Hostis sæpe conuersis signis, ac obnixo cultu propulsaturus impetum insequentis stetit. Tum ille nunc simulata fuga resistere cupientes frustrabatur, nunc per proximas ualles, uicinosq; colles subductus, & post subito apparẽs, nũc à fronte, nunc à lateribus instabat, modo illorum terga præmens, magnis illos incommodis afficiebat. Ita res per eam ludificationem diutius protracta ut per sex amplius millia passuum infestis signis molestior semper instaret. Tyrannus non ulterius eam ignominiam clademq; suorum perpessus, Bassam Romaniæ cum xxx. armatorum millibus retro conuertere signa iubet ad quietem, & liberam abitionem reliquorum ac hostem uel pugna incessere si persistat, uel ad fugam compellere mandat. Castriotus ea re animaduersa, retracto aliquantulum suorum agmine, ne medius interduos hostium acies interciperetur, tantę multitudini cessit, reductisq; in ualles quasdam, & montium anfractus copijs, ubi tutus castris locus, & idoneus ad quantumcunq; hostium sustinendam multitudinem esse apparuit. Stetit aliquantisper ita instructus, uelut iamiam descensurus in aciem, & collatis signis cum præfecto regis dimicaturus, feciſſetq; id forsitan (quę erat uiri audacia) Sed tum fessus tam longis procursationibus miles, tum impar hostium numero. Ea suorum paucitas coëgit tam temeraria consilia abijcere ferocem ducem. Vnde quasi excusans se conuersus ad milites, inquit, id quod prouerbij loco semper fertur usurpasse: Malo infamem dici hunc locum Scanderbegi fuga, q̃ cruce. Consueuit nanq; à nostris Crucis signo notari locus, ubi Christianus aliquis præsertim clari uir nominis concidisset. Quippe quũ ait: Aboleri illa aliqua recenti laude possit, Hãc ad id, quod irreuocabilis, & funesta sit, infamia quoq; & uulgi latratu, & obloquutione non carituram, quum nihil ex consilio, sed ex euentu solo omnia metiantur homines. Barbarus ubi tenentem se intra stationes Epirensem, & nihil mouentem uidit, conuersis paulatim signis, & ipse non inuitus, relicto hoste, præeuntia agmina sociorũ assequi cõtendit. Idem fecit Castriotus suasu militũ obsecrantium, ne eam pestẽ abeuntẽ ex prouincia peruicatiori incessatione in uisceribus Epiri cõtineret. Quare eodẽ tẽporis tenore Croiam hic, Adrianopolim ille per Macedoniam, Triballorumq; montes iter faciens redijt. Mœsti ambo propter res maxime uariante fortuna gestas. Mœstior tamẽ longe tyrannus quod neq; hostem, ad quem potissimum delendum uenerat, sustulisset, neq; pusillę fortuna urbis se caute ad tot mala & clades cõpensandas idonea uideretur. Mœstitiam tñ nostrorum spes ea multũ leuabat, quod ubi abijsset hostis recuperari à se oppidũ posse certa iam fiducia cõceperant.

Scanderbegus uestigia fugentium insequitur.

Bassa Romaniæ cũ 30. millibus armatorum.

Prouerb. Cruce signatus locus ubi Christianus uir occidit.

Marini

MARINI BARLETII SCODRENSIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, Liber Sextus.

PACATO PROVINCIALIVM STATV EX HOstilium copiarum discessu, ac solicitudine singulorũ soluta, reseratæ urbes, arcesq; undiq;, præsidia dimissa, ac homines ad pristina quisq; ministeria traducti. Legiones suas Scanderbegus ita demum militię onere per id modicum tempus respirandi causa exoluit, ut inde ad duos mẽses omnes ad Sfetigradensem obsidionem, & extorquenda é manibus hostium sociorum urbem aduolarent. Retenta tamen ex eis copijs duo equitum millia, mille peditum, qui more ad Macedoniæ fines transmissi, eo in tractu incolentium fortunas à præcursionibus hostium tutarentur. Dum sic tẽporaria quiete, ocioq; recentes belli labores pensaret Castriotus, & Croiæ ad insuetum sibi munus ciuilia negocia in iure dicundo animum transmisisset, purpurati eius & principes uicini consanguineiq; egreferentes, quod sine prole ulla liberisq; tam clarus uir omnes ætatis annos transigeret (Quadragenarius namq; tum, & maior forte erat) conflictantes ad illum quod sępius etiam antea fecerant de uxore ducenda, liberisq; legitime procreandis, cogitationem in animum eius inducere uelut cõtentione quadam conabantur. Frustra dicentes imperij terminos, frustra rem Epiroticam cousq; ampliatam ab ipso, ni quibus tantũ decus magnitudinemq; nominis, ac gloriam rerũ gestarum per omnes ætates cõparasset, de futuro quoq; principe procuraret, nisi forte uellet mortalem, & secum periturã rem Albanã fore, & cũ unius corpore hominis totius corpus imperij extingui. Audiret tacita suorũ uota, audiret sollicitas populorum querelas. Nam quod ad alios principes, & extraneos successores attineret, nescire eam gentem alterius iugum pati, aspernari quosq; dominos, nisi quẽ ex sanguine ipse suo eius uirtutis effigiem, atq; hęredem dedisset. Mansurã eousq; fortunam, mansuros deos secum, dum in ea stirpe Epiroticum resideat imperium. Quod si caput ex ea gente non adsit cupidissimis subitorum animis, mox expiraturam cum eo Epirotarũ rempublicam, ruitura in pręceps omnia, & uelut dissectũ ouile ad pristinas calamitates & sordes Epirotarum nomen rediturum. Scanderbegus qui abalienatissimo ab ea re animo alio iampridẽ ingentes cogitatus direxerat, & immemor, uelut cęterorum summa quęq; spe, atq; cogitatione conplexus supra hominem erexerat caput, fertur primum pluribus uerbis multa auctoritate audientiumq; silentio consilia suorum improbasse, laudassęq; nõ uanis rationibus cęlibatũ in summis uiris. Quippe quũ nihil diceret tam grauc libero ingenio, q̃ uxoris dominium, non corpori, non animo ius suum esse, ubi ea molestia penates sit ingressa, imperij amplificationem, & rerum gerendarum

Scanderbegus admoneur de uxore ducẽda

Cœlibatus in summis uiris laudatur.

Vxoris dominium graue libero ingenio.

N iij

rendarum magnam partem fortunã diminuturam. Deinde, ne tanta publica simul & priuata suorum uota spernere uideretur, annuisse nil se recusaturum, quod ex utilitate omnium, & rei Epiroticæ dignitate censeãt fore, subiturum qualecũcp iugum ipsi uoluerint, probauerintcp, moram se tamen & ueniã eius solummodo temporis petere, dum Sfetigradi possessionem è manibus hostium extorsisset, exoluissetcp ea cura animũ, pudori nunc maxime sibi fore, si relictis sub hostili iugo socijs, consanguineiscp, ipse nuptiarum solennia celebraret, uel lætum quippiam pertracta ret. Satis concessum sibi credentes homines, nihil ultra quæsierunt, sed ingentibus gratijs actis, uelut magnum quippiam tulissent, iam inde pro uinciam omnem eo gaudio replerunt. Interea nuncij quotidie à præsidio quod ad hostium fines locauerat Epirensis, aduolabant, nũc deuastatos agros Barbarorum, nunc fugatas eorum custodias afferentes. Sfetigradenses quoq; præsidio multa damna per eosdem dies illata procursationibus assiduis equitis nostri, qui occultantes se inter saltus uicinos urbi, si qui pabulatũ, uel alterius rei causa longius processissent, omnes illico opprimebant. Quare lacessiti sæpius Barbari erumpẽtes ex oppido, pleraq; ignobilia certamina fecere. Nostri nanq; timentes iniquitatem loci, congredi sub mœnibus ipsis non satis audebant, sed simulata fuga protrahere aperto campo hostem conabantur. Crescente oppidanis audacia, die quadam studio insequendi radices montis iactu fermè iaculi trecenti prętergressi, conserta furore magis, quàm consilio cum nostris manu. xliij. occisi, xiiij. uiui capti sunt, reliqui fuga se subduxerũt. Nemoq; excessisset integer, aut intrasset mœnia, ni à stationibus relictis socij ad propulsandã eam cladem præsto fuissent. Potuit in eo tumultu animorumq; consternatione, & rerum omnium confusione, facile urbs ipsa capi, si magis, uel feruoris nostris, uel uirium fuisset. Compulsis intra mœnia barbaris, tantus posthac timor incessit, ut pedem amplius extra nõ efferrent. Ita uelut obsessi ab ignobili agmine nostrorum stabant. Hæc omnia gesta à parte eius præsidij, de quo nunc dictum est, inconsulto tamen & ignaro Scanderbego, quum nihil eorum præcepisset, & ad tutandos tantum ab insultationibus hostium suos id præsidij ibi teneret. Sed hac re postea nuncia ta, ita id eorum consilium & opera placuit prudentissimo alioqui duci, ut nihil uel contemptam tacite imperij eius maiestatem, uel disciplinam militarem à suis neglectam doleret, quinimmo præbuit ea res festinationem quandam negotio, & impulit acrius hominem ad oppugnationem urbis, quum eo pauore clausos per summam fœditatem regios audiret. Proinde nihil moratus, priusquam edictum de cogendo uetere milite, & nouo conquirendo proposuisset, trecentos equites, & quingentos pedites, qui tum ad manus sibi (ut aiunt) erant, Sfetigradum ad iuuandos socios ausus, & multa cũ ijs dona priuatim publicecp suis misit, approbans summo pere, quæ couscp gessissent, pergerent, & in ijs quę caute agi possent, non sinerent respirare oppidanos, donec ipse maioribus copijs, totocp

Sfetigradenses præsidio damna inferuntur.

totocp apparatu opprimere posset obsessos, tum ad copias legendas conuersus, paucis diebus duodeuiginti hominum millia collegit, uij. equitum, peditum reliqua, omnibus iam satis comparatis, ac præmissis impedimentis. Ipse secutus x. kalend. Octobres sub mœnibus urbis copias exposuit, stationem sibi, atcp equiti tantum longe ab hostibus fixit, quantũ sclopis superne impeti nõ posset, ijs nanq; potissimum utebantur regij, & peritissimos quoscp eius artis locauerat ibi Tyrannus. Pedites nõ procul à muris consedere, & ne obnoxij telis oppidanorum forent, trabium magna ui conuecta, tabularumcp uelut tegetes ad omnẽ iniuriam excludendam construxere. Epirotæ sagittarij fermè omnes erant. Cæteri Italici, ac Germanici generis sclopis ac scorpionibus instructi. Non deerãt Illyrici, licet gladio quàm arcu aptiores, qui eius delectus fama, & prædę cupiditate pellecti, multi uoluntarij se adiunxerant, sine ulla stipẽdij mercede. Confluebant ea tempestate in Epirum ex omnibus gentibus indies milites ad stipendia Scanderbegi sumenda, quum solus ex Christianis ducibus nullo satis tempore quiesceret, & semper occupatus bello esset, perpetuus Turcarum hostis. Quare tum quotidianæ prædę dulcedine, tum locorum amœnitate detenti multi (ut uidi ipse, dum res nostra loco staret) perpetua sibi domicilia ibi statuere. Alij plures ditissimi captiua gaza, ac pleni fortunarum, domos suas sunt reuersi. Gallorum quoq; quinquaginta amplius aderant in eo exercitu. His minores quædam machinæ (quum ad id præcipuam operam spopondissent) regendæ sunt traditæ, quibus uerius defensoribus quàm munimentis ipsis noceretur. Aliud maius tormenti genus ad ruinam murorum aduectum non inuenio. Commodior nanq; per scalas oppugnatio urbis apparebat. His hoc modo constitutis, unum præcipuum omnium restabat, quod ad totius exercitus quietem, & continuandam tutius obsidionem attinebat. Vt occluderentur scilicet aditus omnes hosti, ne subsidij quicquam sperare possent obsessi, & loca singula opplerentur armatis, qua maxime ad soluendam obsidionem transituros dubitabatur regios. Accitum itacp uetus præsidium illud, & nouum etiam supplementum octingentorum militum. Eiscp milleni equites additi ex copijs præsentibus, tum bipartitum hoc agmen, pars cum Georgio Stresio, pars cum Tanusio diuersis locis ad custodiam cæterorum, & excludendum subsidium oppidanis missi. Breui hæc tempore omnia procurata, perfectacp fuere, tum traduci ad munia quencp sua, & ministeria oppugnationis, ac ueros ordiri furores tum Barbaris duci opportunum uisum est. Septem nanq; integris diebus, ex quo illuc accesserant nostri circa castra munienda, & conficiundas militariter stationes, quum ibi se crederent hyberna acturos, occupati, nulla satis re, uel uerbo molesti fuere hosti. Concursu itacp facto ad ducem poscebat ex omni parte pugnam miles. Ille nihil ferro prius quàm si qua alia posset uia intentandum ratus, distulit eouscp desideria suorum, donec oppidanorum perscrutaretur

Duodeuiginti hominum millia collecti, ut Sfetigradum obsideretur.

In Epiro ex omnibus gentibus miles cõducitur à Scãderbego.

Sfetigradum oppugnatur.

animos, quousq; ea pertinacia in tutandis mœnibus essent usuri. Missis igitur per duos ex militibus ijsdem deditionis conditionibus, quas populus Sfetigradensis prius ab Ottomano acceperat, Barbari postea quã intrepide spretis eius postulatis sanguine emptam urbem, sanguine uendendam, nõ uerbis dixerunt, armatorum itaq; corpora, & caput ipse suum pro eius redimendæ pretio offerret, sciturum profecto, an uelut Dibrensium nuper, fides sua ex aquę puteo illo penderet. Quum nihil nouum uel inexpectatum audisset, quippe qui illos ita esse responsuros iam pręuidisset, conuersus ad ferrum, & cupitum iampridem militi opus, nõ iam suasoris, sed ueri hostis animũ induit. Manęq; prima luce deductis sub muris copijs, primo procursu uicos illos, & suburbia, quæ assignata fuerant, Sfetigradensibus impetit, disijcit, incendit. Inhabitantium plures primo aspectu nostrorum, ad ueteres socios & consanguineos confugere. Alij passim palantes sub mœnibus à superimposito prędidio ex muris tutabãtur. Aedificia quoq;, quę proximiora fuere oppido, illæsa manserc, nisi quæ inuenta simul incendium ex alijs ad alia traiectum eodem tenore absumpsit. Hic nõ ulterius sæuitum, quin pauci ex Barbaris ibi, sed omnes fermè ueteres ciues, & Epirotę collocati essent, qui & si iam (ut apparebat) hostium induissent animos, segniores tamen nostros faciebat pietas, ex pristino, nõ ex præsenti animorum habitu homines metientes. Moses interea, quum occupatos in tutandis ab ea parte suburbijs, & extinguendo igne oppidanos uidisset, trium amplius millium lectissimorũ militum agmen ad portam maiorem traduxerat. Intentusq; operi uineis contectos ad claustra perfringenda impellebat armatos. Regij, qui satis multi pro ea loci exiguitate in custodijs erant, & adesse ubiq; commode poterant, ocius hinc inde accurrentes, simul alij superne ingenti uitelorũ auertere ab eo opere hostem. Alij intus cõgestis lapidibus, & maioribus trabibus oppositis firmauere portas, ita cum paucorum iactura ea transacta est res. Nostri nanq; quum scalas tum casu non attulissent, nihil diutius tentarunt in muros, missilibus tantum utrinq; & sagittis exaturata odia, ac certamen finitum, dato à Scanderbego receptui signo, licet Moses iam accensus paulatim furore illo dimicandi ad scalas et reliqua instrumenta oppugnationis cõuehenda hortaretur socios, reuocati tamẽ sunt omnes subito interuentu ducis, & quasi inuiti reducti in castra. Sic accensis inuitatisq; eo dia utrorumq; animis pusillo pugnæ congressu, nulla uel spe, uel timore direpta pugna. Quod eius diei superfuit Epirensis uaria consultatione distraxit, quæ potior esset oppugnandi ratio, & tutior uia eligenda, enixe disquirens. Fortissimus ac inaccessus fermè urbis situs, ualidissimum præterea Tyranni prędium satis certam periculi speciem, si temere, & furore quodam ducerentur in muros milites ostendebat. Efficaci quoq; nuper exemplo Amurathes similis fortunæ subeundæ consilia nostrorum tardabat. Illud per eos dies optimũ factu uisum, ut leuibus prælijs maximo ingenio fraudeq; alliceretur ad pugnam opdidanus

Pietas segniores facit animos hosti incẽdo.

Consilium lacessendi oppidanos.

pidanus, assuesieretq; spe bene gerendæ rei paulatim egredi muros. Ita uel minui tacite robur inclusorum sine multa suorum pernicie, uel protractis paulatim simulatione fugæ à custodia portarũ Barbaris, deducto postea magna impressione ex improuiso milite in eo tumultu facile capi urbem posse cum fugientibus, & consternatis simul intrantibus nostris. Per eam noctem igitur summo studio ordinata omnia, & Mosi trecentorum iuuenum cohors ad hostem lacessendum data. Zacharias Groppa cum quingentis militibus ab una parte in insidijs destinatus, Scanderbegus ab alia pari numero armatorum, qui omnes noctis occasione usi q̃ maximo fieri potuit silentio subrepentes per montem inter anfractus illos, & dumis obsitos saltus iacuere, ignaris hostium excubijs. Nam ignibus alijs extinctis, alijs absconditis & occultatis ab auersa parte castrorũ fuerãt egressi, electo insidijs loco, unde minime timebat hostis. Tempus quoq; ipsum iuuit aliquantisper latere cupientes, quando per totam noctem grauidus (ut aiunt) imbre aër crassiori nebularum caligine obducta tellure, & tonitruis assiduis oculos simul auresq; hominum perstrin gentibus fallere non difficulter custodes poterant. Dibrensis & ipse non expectata certa luce cum socijs latronis more circunspectans omnia, tacitęq; approximans muris, ac in oculis ipsis oberrans sui copiam oppidanis facere. Non idem omnibus animus consiliumq; in urbe fuit, sed contentione cõclamantium à pluribus progrediendũ in subiectos esse, neq; per summam ignominiam præterlabi eam occasionẽ patiendum. Nonnullis è contra quiescendum uideri potius, neq; temere quicq; agẽdum. Variatumq; in ea re est, prout maiores quibusdam sunt ferociæ stimuli, & inani credulitate ductis, ac superficiem tantum, non rerum medullam introspicientibus, salubria quoq; cõsilia sordent, & omnis eo ipso erepta in perpetuũ è manibus fortuna uideatur, si breuis morulæ temperamento gerendorum ratio condiatur. Eorum tamen (ut apparuit) sententia prævaluit, qui quiescendum esse decernebant. Nullus enim eorũ exitus, nulla eruptio, sed telis tantum superne petiti nostri, portas egrediendi facultas nulli concessa. Nostri nunc conglobati, nunc dispersi, intento & ipsi arcu insuper stantes, hac illac procursabant, ut diutiori incessatione irritarent ad eruptionem uiros. Vbi nihil satis efficax ad id negocij uidit Moses, & magis iam periculi sibi, q̃ spei dilucere, duobus nãq; militibus amissis, septẽ sagittis fixos uix semineces subtraxerat, dato signo, relictis muris pari indignatione ignominiaq; paulatim ex hostium oculis se proripuit. Nihil deinde moratus Scanderbegus, ipse cũ socijs pudore quodam in apertum prodiens mœstissimus est secutus. Ita ij nocturnis pluuijs omnes plene obruti, ille etiam gementi milite in castra reductus, ridiculum spectaculum, & lætam eam diem præbuere hosti. Sed non pertulit diutius hanc ignominiam Castriotus propenso ad ueram oppugnationem, & apertam fortunam animo. Postridie curatis corporibus, ordinibusq; distinctis, ac suis cuiq; ministerijs assignatis, quarta diei hora decem

Zacharias Groppa.

Salubria consilia sæpe sordent.

decem armatorum millia ſub muris primo impetu deduxit. Cæteri partim ad caſtrorum cuſtodia relicti, partim ſi latitudine & uulneribus grauati ſocij intermittere oppugnationem cogerẽtur, ut recentibus uiribus præſto eſſe poſſent, ne interpellaretur dimicatio cum hoſte. Moſes cum expedita iuuenum manu ſcalis primus aggreſſus incruentus aliquandiu euadere tentabat, non uana ſpe urbis potiundæ. Nam Scanderbegus ſubter cum magna ui ſagittariorum, & ſcorpionarijs Italicis auertendo à tutela murorum regios, liberiorem aditum ſcandentibus faciebat, ita ut multi iam ſcalis ſuperatis mœnibus tantum fortiter apprehenſis hærerent, & pari cupiditate de urbis poſſeſſione decertarent cũ regijs. Tormenta quæ diximus ab alia parte ad munimentorum molitionem diſpoſita, neq; ipſa ſinebant quieſcere oppidanos, licet enim non magna ruina eos ictus ſequeretur, abradebãtur tamẽ aſſidue muri, & in oculis pugnantium decreſcebant, rareſcebant paulatim, & cuſtodiæ ipſæ, cum eodem tenore ictuum, & murorum perſtringerentur, & armatorũ corpora contererentur. Sed ſæuior ab ea parte Mars, & acrior profecto pugna, qua Zacharias cum totius fermè robore exercitus, & neſcijs cedere, ac ruentibus in ferrũ Germanis ſecuribus, & ferreis uectibus nouiter refecta mœnia demoliebantur. Hi ſcutis ſociorum, & iunctis cratibus tecti fodiebãt fundamenta. Hi lapides demolitos expurgantes in cuniculi ſpeciem reducebant locum, Barbari ſuperne non uſq; adeo prohibere poterant, ut obſtinate non continuaretur opus. Nam licet plericq; ex noſtris miſſilibus de propugnaculis obruerentur, nullo periculi reſpectu, nullaq; formidine, ſemper alij in demortuorum locũ ſuccedebant, & reliquæ turmę ſagittis, ſclopiſq; intentis aucupabantur undiq; oculis cuſtodias hoſtiũ, ita ut ſine diſcrimine obuerſari in muris nequirent. Diſtrahebant itaq; certamen regij, quum opera noſtrorum perinde riderent. Nam ea erat muri latitudo confecta à tyranno, congeſti præterea intus ab oppidanis lapidum, ac terræ aggeres, ut tutus ſatis ex ſe locus eſſet, ſine ullo armatorum auxilio. Zacharias aliquandiu in incepto perſtitit, ſicubi penetrare muros poſſet, ſed ubi fruſtra exhauriri uires ſuorum, & longi temporis opus eſſe cognouit, ad ſcalas nullo prorſus conſilio conuerſus agere & exhortari cœpit in mœnia milites. Barbari nouum hoſtis propoſitũ intuenti proſpectabãt, et adhibita ad idipſum fraude euadere plures ad ſumma mœnia patiebantur. Tum effuſa uelut grandine telorũ ui, ſaxorumq; mole facili impulſu eos cum ſcalis ipſis ad ima montis deturbabant. Breuiſſimo nanq; ibi æqui loci ſpatio cincta mœnia erant. Mox reliquum montis procliuitas ingens amplectabatur. Idem fermè reliquorum fuit euentus ab alia parte, qua aggreſſus ſcalarum applicatione cũ ſocijs Moſes non ſemel Epirotica ſigna cruentis mœnibus fixerat. Nam uerſi eo aſpectu in rabiem oppidani, accitoq; recenti præſidio ſuorum, quod in ſubſidijs ſtabat præter omnem periculi mortisq; reſpectum, diſiectis ſcalis, ac noſtris partim occiſis, partim diſſipatis breui temporis momento

Germani neſcij cedere.

ſuperiores

ſuperiores effecti ſunt, ita ut afflicti potius, & penè capti, ſic Chriſtiano uictoriam extorſerint, ut repente mutata omnis fortuna, mutati Dij manifeſte uiderentur. Scanderbegus acri dolore perculſus ex ea cæde ſuorum, uulnere præſertim Moſis, quem uix telis hoſtium ſubtractũ curandum in tentoria miſit, retrocedens aliquantulum à muris, & duorũ hinc inde militum parmis tectus, alios ſecum ad ſagitandum in hoſtes furẽter inuitat, alios recentes arreptis ſcalis renouare timorem oppidanis iubet, hortatur. Mirabile dictu ferunt, quot hoſtium ea die ſolus transfixerit Scanderbegus. Ita nullus fermè iactus manum eius fefellit. Scalę nõ diffi culter mœnibus admotæ, ſed rarus iam miles ſubire eam ſortem periculi audebat. Alius ad alium reſpiciebat, neq; (licet ingenti promiſſione munerum allicerentur à duce) funeſta quenquam præmia mouebant. Ita ſeneſcentem paulatim utrinq; pugnam nox ignauis ęque, ac fortibus opta ta diremit. Tacita per eam noctem caſtra noſtrorum fuere, utpote quos & heſterna ignominia, & præſens accepta clades ad ſilentium inuitaret. Amiſſa nanq; ducenta promptiſſimorum militum capita, quingenti amplius uulnerati, ſed & horum xxx. paucis poſt diebus ex eis uulneribus periere. Oppidani (licet & illis plures ſubtracti ea pugna forẽt, ac ingens ſauciorum numerus gemeret undiq;, tamẽ uelut uictores expulſo hoſte, ac urbe ſeruata, multis iocis clamoribusq; eam noctem tranſegere, ac creberis ignibus ſuperata noctis caligine, per propugnacula diſcurrentes, hilarem noctem duxere. Ottomanus interea Sfetigradi obſidione audita ægreferens, quod quando uix à laboribus reſpiraſſet, & diſſoluiſſet exercitum, præſertim quod in ipſo ingreſſu hyemis alieniſſimum bello gerendo tempus inſtabat, denuo ad noua arma cogeretur, neceſſitate tamẽ quadam, & pudore uictus, ne per eam ignominiam opprimi urbes ſuas ab hoſte pateretur, increbreſcentibus indies magis magisq; nunciijs de Scanderbegi pertinacia, propoſito nouo edicto, redintegrare priorem apparatum ſtatuit, & miſſis per ſingula loca purpuratis, adiuuare rem feſtinatione, ſi quo poterat intentius procurauit, uulgata prius fama de ſuo ipſius reditu in Epirum. Ex compoſito forſan, ut uim maiorem adderet negocio, & noſtros eo timore perculſos, facilius ab urbe oppugnanda auerteret. Vix enim ſimile uero crediderim Tyrannum ultima præſertim confectũ ſenectute brumali intemperie eam prouinciam fuiſſe ſubitu rum, præcipue quum nec; tanti res momenti eſſet, ut uel ſi quid durius accideret læſura immodice dignitatem imperij uideretur, uel ſatis cõmode per alios non poſſent expediri. Caſtriotus nihil ex illa cæde ſuorum, & iniquitate fortunæ mutatus animo, omnem operam, ſtudium omne, ingeniumq; in aſſidua uexatione oppidi conſumebat. Nunc noctu, nũc interdiu, deducens ſub muris agmina ſuorum, & ignibus per ſublime inter hoſtes rotatis conſternare aliquo tumultu urbem conabatur. Nunc raro milite miſſo legere corpora occiſorum, & trahere in caſtra adhibita fraude iubebat, ſi quo pacto inuitare ad eruptionem oppidanos poſſet.

Victoria Chriſtianis ex manibus extorta.

His inani

His inaniter omnibus tentatis, neq; uel modice rei fructu ullo tam uarias artes & astus ducis secuto, finem imponere obsidioni, unice prius pugnę tentata fortuna decreuit, quoquo modo res caderet, præsertim quod pręteritæ oppugnationis euentum, tum uulnus ipsum Mosis, tum noctis interuentus uelut excusare uidebatur, & melioris spem fortunę solicitis animis, ac singula ex proprio desiderio interpretantibus suggerere. Postridie igitur eius diei orto iam sole sub præconis uoce per uniuersa castra præter ipsam urbis direptionem ingentia prœmia uictoribus publice, priuatiḿq; proposuit, augens uerbis rem q̄ maxime poterat, dolenśq; insuper Epirotici nominis ignominiam, quod tot preclari duces, militesq; tantis spectati prælijs ab ignobili seruorū manu senescere tādiu sub fœde amissis mœnibus fœdius cogeretur. Quousq; tandem id dedecoris passuros, ut in sua prouincia inter tot proprias urbes, oppida, populosq; id pręsidiū tyranni nudis tantū mœnibus clausum, & reliqua spe omni destitutū in oculis diutius habeant? Quid nō turpitet commissuros in alienis locis, & longinquis regionibus, quare cū hostem pręforibus in alienis locis, & longinquis regionibus, quare eū hostem pręforibus stantem, & in uisceribus ipsis hærentē tollere nequeant? his dictis, & suo examini exacerbatis, partitis dehinc copijs, ac sexcentis circiter militibus ad castrorū custodiā relictis, urbem ab omni parte, qua accessibilis mons fuit, corona cinxit. Primum telis utrinq; lacessiti animi, ac inuitati ad sanguinē, deinde ubi satis eo modo utrinq; uelitatū est, & excāduit ira, promptissimus quisq; arreptis scalis propius agredi hostē parat. Semel atq; iterum nequicquā tentata re ab oppidanis sunt reiecti, neq; admoueri potuere scalę muris. Sed uictus denicq; pertinatia nostrorum barbarus quū uidelicet famelici leones non retium, nō fraudis alicuius humanę memores, ad ouile diripiendum in ferrum telaq; ruerent, paulatim & tanto furori cessit, & deficientibus uiribus, telisq; ad propugnandū, retractus aliquātulum intra munimēta satis opportunus iniuriq; muros reliquit. Epirēses (quid nō timor insidiarū potest?) qui pauloante ad cruentissimū Martē mortemq; ipsam præ oculis oberrantem tanto feruore, rabieq;, ac nullo respectu periculi tendebāt, ubi frigescere sensim hostiū ictus, & mœnia paulisper deseri conspexere, fraudē uerentes, & ex cōposito latitare grādi aliqua molitione insidiarū credētes, segnius ad oīa discurrunt, & undiq; soliciti circūspectantes, iamiam obrui certo pauore exspectabant. Ita Barbaris respirandi copia, & quę in rem erant, procurādi satis temporis fuit. Accurrentesq; ex omni parte socij, multa uitelorum conuecta, restituere eis simul cum animis fortunam sunt uisi. Multi in eo concursu hincinde cecidere, plures tamen ex nostris, & longe plures etiam cecidissent, ni propere Zacharias ab alia oppidi parte nō procul admotis scalis, interrupta ea uictoria, hostium plurimos auocasset. Castriotus cum agmine suorū modo propius ipse terrebat oppidanos, modo opera militum & munia cuiusq; obeundo agebat, nunc prece, nunc increpatione in muros. Homines sagittariorū turmę, quę in coronæ modum circum mœnia locatæ fuerant

Castriotus rursus tentat Sfetigradum oppugnare, sed non succedit.

Timor insidiarū quid non potest

Barbari iuuātur à socijs.

fuerant, nunquam assignatum semel locum relinquebant, sed errantes in muris custodias certis iactibus uulnerabant, inualescente semper prælio, & increscente Marte. Oppidani ubi rarescere suorum multitudinem uel numerum, & pertinaciam nostrorum plusquam hominum conspexere, timentes eius diei fortunam, & protrahere rem cupientes, excogitata mox fraude, sublatis ex munimentis signis Tyranni, clamare à mœnibus sunt auditi, tantillum cessationem ab armis petentes, donec alloqui Scanderbegum licuisset. Nihil negatum à nostris, iussu ducis, sed extemplo omni belli furore inhibito dicendi copia facta Barbaris. Tum senior quidam ex eis, gratias agens primum Imperatori, militibuśq;, quod tam liberaliter hostibus in deponendis ex uoluntate eorum armis essent obsecuti, illud tunc se tantum ex sociorum consensu eius diei cessationem exposcere dixit á pugna, ut ad quam iam sine uariatione omnium inclinauerant animi, de deditionis formula sententiam cōsultandi id saltē sibi temporis esset. Ituros postea crastina luce ad eum in castra nuncios cum conditionibus quibusdā, quas sibi ipsi imposuissent, si ratas esset habiturus maximam se rem, neq; tñ inexpectatam, à tanta clementia laturos. Quod si ingratæ illi forent non recusare quicquid ipse statuisset, neq; iudicio se eius subtrahere, sperareq; omnia cū ipso ex utrorumq; commodo acturos. Haud ita facilis ijs postulatis hostium primo Epirensis fuit, sed (ut ipso postea patuit experimento) fraudulenter per eiusce modi ludificationes, differre eius diei fortunam illos ratus ad aliquid, quod ex re sua esset procurandum, uel expectandum auxilium à Tyranno. Exponere tunc quæ uellent, ocyus iussit, aut eodem tenore belli se iure esse acturum. Impertinentia esse, inquiens, tam longa consilia præsenti necessitati. Victus tamen longis hostium blandicijs, tum adhortationibus suorū, haud grauate cessit, præsertim, quod nullam satis certam spem potiundæ per uim urbis eripi ea dilatione é manibus sibi uidebat. Retroacta igitur undiq; signa, & instrumenta oppugnationis, ac reducte in castra copię, totumq; id diei cum nocte sequenti profundo silentio transactum. Postridie mane quatuor ex Barbaris notę fraudis uiri ad id muneris electi, missi ad tentoria cum exquisitissimis donis concesserunt. Conditiones eius generis proponi iussæ, quas uictus quisq;, nedum uictor spreuisset, & compositio omnia fieri, ut ita protraheretur tempus, dū his abiectis, alię deinceps, aliæq; insinuarentur, & res in longum deduceretur. Hæc autem fuere petita, uidelicet, ut prioribus ciuibus receptis in urbe, iura ciuitatis, ædificia agricq; æquo iure inter se & illos diuiderētur. Atq; ita data simul & retenta urbe, auspicia eius exploso penitus Ottomano nomine secuturos, in fidęq; perpetua mansuros fore. Præterea præfecti nomine x. millia asprorum petita, risu solo respōsum à nostris, & ad arma subito ingenti undiq; indignatione conclamatum, atq; ita per summam contumeliam cum fallacibus donis fallax legatio dimissa. Non cessauere ideo Barbari, quin eosdem extemplo supplices mitterent, uoluntatem ducis scisciturus, & ad eius

Sfetigradenses petunt induciās.

Necessitas nō fert consilia longiora.

Conditiōes pacis fucatæ per Barbaros propositæ.

ad eius arbitrium omnia relaturos. Tanta commutatio animorum, & hostilis fidei suspecta liberalitas, quanquam illius animum ad nihil temere credendum propensiorem facerent, non contemnenda tamen omnino illorum dicta uisa sunt Castrioto. Proinde conuersus ad homines, de pristinis conditionibus, quas antea integris rebus eorum, illæsoq; exercitu suo proposuisset obsessis, nihil se immutare dixit. Minime graues sibi uideri debere, quas Sfetigradensibus ipsi tam æquas censuissent, satis hoc illis concessum existimare, quod si approbent, placere, ut sine ulteriori clade urbs restituatur. Sin eiusmodi ambagibus tempus protrahere uellent, & in pertinacia persistere, expectarent quamprimum omnem belli sæuitiam, illud fixum, destinatumq; singulis esse, ut obsidioni finem res nulla præterquam mors omnium sit imposiura. Dum eunt, ac redeunt, simulant, dissimulantq; Barbari, triduum in eis consultationibus est consumptum, cepitq; tandem dilucere quod erat. Quare hinc detectæ oppidanorum fraudes, & cognita satis mendacia, inde aduolantes iam de motu hostium, & Amurathis aduentu nũcij creduli eouscp ducis animum ingenti molestia replerunt. Deserere oppugnationem, recens contumelia, continuare nouus pauor iniectus à tergo, & maiorum omnium rerum momenta non sinebant. Commoratus est tamen paucis diebus, donec certiora indicia apparatus nunciati eluceſcerent. Sed uelut prohibentibus fatis tanta aquarum uis è cœlo delapsa, per totos eos dies, ut nõ solum progrediendi ad mœnia, sed ne pedem quidem mouendi è castris facultas militi sit cõcessa. Cessantibus pluuijs, Epirensis decreto die subsequenti oppugnationi urbis, expedire omnia, & apparare maximo consilio iubet, ipsecp per eam noctem insomnis, nunc publice quædam & priuatim peragendo munia, nunc uerbis nihilo segnioribus homines animando discurrebat identidem clamitans, uel tota Epiro cedendum hosti, uel nisi capta urbe, in castra non redeundum, deformatum uideri imperium, minus tuta omnia, si hostis ibi diutius alatur. Et (ut minima esset eius dedecoris, periculiq; ratio) quouscp tandem recentes contumelias, & derisiones hostium passuros? Ita paulatim per eas consultationes, procurationesq;, consumpta nocte, dies instabat. Priusquam igitur certa patuisset lux, tractis undique copijs, Albanus sub mœnibus conuolauit, difficilius irrepsit miles, & infirmiora ubiq; uestigia uirorum, propter humefactam tot imbribus tellurem, instrumenta, scalæq; dentibus (ut aiunt) tractæ. Sed irritati iampridem uiri, pleni irarum, ac furoris, neque difficultatem, neque laborem sentire poterant. Oppidani haud tale quippiam timentes, rariores primum circa munimenta, & negligentiores ad omnia inuenti. Cæterum summo studio omnibus statim comparatis, & crebri accurrentes custodijs auctis ad propellendum hostem satis uirium habuere. Minor inde nostrorum ferocia uisa, & inspectum propius ferrum, uultuscp hostium agere consilio quędam, non omnia animo & furore suadebant.

Deserere oppugnationem.

Continuare oppugnationẽ

Castriotus in oppugnando Sfetigrado omnino seruus.

A cõtumelijs & derisione hostium hortatur.

Consilio res agendæ, non animo & furore.

Circum-

Circunspectantes itacp soliciti superstantium ictus altera manu habere, non inania famæ mendacia secutum, ita rumor alius ex alio sumptis uiribus uix dum ceptum hostilem apparatũ oculis fermè ipsis hominũ subiecerat, & Tyrannum adhuc Adrianopoli morantem apud credulos tanto timore animos transuexerat quasi in Epirum. Inuictissimo animo hæc duci audita, parere tamen necessitati coactus, confusis omnibus, interruptisq; receptui cecinit. Tertia instabat diei hora, quum pransis militibus tollere tentoria, & uasa colligere iussit, ualla, cęteraq; munimenta castrorũ disiecta, atq; igne immisso succensa. Non abstinuissent uulgi odia ab arboribus, cæterisq; fructiferis in campis deuastandis, ni Scanderbegus insanam sęuitiam cohibuisset, inquiens, non defuturum forsan olim tempus, quum melioribus Dijs recuperari urbs posset, & ad pristinum statum redigi res. Itacp nullo quasi hostili signo relicto, silenti maxime agmine profectus recto itinere Croiam petijt. Fama est, Castriotum quingentos amplius milites sub Sfetigrado amisisse, & hæc propior uero mihi sententia uidetur. Nam non desunt, qui uix lx. hominum iactura abscessisse ab ea obsidione asserant, quod abest multum à ratione, ni magis penetrabilia hostium, quàm nostrorum corpora dixerimus (ut deliraut Poëtæ) quum priori oppugnatione nuper tot Turcarum millia cæsa omnes fateantur. Septimo kalend. Nouembres is dies erat, quum obsidione omissa Croiam reuectus exercitus est. Ibi non momento fermè temporis quieti dato, duces, ordinesq; (ut operæpretium erat) & poscere nunciatæ res uidebantur, partiti, Croiacp inutili omni ætate, sexuq; expurgata, duo paulominus hominum millia præsidio eius imposita Epirotæ, Itali, Germani, Illyrij, Gallicp permixtim. Concordibus tamen supra quàm dici possit, iuncti animis, ut euentus postea ipse, & ingens seruatæ urbis triumphus ostendit. Vranaconti (ut consueuerat) summa rerum omnium in ciuitate, atcp imperij ius miro omnium consensu datum. Vix alter ex uniuerso exercitu, uel ad id muneris aptior, uel animis militum acceptior eligi poterat. Ita quum maximi inter pericula consilij erat, tum parere, atcp imperare iuxta paratus, laudemcp potius conferre in medium solitus, quàm ex communi ad se trahere. Generis præterea nobilitas ipsa, tum res per omnem ætatem gestæ, ac grauitas oris, annorumcp, magis honorabilem uulgo faciebant. Qui si quid laboris, uigiliarumcp impendi posset, certantem se amissurum promisit, ut tanto totius exercitus consensu opinionem de se conceptam constantem efficiat. Stelusio, Petræalbæ, atcp cæteris locis opportunis, alia deinceps præsidia, ducescp missi, & undicp ingens oppidanorum multitudo ad frumentandum, & annonam conuehendam destinata. Sed quia propter assidua belli incommoda, & occupationes armorum neglecta uelut eo anno cultura agrorum fuerat à Scanderbeganis, uix trium mensium alimenta collĝi inde potuere. Aduectum tamen occulte ferunt à colonis, & mercatoribus Venetis, nam ictum fœdus per eos an-

Laus Vranaconis.

A fauore militum.

A dexteritate consiliorum.

A nobilitate generis.

A præclare gestis.

O ij nos à pa

nos à patribus cum Ottomano fuerat. Ego uero adiutum semper pecunia Scanderbegum ipsa uoluntate Senatus comperio. Et ipsum fermè quoadiuixit, Venetis auspicijs militasse, gloriamq; bellorum, & triumphos omnes ad eam Rempublicam retulisse. Neq; immerito me equidem, quando & ciuitate ab eis donatum, & imperij fascibus in ea prouincia decoratum, satis recentibus monumentis constet, ut quarto enarrauimus libro. Quamobrem hoc loco, in quam prius ipse admirationem incidi, plurimos fore dubito casuros, unde hæc Venetis pax cum Ottomano Scanderbego excluso, quum socialia prius sibi fœdera, & tot amicitiæ iura cum eo forent. Sed quis tam prudentissimorum principum consilia non auserit intrepide coniectare? Nihil cupide, nihil perperam ab eis fieri potuit. Simulabant, dissimulabantq; necessitati parentes, & quum reliqui nominis Christiani, tum Græciæ præcipue seruandæ studio, quam ita in se ipsam ruere cernebant, ut sustentari iam nulla ui humana, nullis armis posset, id effecisse uidentur. Vnū illud (quod ad rem attinet) affirmare ipse audacter singulis possum, Castriotum nunq; uel de fide Veneta conquestum, uel imperij eorum pœnituisse. Comportato hincinde frumento, Croiæ horrea omnia, ac publica armaria completa facta computatione, ut integri anni alimenta satis commode parata essent militi, tormenta iuxta, ac omnis generis tela aucta, ampliataq;, custodiarum maior pars scloppis, scorponibusq; instructa. Machinarum cura à Gallis non translata, his semper tam pacis, q; belli tempore quinq; aurei menstrua stipendia singulis à Scanderbego statuta. Croiensium rebus firmatis, reliquum quod superfuerat commeatum exportari per cætera oppida, & partiri iussit. Ipse priusquam ad noui militis conquisitionem, quem de more secum ad lacessenda interdum hostium castra haberet, se conuertisset, cum Mose, & paucis equitibus, ad copias iampridem prouinciæ præsidio relictas ire perrexit, causa inuisendi cuncta, & decernendi spectatores ad rimanda consilia Ottomani, & examussim singula disquirenda. Non frigus, non glacies, non operta niue tellus solertissimi Ducis ardorem tardabat: non magnitudo expensorum terrebat, non itinerum labores, dum lætior semper munia obiret, subiretq; omnia, modo hanc, modo illam urbem inuisens, modo pastorali amictus sagulo sub mœnibus Sfetigradi peragrans, & ueteris stratagematis non immemor locato in insidijs milite, obseruans, si ui extorquere, aut dolo surripere Ottomano urbem (ut olim fecerat) posset. Quare uix respirare unquam oppidani poterant, sed uelut obsessi, pedem extra mœnia non mouentes, de assuetis diurnis, nocturnisq; custodijs nihil intermittebat. Interim reuersi exploratores supersessum in delectu habendo, nunciarunt, dilatamq; iram armorum à Tyranno, ac bellum Epiroticum omne in uernum tempus reiectum. Vt primum enim audiuit Amurathes Sfetigradi obsidionem solutam, non inuitus per eos dies tanto nuper ardore ceptum apparatū, paulisper remisit, edicto mutato, ac publica

Venetorū pecunia adiutus Scanderbegus

Auserit, à uerbo audeo.

iussione

iussione nouo interposito decreto, ut Idibus Martijs omnes ordines, duces q; ad id designati Adrianopolim conuenirent. Occultare profectionem suam in Epirum, & Croiæ obsidionem subticere maiorem in modum cupiebat. Sed adeò ueris indicijs patebat res, ut singuli eo bello Scanderbegum sibi hostem certissimis animis destinassent. Respirauere aliquantulum, & cogitationes nostrorum, Tyranni proposito audito, præsidiumq; ibi mox dimidiatum, ac uix duo hominum millia relicta ad regionis limites, qui constructis militariter stationibus, hyemalem intemperiem ut poterant excludere, cæteri domos remissi. Scanderbegus Croiam cum Mose, & quibusdam suorū reuersus, aliquot dies ibi mansit, donec munimenta quędam urbi augeri, & firmari muros Tyrannam uersus, longa peresos uetustate procurasset. Tum impatientissimus (ut semper erat) ocij, nunc ad regulos uicinos, & principes consanguineos, nunc ad præsides Venetorum gregali habitu cum decem ad summū equitibus conuolans, imminentis molem belli admonendo simul, & animando homines singulorum animis inculcabat. Sed maiorem fermè partem eius hyemis sub pellibus cū præsidio illo in Macedoniæ uestibulis transegit. Sfetigradenses uix pro portis errantes uisi, solicitos nanq; supra quàm dici possit, faciebat, & augebat timorem uiris ipsa hostilium castrorum propinquitas. Quum pauloplus cxx. stadijs nostrorum statiua inde abessent. Exactis ita hyemis incommodis, inquietiora longe omnia, & publicos simul ac priuatos labores, malaq; exoriens uer adiexit, non nox, non dies ullus sine nuncijs, literisq; Castrioto præterijt. Hinc transfugæ indies confluentes, inde non obliti ueteris necessitudinis, Barbari quidam non obscuris indicijs consilia Tyranni insinuantes duci, & solertiam eius in omnibus agendis magis acuebant, & cæteris pro cuiusq; ingenio tum pauorem, tum ardorem excitabant. Sed quia urbibus iampridem affatim prouisum, neq; reuocatum quicquam fuerat, modica restabat cæterorum cura, solum ut species aliqua exercitus conficeretur ad urgendos, quum res ferret, nunc montanis, nunc campestribus locis hostes, & disturbandam, ut toties fœliciter Sfetigradensi obsidione fuerat tentatum, Croiensem olim oppugnationem. Moses tunc tantum ex primoribus, Tanusius, & Stresius aderant Scanderbego, nam cæteri allijs necessitatibus addicti, diuisiq; per oppida fuerant. Hos celeriter hincinde ad militum conquisitionem dimisit, sed quia exhausta uelut robore uirorum prouincia erat, & omnis fermè flos iuuentutis per ciuitates, & allia loca transmissus, plurimi dies in eo apparatu abiere. Hinc ferunt Scanderbegum (ut maioribus ubique præsidijs firmaret prouinciam) plures eo bello subditos Venetorum, & exproxima Dalmatia aliquos stipendijs suis conductos habuisse. Noui & ipse multos ciues meos, qui uarijs temporibus illius auspicijs meruerunt, & uel eo solo nomine ingentia famæ decora ad posteros tulere. Ottomanus interea congregata ad præstitutum tempus

Amurathes audita solutione obsidionis Sfetigradi, & Scanderbegi discessu, aduētum suū in Epirum differt.

Scanderbegi consiliarij Moses, Tanusius, & Stresius.

Enumerathis copiæ coguntur ad obsidionẽ Croiæ.

maiori parte copiarum (nam & multa adhuc millia deerant ad conficiun dam ueteris exercitus formam) prout quoſcꝫ uel longinquitas locorũ, uel uiarum incommoda tardauerant, dum integer apparatus ec mpleretur, in cæteris, quę ad rem tantam neceſſaria uidebantur, procurandis, id temporis impendit in cõmeatu præſertim conuehendo, licet maior pars militum priuatim multorum dierum cibaria ferre iuſſi, quum ſatis crederetur hoſtem ad id, quod nihil triticeæ meſſis in campis eſſet relicturus, pabulum quocꝫ ac herbam ipſam attriturũ, corrupturumcꝫ. Quampri mum eorum aduentũ cognouiſſet, inſtrumenta ad oppugnationem pe nè infinita uarij generis præparata, inter hæc multa ruſtica ferramẽta, uectiumcꝫ ferreorum ingens numerus, ſimul & laminæ quædam ferreæ in curuæ ad cuniculos (ut poſtea patuit) excauandos. Nam inſidiari eo rationis modo ſatis commode poſſe inexpugnabili alioquin urbi, perſuaſum fuerat Tyranno. Machinæ quocꝫ minores, quæ uehi iumẽtis potuere, multæ comparatæ, ad tormenta maiora conflanda rude æs ſumptum. Omnibus ſatis comparatis, & copijs iam certo numero perfectis, clx. pugnatorum millia fuiſſe omnes conueniunt, præter inſtitores, operarios, ac omnis generis artifices, fabroſcꝫ, qui tum publico regis ſtipẽdio, tum priuatim lucri cupiditate ea caſtra ſecuti dicuntur, quum longiorẽ Croię obſidionem fore, & moram in Epiro omnes crederent futuram protenſiorem. Nam quoniam de urbis munimentis inexpugnabilicꝫ illius ſitu uulgo plura iactabant, ſtatuerat Amurathes, niſi capta ea, Adriano polim non reuerſurum. Nonæ Apriles erant, quum paratis cunctis ad

Anteſignani Præcurſores.

profectionem, Anteſignani, præcurſores non minus uſitato, ſed non ſic Latino uocabulo dicimus, cum Sebalia Zeureneſio perito militiæ uiro, in Macedoniam miſſi, qua tempeſtate Caſtriotus confecto ex animi ſententia milite, ac cuſtodijs per ſaltus omnes atcꝫ iuga montium diſpoſitis, reuocato inſuper præſidio à finibus hoſtium, ſimulcꝫ unitis ordinibus, octona autem ſolummodo hominum millia fuiſſe comperio, duo peditum, reliqua equitũ, nunc hac, nũc illac procurans, pariter & perluſtrans omnia oberrabat. Maiorem armatorum numerũ ea obſidione Caſtriotum nõ habuiſſe ſinguli atteſtantur, uel propter penuriam militis (ut nuper dictum eſt) quum diſpenſari tot locis præſidia opportuerit, uel forte (ut mea fert opinio) ludificandi paulatim hoſtis melior ratio uiſa, ac ſeruandarum uirium ad alias neceſſitates, & uarios euentus fortunæ, quum in uiſceribus ipſis, & umbilico prouinciæ gereretur bellum, contentiocꝫ de totius imperij, & omni rerum ſumma agi uideretur. Triduo tamẽ an tequam irrupiſſent in prouinciam Barbari, Epirenſis perequitans agros & campos omnes, quicquid ſati alicubi fuit, immiſſo partim milite con-

Tumeniſtus mons quatuor millibus paſſuum à Croia.

triuit, partim ferro igni cꝫ corrupit. Deinde crebris nuncijs de propinquitate hoſtis admonitus cum omnibus copijs campeſtribus locis relictis, in montem, Tumeniſto nomen eſt, quatuor millibus paſſuum procul à Croia, ſe recepit, capturus ex temporis & rerum ratione conſilium.

Equitatus

Equitatus itacꝫ Tyranni nullo inuento obſtaculo ingreſſus prouinciam in agrum Croienſem, nullo negotio integer illatus eſt, ibicꝫ ſingulis circum urbem diligenter inſpectis, qua tutius caſtrametari poſſet, & cõmodior eſſet futura oppugnatio murorum, in Tyrannam ipſe copijs expoſitis tentoria fixit. Planicies eſt ſatis ampla, aſpectucꝫ pulcherrima, ad meſſem tamen, cꝫ ad reliquam frugem aptior, interiacens inter ipſam urbem Croiæ, & oppidum Parthinorum. Cæterum, hoc in loco plura ſanè me admonere uidentur, ut aliquid de eius oppidi primordijs, ueterecꝫ fortuna in medium afferam. Illud uerò præcipue, quod & ſcriptorum monumentis celebratum, non ignotum, nec latitat poſteritatem. Ante enim ciuilia Cęſaris & Pompei bella fuiſſe ſatis honeſto numero in prouincia id oppidum, licet animaduertere, & ruina adhuc ipſa, ac ſingularum rerum ueſtigia, priſci ſtatus decorem, ac ueterem nobilitatem loci non obſcure repreſentare ualent. Expugnatum nanqꝫ, & dirutũ à Cæſare ferunt, quũ Pompeium atcꝫ Senatum Romanum in urbe Dyrrhachina obſediſſet. Iacuit autem ſemper in ea ruina, necꝫ reſtituti ulla deinde ætate aliqua dilucerent indicia, niſi quę priuata incolentium ſtudia ad uarias neceſſitates ſuccedentibus animis renouarunt. Nomen aliud loco necꝫ inditũ, necꝫ uſurpatum comperio, æque nec ullum certum conditorem affert in medium uetuſtas. Sed non temere ad eoſdem & condendi originẽ tranſtulerimus, id quod tum nomẽ ipſum ſuadet, tum atteſtantur antiqui, dum non inter ignobiles populos Epiri, Parthinorum gentem cernimus annumerari. Prędam nunc incolę mutato uocabulo appellant, tam intus relinquię ipſę murorum, cꝫ extra ſuburbia, & loci omnes in numero habitatorum tenentur, ita amœnitate præcipua, & rerum omnium commodis gaudet locus. Bellicoſiſſima ea gens hodie inter cęteros Epirotici generis populos computatur. Tamen tunc propter famam hoſtilis aduentus ætas omnis cum ſuppellectili in tutiora oppida translata, nudacꝫ fermè tellus relicta, Locato cõmode milite Sebalias, ac omnibus maximo conſilio ad quantamcuncꝫ uim hoſtis contemnendam ordinatis, obſeruabat tantum oppidanos intercluſo aditu portarum, ne quid præſidij, comme atuſue afferretur in urbem, in cæteris uix aliquod ſignum hoſtium apparebat. Hoc autem idcirco (ut arbitror) quoniam necꝫ laceſſendi ad pugnam incluſos, uel admouendi mœnibus agmina ſuorũ illi ſanum conſilium uiſum, quum præter haſtas, gladioſcꝫ nullum reliquum armorum genus aptum ad oppugnationẽ ſecum attuliſſent, necꝫ deuaſtandi agri, & procurſandi prouinciam edoctum ſatis aliorum tum ueteribus, tum nouis caſibus ulla animum libido inceſſit. Quum & Tyrannus præſertim eadem ipſa proficiſcenti iuſſiſſet, prohibuiſſetcꝫ, ne ſumma urgeret neceſſitas ullam uſquã copiam dimicandi dari hoſti, haud abſimilis quidem ratio noſtrorum quocꝫ animos auertit à pugna, & differre omnia auſpicia belli in aduentum ipſum regis coëgit. Nam quũ Scanderbegus cum parte militum ad exploranda conſilia Barbari, & contemplanda ſta-

Parthinorum gens inter nobiles populos Epiri habetur

O iiij tiua per-

tiua perrexisset, ut si alicunde daretur, impetum in ea faceret, uidens tum copiarum magnitudinem (quadraginta nanq; millia ut anno priore uenerant) tum miram ducis prudentiam in castris situandis, reliquisq; agendis re nulla penitus tentata, quum etiam aduentum ipsum Tyranni formidaret à tergo, quo maximo potuit silentio, in stationes se recepit suas, moraturus ibi, donec Amurathes ipse omnem explicuisset apparatum, & consedisset sub muris, tum dispersa late tentoria, & inordinatam (ut fit) multitudinem cõmodius impeti posse, & quotidiana irruptione hostes lacesciri, præsertim quum oppugnatione urbis incepta totius fermè robur exercitus diuersis ministeriis occupatum magis opportuna iniuriæ propria munimenta reliquisset. Inter eas deliberationes, & salubria nostrorum consilia aduentare iam indies regiæ copiæ ceperunt, & oppleri circunquaq; armatis omnia. Tyrannus cum nobilissimis quibusq; & robore uirorum præmissas copias in exitu ipso Aprilis est consecutus. Inter præcursorum & Ottomani aduentum xx. paulominus dies intercessere. Sed non debet id quempiam mouere, nam tum propter uaria exercitus onera, & impedimenta militaria, tum ob ipsam principis iam senescentis commoditatem, uix quina milia singulis diebus fuere confecta. Expositis ordinibus Barbari, ac in coronæ modum circundata urbe, locum omnem, camposq; muris subiacentes tentoriis operuerunt. Multi quinquaginta stadiis amplius procul à mœnibus consedere, dum tanta multitudo locari aliter non posset. Potuit id spectaculum fortissimi cuiusq; uel Imperatoris, uel militis animum mouere, & non irrationabilis me equidem formido proprij periculi, contemplatione oblata patriæ, penatum Deorum, fidei, & honesti totius rationem à cuiusuis pectore extenuare potuisset. Erecto tamen supra hominem spiritu, oppidanus nihil tam formidolosa spectaculi pompa de ueteri cogitatione mutatus, uel maiorem etiam inde pertinaciæ fideiq; constantiam ad conceptum iampridem decus, & libertatem tuendam suscepit, metiens gloriæ suæ magnitudinem, & futuri speciem triumphi ex ipsa periculi uastitate compensans. Quare ingenti lætitia, & contentione quadam effusi per mœnia milites alter alterius in peragendis omnibus, & apparandis ad pugnam non ita sedulam operam carpebant, per noctemq; ignibus accensis, clamoribus, cantuq; uario contemptum hostis ostentabant. Cæteræ quoq; Epiri urbes, ac prouinciæ oppida, multum de solito timore abiecerant, neque uel auditus, uel uisus Ottomanus tantum (ut olim apud Albanos) uel nominis, uel uirium afferre usus est, quum assuetissent iam malis homines, & contemptores periculorum assiduitas ipsa fecisset periclitandi. Quatriduum in aptandis & mutandis hincinde statiuis hostis consumpsit, His ordinatis, concursus ad prætorium Tyranni factus, poscentium copiam pugnandi. Nihil concessum per eam diem, retentiq; intra munimenta sunt, sæuerissimo decreto. Nam & Scanderbegi insuetum ocium augebat præter modum curam senis, ne

Ottomani aduentus in Epirum.

Milia, hoc est, miliaria.

Obsidetur Croia à Turca.

senis, ne magnũ quippiam interea solitus artifex coqueret. Mane quod secutum est duo nunci ad Vranacontem cum ijs mandatis missi, ut si tradere urbem sibi uellet, libera illi esset cum præsidio & rebus omnibus facultas abeundi. Ad hæc bis centena Asprorum millia addita, & insignis ei locus (si uelit) inter purpuratos principis promissus. Cæteris quoq; Croiensibus ne imperium eius fastidirent, omnia quæ uel ad pristinam libertatem, uel maiora etiam commoda attineant, abunde sunt promissa. Cum his mandatis uiri recto ad portam itinere pergunt, quæ unica tantum eo loci est in urbe, nam circum reliqua ciuitatis latera præruptus, atq; inaccessus mons est. Accitus igitur à custodijs præfectus cum insigni comitatu ad eam portam uenit, postulantibusq; colloquium regijs, oppidum quidem intrare non concessum, sed propius accedere iussis, ita ut commode inuicem se exaudiri possent, dicere quæ uellent illos admonuit. Verum accidit, ut primo congressu uix auditi, & infecta re discedere sint coacti, interrupta plena libertatis, atq; egregij spiritus Vranacontis uoce, conclamatum uno ore undiq; ab armatis, Ferro, non uerbis respondendum hosti, neque conuitijs, & probris quibusdam (ut solet) libido militaris abstinuit. Ea ubi narrata Ottomano, ueterem magis indignationem recenti iniuria exagitarunt. Quamobrem ea spe destitutus ordine ad ministeria oppugnationis conuersus, primo omnium expediri massas illas infecti æris, & ex illis conflari machinas iussit. Longum id opus fuit, quindecim amplius dierum spacio, decem confertæ dispari aliquantulum magnitudine, quatuor æquales, quæ sexcentarum amplius librarum pondo saxa iaciebant, reliquæ ducentarum; harum quatuor cum duabus maioribus locatæ qua mœnia Tyrannam uersus Orientem spectant. Aliq; qua portæ locus est, oppositę urbi: nam ab his partibus tantum potiundi per ruinam murorum oppidi spes suberat, quum magis accessa ea loca, & opere hominis constructa munimenta, ac manu facta paterent, quæ licet fortissima essent, nihil tamen dubitabatur ea ui tormentorum æquari solo posse. Reliqua ciuitatis propugnacula ita insigni naturæ munimento undique monte cinguntur, ut satis sine ullo mortalium artificio contemnere quantumcunq; hostis pertinaciam possint. Itaq; corona tantum murorum per summitatem ibi apparet, ornandi magis quàm muniendi causa appositа olim à conditoribus loci. His tormentis apparatis, & super rotarum uehicula impositis, quo cõmodius ubiq; ueherentur, quatriduo integro, priusq; cominus ductis agminibus sub muris manus consereretur cum oppidanis, ad concutienda ab illis duobus lateribus mœnia, opera omnis exposita est, offensumq; maxime utrobiq; urbi, ac disiecta fœdę munimenta, abrasaq; fermè dimidia murorum pars. Cætera ita quassata, ut facili impulsu lapsura apparerent. Creuit præter modum spes Barbaris, ubi factum eum aditum intrandi oppidi aspexere. Quare crebri apparare scalas, reliquasq; machinas ad proximam murorũ oppugnationẽ tam publico

Amurathes per legatos petit urbẽ Croiã

Machinæ bellicæ conflantur.

Barbari ad pugnam contra oppidanos sese accingũt.

publico, quã priuato ſtudio aduehi hincinde trabes, excurſare lætos per ſtatiua milites uidiſſes, conſtruicq; uarijs modis omnis generis artificia. Singula fermè tentoria, ſingulos apparatus uelut æmulatione quadam de promebant, dum quiſq; tacita contentione primus muralem coronam ſibi habere cupit. Purpurati quoq; regis multa priuatim impẽdere, ut animum Amurathis præuenirent. Mahumetes inter cæteros præcipua ingenij ſolertia, atq; indefeſſo ſtudio, uelut unus ex gregarijs militibus, ſemper aderat patri, ac regij decoris oblitus, non uigilijs, non laboribus parcens obibat ipſe, peragebat omnia, ſedulus nunc hac, nunc illac perer-rans, uerbis pariter & exemplo animabat uiros. Propoſuiſſe ferunt & ipſum præter cætera à patre publice promiſſa, centena Aſprorum millia ei, qui primus euadens in urbem, Ottomana ſigna fixiſſet. Oppidanorũ animos ſicut diſpar omnino ratio, ita diſpari effectu acuebat: illi cupidita te tantum prædę, & gloriæ libidine eos inanes timidosq; ſpiritus induerant, ſegnius idcirco petituri, id quod nunquam poſſediſſent, hi ad id, q̃ honeſtiſſima quæq; ſibi apud Scanderbegum non erant defutura, imperij, patriæ, ſociorum, totius denicq; Epirotici nominis ſalutem in manibus ſuis poſitam cernentes, ne dum incredibili ad omnia pertinacia, ſed furore quodam, ac rabie accendebantur. Exin licet deformata & diruta ab eis partibus mœnia aſpectu ipſo, ac forma ſpectaculi dolorem incuterent ſimul & pauorem hominibus, prævalebat tamen animi magnitudo in uiuidis pectoribus, proculq; fugabat facile ex cuiuſq; ingenio ignauã mœſtitiam. Solabantur ſe inuicem uiri, animosq; uiciſſim acuebant, & inter cæteros medius uadens per turmas Vranacontes, dexteras ſuorum, ferratasq; pectora pertractans. Hæc ſunt, dicebat, urbium munimenta, hęc incõfracta murorũ propugnacula, hi immoti lapides, hoc firmiſſimũ cemẽti genus. Quid decoris, quid laudis, quẽ triumphũ inde ſperaremus, ſi illę ſis his, integrisq; tecti à munimẽtis magis ab illis ipſi defenderemur, q̃ ea nos defenderemus? Scilicet & ignaui ita pugnare ſciũt, & pecorũ armenta luporũ fremitũ contemnunt, ſi tuto occludantur ouili. Sed murorũ ea non hominum laus, urbem Caſtriotus nobis, non nos urbi commiſit, periculis aſſueta uirtus eſt, in difficilibus educata. Quis non bonus nauta tranquillo mari? Quæ firma ſunt, per ſe manent, nullamq; opem humanam, nullam ferociam noſtram quærunt. Proinde fugiunt ea uiri fortes, ex quibus uel ſeruatis, uel non ſeruatis, par ſequi ſolet laudis fructus, inclinata cupiunt ſuſtentari, eo properat uirtus. Iterũ repeto milites, ibi ſplendor animorũ, ibi præclari eluceſcunt ſpiritus. Quare nudata ab hoſte latera, armata dextera tegat. Fortium uirorum corpora pro ignauis munimentis opponantur. Integris mœnibus pugnaturi ex ſummitate murorum fœminarum more eratis, nunc proſtratis aliquantulum æquiori de ſcendentes loco cominus ferietis hoſtem, melius furorem omnẽ, iramq; exaturabitis. Accipiam ipſe quoq; certiora tum publicæ, tum priuatę uirtutis ueſtrę experimenta. Adiuuat tamen & nunc pulcherrime uos locus ipſe, &

Mahumethis ſedulitas & ſolertia.

Diſpar ratio Croienſium et obſidentium Turcarum.

Adhortatio Vranacontis urbis præfecti Ad Croienſes.

Vrbs ciuibus commiſſa non ciues urbi.

Periculis aſſueta uirtus.

ipſe, & uix aliqua præſenti ruina murorum de priſtina ſpe bene gerendi detractum uidetur, ſi accuratius inſpexerimus. Nam dorſum hoc montis quamuis nõ ita in ſublime erigatur, ſicut ab alijs partibus, nonné ſatis ad onerandos hoſtes, & eludendam uim omnẽ idoneum uidetur? Procliuitas quoq; hoſti infeſtiſſima, nonné uires uobis indefeſſas ſeruabit, ſuggeret, & concitabit tela? Exoptandum itaq; potius iſtud nobis erat, ſi cædem hoſtium ex hac obſidione cupimus, ſi gloriam inſignem ex hoc bello, ac perennes in omnem ætatem titulos animo complexi ſumus. Inuitabit nanq; hęc apertura murorum Barbaros, alliciet ad aſcendendum armatos, ſubibunt plures longe, q̃ mœnibus integris forẽt ſubituri, tot nullo certe negotio undiq; cadent, quot petierimus ipſi, ni cõpreſſis uos manibus ſedere malueritis. Reſtaurabunt uobis diſiecta munimenta corporum ſuorum aceruis, ſi uiri eritis, ſi memores libertatis, quid ad uictoriam, quid ad memorabilem hoſtium ſtragẽ obſtat, duces ac milites fortiſſimi, hæc tantum urbis latera impeti ab hoſte poſſunt. Cætera omnia extra periculum poſita, uim nullam humanam reformidant, hic tantum labor, hoc opus uobis relictũ, omnes hic eritis. Virtus, animi, conatusq; ſingulorum hic aderunt. Quid facietis tot duces, tot fortiſſimorum militum capita, longe plurimi defenſores pro paucitate cuſtodiarum ſumus, agendum igitur ita, enitendum. Croienſes uero unica tantum pugna & uires contundamus Tyranni, & animum illius frangamus. Relinquet urbem, deſeret aduerſis Dijs ceptam obſidionem, ubi prima belli auſpicia tanto ſuorum cruore tincta conſpiciet. Hæc nunc Albana ipſe, & Italica expromens lingua, nunc per interpretes ſuorũ animos ad futurã poſtridie oppugnationem præparabat, atq; dictis ſimul factisq; alliciens homines ad peragenda ſedulo omnia, & difficilima quęq; obeunda inuitabat. Ita hincinde uarijs operibus diſtinctis militibus, dum ex illius aſpectu ad ſingula magis exequenda accenduntur, nox aduenit. Neq; tamen uſque ad ſecundam uigiliam prefecti ſolertia ab eo tenore apparandorum ceſſauit, quod ſuperfuit quieti indultum. Barbari expeditis per diem omnibus, nocte uſi tranquilliſſima ſunt uſq; ad auroræ aduentum. Nam pridie inclinato iam ſole decreta urbis oppugnatione ſub præconis uoce omnibus clare mandatum fuerat, ut ante ſecundam diei horam curatis corporibus, certi duces ordinesq; inſtructi ad prætorium Tyranni adeſſent. Quare feſtini undiq; dicto parentes milites ante præſtitutum à principe tempus, habita corporum, & reliqui apparatus ratione, ad ſtationem eius expeditiſſimi conuolarunt. Accerſiti ibi nobiliſſimi quiq;, et corona de more facta oratio Amurathis pluſquam pro uiribus, & exhauſto iam ſenectute ingenio ardens audita, neque Mahumetes lingua æque, ac manu promptus adoleſcens ſilentium tenuit, ſed patris ſermone uix completo, furenti ſimillimus aſſurgens, ita eſt præter priuata aduerſus Epirotas odia in Chriſtianum nomen inuectus, ut uelut alter olim Annibal Romanis exortus, nobis infenſiſſimus hoſtis uideretur.

Decreta urbis oppugnatio.

Adhortatio Amurathis Mahumetisq; ad ſuos.

Cæteri

Cæteri quoq; duces priuatim milites quisq; suos usq; ad satietatem adhortati sunt. Quinta agebatur diei hora, quum perfectis omnibus,& pransо per quietem rege, mouere è castris, satis incommodum tempus ad pugnandū, æstiuis præsertim ardoribus uideri poterat. Sed ideo forsan opportunior ea hora principi uisa, ne si per noctem, uel incerto die recessisset è castris ipse, cōmodior relinqueretur infestandi munimenta occasio Scanderbego, licet neq; sic eum fefellerit timor. Dato (ut diximus) signo uno omnes impetu, maximo tubarum clangore, hominumq; clamoribus egressi, mœnibus succedebant,& iam cepta erat dimicatio à primis, quū subito tumultu repleta omnia, ac trepidatio ingens per uniuersa castra exorta. Irruperat nanq; Castriotus cum expedito suorum agmine in extrema quędam tentoria hostium. Quum diu intentus Tyranni consilia obseruasset, Stationarij eò loci constituti, primum impetum nostrorum satis audacter exceperant: sed ubi pluribus amissis impares se eis uiribus nouerant, hincinde dissipati iam custodias omnes, & stationes eo timore reliquissent, ni proximi quiq; undiq; accurrētes, restituta pugna, fugiendi pudorem iniecissent hominibus. Nostri nihil gradu turbati uictoriam sequentes in obnixos infestius tela acrius ferrum strinxerunt,& sexcentis amplius occisis, ac pulsis ab una parte loco hostibus tentoria bina diripuerūt, militaribus aliquot signis, ac ornamētis omnibus ablatis. Ita rumor alius ex alio (ut fit) dum certatim socij, qui manserant in castris ad id incendium extinguendum peruolarent, ad Ottomanum explicantem sub muris copias allatus. Senex,& si procurasset multa antea, ac fideret uiribus eorum, qui relicti fuerant in castris, conuersus tamen animo, utpote qui nihil obstaturum efferatæ beluæ diceret, Seremetum unum ex præfectis suis cum quatuor armatorum millibus obuiam nostris misit. Mahumetes quoq; ardens iampridem odio hominis maxime reclamante patre, cū assuetis custodibus corporis sui est profectus. Sed priusq; fermè hi mouissent, Epirensis impar tot aduentantium numero conuersis signis consuluerat sibi & suis. Cæterum solus Scanderbegus ardore illo dimicandi suimet oblitus mox (ut aiunt) ac inter confertissimos præterlatus hostes, dū occlusos undiq; aditus uix penetrare potest, fermè oppressus est, præsertim quod equum pariter ipsumq; destituerāt uires. Quamobrem ęgre à multis undiq; in illum ruentibus se subtraxit. Barbari fugientē secuti sunt, dum spes aliqua capiendi fuit. Ita exercitus ex una parte, dux ex alia, fœlici fuga ex insequentium oculis euanuere. Reuocatus igitur in castra miles, & Mahumetes cum suis mœstissimus ad patrem reuersus, quod ita per summam castrorum deformationem delusus fuisset ab hoste, pollicitus tamen publice est (si oporteat) sese uel integros menses, dies, noctesq; uigilaturum, donec tandem instructis ad id ipsum insidijs eam beluam capiat. Non animum, non consilium deficere sibi, neq; defuturam fortunam, si ille in ea temeritate inuadēdi munimenta persistat. Scanderbegus ubi tuta iā terga ab hoste uidit, deflexo itinere ad suos

Castriotus irrupit in castra Turcæ.

Rumor de irruptione Castrioti affertur Ottomano

Scanderbegus uix euadit.

ad suos pergit ire, qui soliciti de eo nunc hac, nūc illac pererrantes, ac mittentes in omnes partes milites, perlustrabant singula oculis sicubi eum conspicerent. Et multi non sine lachrymis tam longum hominis desiderium perferrebant. Iam inde uiduam rem Albanam, orbatum Epiroticū imperium, hominem propè diuinum à Barbaris tam crudeliter necatum dolentes. Quare insperatus fermè eius aduentus, tantum publice, priuatęq; lætitię attulit, ut præter gaudia uulgi, cantusq; uarios, multi persolue re uota sint uisi. Quibus salutē eius petitam à Dijs se impetrasse credebāt. Scutū uiri ita perfractum attritumq; ferro erat, ut uix forma remaneret. Corpus tamen illæsum omnino, inuiolatumq;. Minuit aliquantulū hoc loco facti magnitudo fidem. Ego uero haud grauate permiserim istud persuaderi mihi, quandoquidem (ut nulla fuerit fortitudo uiri, nulla armorum peritia) pleraq; uel maiora alia casus, ne dixerim Deus potest efficere: sed illud magis fortasse dubiam hāc rem facit, quod in omni acta uita,& rebus ab eo gestis, nunquam tam imprudenter Scanderbegum solum lapsum inuenio, ubi locus aliquis consilio fuerit. Ni concesserimus aliquando (ut faciunt Poëtæ) furentes quosdam impetus fortibus uiris & Martis feruorem, ac bellicos spiritus semel indutos exui illorum arbitrio minime posse, quippe quum in gladio stringendo nō omnino consilium absit, strictū in solus furor agit. Sic Horatij Coclitis apud Romanos animi præstantia, Porsenæ exercitū uniuersum, dum ponè demolitur pons, substinuit. Et apud Græcos, Lacedæmonius Leonides cū paucis, Xersis innumerabiles copias apud Thermipylas remorari non dubitauit. Cæterū eo in conflictu ex nostris parua iactura fuit, uix decē, uulneratorum par numerus (ut aiunt) interiere. Nam peditatu omni, & infirmiori parte equitatus in statiuis relicta, cū quinq; expeditissimorū equitum millibus in castra Barbari irrupit Castriotus, qui ad fugam æque ac pugnam prompti facile iniuriam omnem hostilem euasere. Inuento Duce nostri lęti continuantes iter celerrime ad socios se recepere. Non tamē ullum satis efficax gaudium, uel festiua recēs Scanderbego uictoria erat. Iacebat animus alta mole curarum, & malorum imagine confusus, donec aliquem eius diei Croiensis fortunę nuncium habuisset. Nam licet satis nota tum prçfecti, tum præsidij uirtus,& fides, urbis præterea inexpugnabilis situs,& habitus loci solicitudinem eius leuarent, tamen nunc tantæ rei momentum,& periculi magnitudo, nunc patriæ (ut fit) inexhaustus amor, uel inuitū timere cogebāt,& sedula interpretatio multa inania quoq; sibi ipsi subijciebat. Amurathes ceptam oppugnationem, quamuis propter motus illos castrorum nō interpellasset omnino, tardauerat tamen quosdam apparatus,& cætera, quibus certius uehitur militi periculum, donec euentum eius certaminis audisset. Quo cognito (ut supra meminimus) tum postremos quosq; agens in hostem,& singula opera, exponi sub muris iussit. Ante omnia sagittarij,& alij id genus leuis armaturæ milites, qui emittere tela in superstantes poterant, passim fuerāt cir-

Lapsus Scanderbegi.

Horatius Cocles.

Amurathes tardus in oppugnando.

cunſuſi, tormenta minora non longe diſpoſita. Cætera uiliora capita uulgi ſubiecta primo furori hoſtium ſcalas, & alia deinceps trahebant per montem. Hos promptiſſimorũ iuuenum agmina Ianizarorũ, & Aſſaporum ſequebantur, ut ſi admoueri munimentis ea potuiſſent, euaderẽt in muros, & cominus perterrerent hoſtem. Hæc ab illis partibus ordinata, unde liberior apparebat aditus urbis ex ea fractura murorum, quam grauiores fecerant machinæ. De cæteris non multum curatum, quando & ſi ablata fuiſſet ea corona murorum, uix attentate potuiſſet aliquid ibi miles, ob altitudinem, & montis inſuperabiles anfractus. Affixa tamen tormenta quędam ab hac quoq; parte, petitaq; crebris ictibus urbs, tum perterrendi cauſa hoſtis, tum euertendi intus priuata nonnulla ædificia, quæ obnoxia iniuriæ uidebantur. Oppidani primo uenientem hoſtem tormentis à longe petiere, turbaruntq; ſæpius pluribus occiſis, aliis diſſipatis, et auertiſſent fortaſſe ab incepto, ni turmis quibuſq; duces ſui inſtãtes à tergo, nunc adhortationibus, nunc minis, uerberibusq; interdum, & uulneribus hoſtiliter urgerent. Ad hanc pertinaciam illud quoq; nõ deerat, quod & Barbari machinis ad idipſum locatis, impetere noſtros obeuntes per munimenta non ceſſabant, ut arcerent, dum Anteſignani, & ſeruorum manus, qui ſcalas, & reliquos apparatus trahebãt muris propinquiores fierent. Ita quamuis non incruenti, ſuppreſſere tamen. Tum Croienſes ad ſua quiſq; miniſteria dilapſi, certius teli genus exercere occipiunt in ſubiectos, ac uera cominus aperire odia. Reſonabant undiq; clamore omnia, ſtrepituq; armorum. Crepitus præterea, ſonitusq; tubarum ex uicinis refractus collibus ingeminatus, & multiplex ędítus, ad inijciendum ardorem uiris, offendebat magis pugnantium aures. Sicut tamen diſpar cauſa armorum, ita diſpar dimicatio erat. Spes potiundæ urbis omnino nulla á principio apparuit, ni maius aliud quippiam fors, caſusue attuliſſet. Scalæ mœnibus fruſtra admotæ, ſed cum uectoribus ipſis attritæ per montem iacuere. Reliqua uulgi colluuies tota aut deleta, aut expauefacta effugerat, ut idem horror animos, torporq; pariter mẽbra inuaſerat. Vix pedem iam ullus promouebat ad muros, licet neq; apud ſuos ullum pateret effugium. Aderat nanq; non longe ſpectator, ſęuusq; adhortator, Mahumetes crudelitatis nomen apud poſteros, uel in de aucupans ſibi, qui nedum quenquam referre pedem, ſed ne reſpirare quidem patiebatur. Ita miſeri dum hoſtium furorem fugiunt, immoderatiore ſuorum imperio plectebantur. Chriſtiani hi ex maiore parte ſunt Ottomano ſubiecti, quorum ingentem multitudinem ad omnes expeditiones ducere ſolent Barbari, inermem fermè, quum non ſatis eis fidant. Hi omnia penè onera caſtrorũ ſubeunt, aquandi, lignandi, ualla, aggeres aliaq; munimẽta cõſtruendi, tẽpore uero pugnandi, ſi in cãpis, & aperta fortuna dimicetur, hęc primũ obijcitur materia cędendi hoſti, quę aduerſariorũ diſtrahat ſimul & exhauriat uires. Si urbiũ oppugnatio agatur, hęc inſtrumentorũ uehicula ſunt, hęc ad implẽdas corporibus ſuis foſſas materia

Mahumetis crudelitas.

Vt Chriſtiani captiui tractentur ſub Turca.

materia electa, ac pontes uelut cęteris faciendos. Quare ſi ſegnius aliquid exequantur, crudeliores crebro dominos patiuntur, cõq; hoſtes. Occaſio ea potius fortaſſe, cõq; cauſa, & ab odio ipſo naturali omnis depromitur ſæuitia. Vidi multa huiuſcemodi ipſe, quum infœlici fato ad patriam defendendam infœlicia arma tenerẽ, cuius nunc memoria ſicut mirifice recreor, ita recenſere ſine lachrymis nõ poſſum. Audiebamus ſtantes pro munimentis, miſerabiles illorum querelas, et ſupplices deprecantium uoces, ut mitius cum eis ageremus, dum non conſilio, non uoluntate propria, ſed ſæueriſſimo imperio Tyranni hoſtilia ſe facere dicerent. Corpora ſe tantum inuitiſſima, ſigna infeſta in nos trahere, animos gerere amiciſſimos, utpote quibus ijdem Dij, eadem ſacra, uota eadem, licet non ijdem principes Chriſtiano ex uitio, ſuaq; ipſorum calamitate eſſent. A noſtris quamuis male tunc in ea fortuna ratio alicuius haberi poſſet, multis tamen quantum in tali furore potuit parſum. Proh dolor, Libet exclamare, hoc loco, paulumq; digredi. Vident hæc, & audiunt tamdiu Chriſtiani principes, neq; tam grauis ſeruitus ſociorũ, tam fœda uincula, uocesq; mœſtiſſime, quibus montes iam, maria, camposq; omnes per tot ætates implerunt, quempiam mouent, fluit undiq; noſter cruor, deficimus patulatim, neq; ſentimus, incidimus in ea tempora, uolentibus dijs, uel potius ita agentibus nobis, ut uilior iam apud Turcas Chriſtianorũ, cõq; iumentorum ſanguis habeatur, futurumq; ſit, ſi hæc diutius peſtis inualeſcat, ut triginta ex nobis, uix uno obolo olim liceant hoſtes, quod in captiuitate illa Hieroſolymitana de Iudæis ſcriptores referunt. Verum enimuero, ni hil eſt quod timeamus amplius, iam ad ſummum turpitudinis deuentũ eſt. Neq; nos ad duriora perferenda apti ſumus, neq; hoſtium crudelitas ipſa magis ingenioſa eſſe poteſt: ſed redeat iam noſtra unde ſe ſubripuit oratio. Croienſes primis quibuſq; Barbarorũ, aut occiſis, aut propulſatis aperta quoq; portula, quæ è regione erat, Ix. fermé egreſſi erumpentes improuiſi in hoſtem, auxerunt ſupra cõq; dici poſſit, timorem hominibus. Germani hi omnes, Epirotis mixtis fuere, qui uix exorata à prę fecto exeundi facultate, cum ſingulis tantum ſcloppis proceſſere non longe à mœnibus, ædítaq; ſatis magna cæde, ut pro numero pugnantium extemplo recepere ſe in urbem, rurſus infeſtiores erupturi, ſed nullis precibus, ut id rurſus facerent, obtinere potuerunt ab Vranaconte. Laudati tamen ab eo publice & donati ſunt omnes. Barbari obſtupefacti ea audacia noſtrorum, primo retulere pedem aliquantulum, deinde tum pudore, tum conſilio denſati in unum expectabant, ſi uictoriam ſecutus oppidanus iterum erumperet. Maior longe cædes ab Tyranna ędebatur, laxior nanq; hiatus murorum liberiorem faciebat dimicationem hominibus. Ibi oppleta iam cadaueribus omnia. Gemebat uelut ſtridore morientium tellus. Non deerant tamen obſtinatæ adhortationes uiris, & furore quodam miſeri periculo inſtabant, ne confeſſionem ignauiæ præberent hoſti. Referta telis undiq; munimenta, & propugnacula urbis, ac caligine

Querelæ chriſtianorum.

Exclamatio in ignauiã principum Chriſtianorum.

Licere, paſſiue ſignificat æſtimari.

Ioſephum putat & Egeſippum.

caligine fermè sagittarum uincebatur dies. Hæc à primis turmis Tyranni sine respiratione gesta. Medio iam ad uesperam declinante die, circiter octauam ferè illius horam, quũ Amurathes uideret partim cæsas, partim ob nimiam lassitudinem defectas uiribus copias suorum, Christianosq; acrius stantes pro munimentis, dubius fuit primo, an recentes alios fessis subijceret, renouaretq; pugnam, an in alium diem differret oppugnationem, quum satis iam pro ea parte diei tentata esset fortuna, & nimij ardores defessa militum corpora resoluerent. Adhortationibus tamen suorum coactus est continuare certamen, quum dicent turpissimum fore ita incruentã fermè eius diei uictoriam relinquere oppidano, & quando nulla spes subesse posset urbis potiundæ, tot iacentia fortissimorum uirorũ, & sociorum corpora inulta dimittere, neq; differendum ardorem belli, omnia secunda segniora esse, cõtemptioraq;, ubi hostis uelut assuefiat periculis, & obduret malis. Nouis consilijs, ac reparandis omnibus magis futurum locum obsessis, si ea respirandi facultas detur. Succedendum recenti milite in munimenta, fessosq; propugnatores, qui ubi eam partem iam uiderint, aut uoluntarie deserẽt custodias, aut suo ipsi cõcident onere. Mirari se, unde iam is spiritus, ea corporum uis, perditis hominibus tamdiu suppetat. Subductæ igitur ex eorum sententia uouæ, ut electę magis, ita nihilo pauciores in mœnia copiæ, ac omnia dicto citius renouata. Fortasse & fortuna ipsa uictoribus relictis secuta fuisset nouos uirorũ conatus, ni oppidanus quoq; nihilo segnior eandem suorum rationem habuisset. Recentibus itaq; recentes oppositi facili negocio possessum semel decus, & uictoriam omnem retinuere. Ruebãt uelut occæcatę beluæ in ferrum Barbari, ad portam præsertim, & licet angustior uia uix binos admitteret equites, adequitantes tamen muris ipsis recta cuspide impetebant portas. Cæterum uituperandus magis tam stolidus uitæ contemptus, quàm miranda audacia. Quare ædití passim tot eorum cadauerum acerui, ut non falsum uatem Vranacontem fuisse omnes dicerent. Non perpessus diutius tam miserum spectaculum, tantam; suorum stragem

Turca receptui canit, infœliciter pugnans.

senex, receptui cecinit. Deserta mox munimenta, relicti hostes, nõ quenquam cepta odia, non feruor dimicandi tenuit. Ita ab omnibus priuatim, publiceq; id signũ expectabatur, neq; nostris ingrata ea cessatio ab armis fuit. Exhausérat nãq; spiritus uiris, tum labor, & calores, tũ sitis, & inedia, quũ plerosq; impransos prœuenissent hostes. Proinde quod restabat diei, & nox subsequẽs, quieti ac curationi corporum indulta, Castrioto quoq; lętissimã eam noctem cunuolantes undiq; de Croiensi uictoria nuncij fecere. Impertitus postea per eũ est regulis ac populis uicinis eius diei faustus euentus. Hostibus mœstissima omnia per eos dies fuere. Vix nanq; tolerabilis eius pugnę iactura uidebatur, viij. amplius hominũ millia amissa. Oppidanis modico sanguine ea uictoria stetit. Amurathes tentorio clausus biduo integro fertur primores suorũ uarijs consultationibus distinuisse. Mahumetis tñ inter cęteros insignis quędã mœstitia erat quod &

Læta nox Scãderbego de uictoria.

Octo hominũ millia occisa.

quod & præseruidum illius ingenium, & aduersorum insolens ætas dolorem omnem in rabiem uerterat. Exin cupidissimus ultionis non dies, non noctes, omnia obeundo, ac perlustrando exercitum, à laboribus, uigilijsq; cessabat, ab ea præcipue parte, qua nuper eruperant nostri, ibi promptissimorum militum agmina, ac uaria genera insidiarũ posuerat, pernoctabatq; sæpius, ipse, ut si attulisset aliquam bene gerendæ rei occasionem fortuna, illam non prætermitteret, & oppresso Scanderbego, illius q; profligato exercitu, aliquando ea cura animum exolueret, liberecq; uniuersa Epiro potiretur. Sed inanem hanc eius expectationem reddidere sagacissima ducis consilia. Nam tum à transfugis, tum ab exploratoribus indies missis, de omnibus edoctus, per aliquot dies sedendo cõsuluit sibi, atq; hostem diutina mora contriuit. Cæterum abhorrens tam longum ocium excogitata, & ipse fraude, qua intẽtos tantopere homines caperet, nocte quadam maximo silentio, collectis uasis in locũ, quem Munticleum uocant incolæ, transtulit copias, unde impeti hostium stationes pari commoditate poterant. In Tumenisto quingentos tantum equites cum Tanusio & Mose reliquit, factaq; computatione temporis, & uię, ac consilijs suis apertis, iussit ut nocte subsequenti secunda uigilia impetum in castra Tyranni facerẽt, ab ea parte, qua nuper irrupissent, uixq; prima limina ingressi, nullatenus facta hosti copia pugnandi effusa fuga abirẽt. Ipse quoq; in Munticleo omnibus ordinatis, & dispositis, ac uix ducentis uiris ad statiuorũ custodiam relictis, signata nocte copias suas mouit. Modicum interuallum fuit inter eius & Mosis aduentũ: nam ut primũ tumultuatum ab ea parte sensit Castriotus, & consternata, uelut eo motu omnia, occasionem amplexus, unde minime timebatur, irrupit. Ita incerta in castris omnia, trepidatumq; maxime est, alijs hinc, alijs inde procurrentibus, ad arcendos hostium aggressus. Cæteris excitantibus socios, quum obsessos se undiq; hostium armis clamarent. Sed à Mose timoris aliquid fuit, damni nihil omnino. Nam locato iampridem ibi milite per Mahumetem facile, uoluntarios præsertim, pepulit in fugam. Insequi fugientes prohibuit nox, quum insidiarum, & uetus, & potissimus timor esset. Damnum ingens datum à Scanderbego, deformataq; castra sunt, tam incendio, q; ferro. Neq; tamẽ diuturnior ea ignominia fuit propter concursum ingentem hominum, qui nostros, uel interuentu solo auertere à munimentis, ueritos æquo campo (in Tyranna enim pugnabatur) tantæ multitudinis uires experiri. Sed nihil nostrorũ retrocessu insigniter ab hostibus actum est, quum neq; illi cedentibus instarent, & peditatum omnẽ cum octingentis equitibus ponè à tergo, non longe ad uarios euentus fortunæ cautus bellator Castriotus locasset. Exceptus itaq; ab illis lętitia clamoreq; ingẽti, nihil moratus, reliquũ noctis in itinere cõsumpsit. Vix unq; incruentiori uictoria ex hoste usum inuenio, nullus amissus, sed nec uulneratus quispiam fuisse dicitur. Barbaris omnia uulnerũ, lachrymarum, ac gemitus plena relicta, oblitaq; penè est Croiensis fortu-

Mahumetis consilia cõtra Scanderbegũ.

Fraus excogitatur a Scanderbego contra Mahumetem.

Pulchrũ Stratagema.

Incruenta uictoria Scanderbego contigit.

na;præ ea calamitate. Nemo uel hiſcere iam apud Tyrannum audebat, uel conſilij quicquam in medium afferre,cũ turpiſſime ueteres, & nouas hominum conſultationes omnes eiuſmodi euentus reprobaſſet. Recurſum eſt tamen ad orbem caſtrorum tormentis circunuallandum, firmandumq; quod optimum ipſo uſu in Sfetigradenſi obſidione priore anno fuerãt experti. Ita ceſſaturum rati hoſtem, ab eiuſcemodi incurſionibus. Deducta igitur multa tormenta minora,quę oppoſita mœnibus fuerãt, & circum tentoria, ut commodius uiſum, locata. Maior tamen pars in priore opportunitate periculi manſit,nam ita diffuſæ paſſim, & diſcretæ per interualla inter ſe ſtationes fuerant,propter nimios æſtus,& impedimenta iumentorum,ut non ſatis prouideri ubiq; poſſet.Nihil eorum occultum diu Scanderbego fuit.Non transfugæ defuerunt, non audaces exploratores,qui edocerent omnia facilem ad credendũ propter prioris anni exemplum. Statuit itaq; aliquantulum quieſcere & ipſe,atq; quęſita eouſq; fortuna,pauliſper cõtentus eſſe,eaq; per ocium frui, donec aliqua alia occaſio benegerendæ rei affulſiſſet. Penuria præterea cõmeatus,quũ nuſquam colonus,nuſquã habitator in aruis eſſet, unde ſumeret alimenta miles,ad alia procuranda cogebat. Quare ad commodius quæq; habenda,præſertim uitandi quoq; caloris cauſa, ad maritimum quendam locum præcipue amœnitatis,iuxta flumen,Iſmum accolæ uocitant, cum omnibus copijs ire perrexit. Ibi cibaria crebris nauigijs affatim cõuecta, à Dirachinis etiam (non longe nanq; aberat ea urbs) petitum frumentũ, neq; negatum eſt,licet quo cautius poterant præſides Veneti iuuarẽt noſtros,ne res innoteſceret Tyranno. Eos dies cunctos Barbari in quatiendis muris Croiæ,& euertendis,ab eis præſertim partibus,ubi uel quippiam integri reſtabat,uel oppidanus reſtaurauerat,conſumpſere. Nam tendæ iterum fortunæ,per militum uirtutem regis animũ libido inceſſerat,quum opus cuniculi,& reliquæ id generis inſidię longi res temporis ac ſupremi laboris uideretur,propter quaſdam loci conſragoſitates,& ſaxorũ crepidines. Miſeri,qui tam immoderato regũtur imperio, & quos tam ſuperbis dominis ſubiecit fortuna,ut libidinem eorũ, ſi aliter nequeant,ſuorum ipſi corporum laceratione,& proprio ſanguine explere cogantur.His expeditis,dirutiſq; in uaſtum mœnibus, qua attingere tormenta potuere,apparare eo die milites ad craſtinam incundam pugnam, & noua uulnera Tyrannus iubet. Vix ullus,uel publice,uel priuatim, ut conſueuerant,hilari animo ſeſe obtulit. Annuebant tamen mœſtiſſimi, quũ recuſare,uel tergiuerſari mixtus timor,pudorq; prohiberet. Amurathes uidens eam animorũ demiſſionem,& inuitiſſimos omnes ad eam rem trahi animaduertens,fertur conuocatis optimatibus,ac notæ militię uiris,multis uerbis timorẽ eis,ignauiamq; exprobraſſe. Quod tam paruis momentis,uel uerius iocis fortunæ ſubmiſiſſent animos,& imperpetuũ de uictoria deſperaſſent. Quodúe primo impetu non expugnaſſent urbem,quod iacẽtia cadauera ſociorũ ęquis oculis aſpexiſſent. At quod

Scanderbegcum copijs ad Iſmum flumen ſe recipit.

Amurathes timorẽ & ignauiam ſuis exprobrat.

foretam

foretam ignobile oppidum,infameq; caſtellum,ut abſorberi ita uno impetu poſſit uno ictu corruere. Durandum eſſe, ſtandũ inconfracto, atq; inſatiabili animo, qui eas feras uelit à ſuis luſtris depellere. Conſenuiſſe multos præclaros Imperatores,exercitusq; ſub mœnibus hoſtium,leuis & priuatæ ſæpe iniurię cauſa. Se publice priuatimq; ab Epirotica perfidia tot affectos contumelijs per ſummam indignitatem ita inulta omnia relinquere uelle? Quam præterea inſignẽ uictoriam ulli ad eam diem ſine ſanguine ſtetiſſe? Varnenſis fortunę meminiſſent,cui glorię uix quicquam æquari poſſet. Difficile fore iugum hoſti incruentis manibus imponere. Præclara quæq; ſudore maximo,laboreq; confici. A Croia belli eius uim omnem pendere, ea ſublata debellatum eſſe imperpetuum in Epiro. Scanderbegum nanq; illo uelut totius robore imperij amiſſo, diem unum non manſurum in prouincia. Quare bono eſſent animo, agerentq; intrepide.Nuſquam incertiores euentus,q; in bello eſſe, tentandã fortunam,laceſſendamq; inſuper illam ſæpius,qui ad ſe trahere uelit.Nõ tamen negare ſe (ut cautius impoſterum ageretur cũ hoſte, & conſultius pericula adirentur,neq; beluarum more ruerent in ferrum milites, ſatis multos cadere ex oppidanis,ſi decem qualibet pugna deficiant, urgẽdos tamen iugiter eſſe,ac onerandos quotidianis infeſtationibus,ne reparare uel uires,uel munimenta poſſint. Et fortaſſe ſi arma non prodeſſent,inuenturam aliquem modum fortunam,ut Sfetigradenſi obſidione prẽter expectationem omnium fecerat. Ita ingenioſam mortalium perfidiam,et humanam cupiditatem eſſe. Hæc dicta reſtituere uigorem animis, ac timore omni uelut fugato ſimul priſtinũ ultionis deſiderium,ſimul ingentem gloriæ appetitum ſubiecere hominibus. Illud prẽterea moleſtiam & metum magna ex parte leuabat, quod uidebant poſtridie dum circa urbem ipſi occupati eſſent quieta ſaltem ſtatiua ab incurſionibus Caſtrioti, & tuta terga futura,à fronteq; tantũ hoſtem ſe habituros. Nanq; ad alias procurationes,quas nuper recenſui,id quoq; ad auertendum Scanderbegum per eam diem à caſtris,ne diſturbaretur oppugnatio addidit. Tyrannus,ut Sebalias Ieureneſius, de quo ſupra facta eſt mentio,cum xvi. equitũ millibus ab alia parte prouincię ad ludificandũ hoſtẽ per deuaſtationem agrorũ iret. Futurũ enim ſperabat, q; Epirenſis ad eam maxime regionis partẽ cũ omnibus ſe copijs transferret. Primaq; itaq; uigilia accepto milite Barbarus profectus eſt,admonitus tñ ab Amurathe, ut quantum maxime poſſet, ſui copiam hoſti non faceret. Vicena amplius millia paſſuũ emenſus erat Sebalias,quũ nuncius eius ad aures noſtrorũ uenit. Mox ingens murmur inter milites ortũ,uarie (ut fit) cõſilia ea hoſtiũ interpretantes. Eadem tñ omnibus ſentẽtia erat,ardorq; animorũ,ſumẽda propere arma,eundumq; ſilenti agmine,claudendos aditus, ac obſidendos ſaltus,unde tranſituros credebatur. Sed inimica præpoſterę celeritati ducis prudẽtia,neq; ſatis fidẽs tenebris,oĩa in die diſtulit. Rareſcẽtibus ſub aduẽtũ diei ſtellis,ſublatis ſignis cũ oĩbus turmis mouit è caſtris, per

Inſignis victoria nõ eſt ſine ſanguine.

Præclara ſudore & labore perficiuntur

Fortuna laceſſenda, ſi ad te trahere uelis.

Sebalias cũ xvi millibus mittitur ad ludificandũ Caſtriotum.

montuoſa,ac tuta loca agens agmen, præeuntibus ſemper exploratoribus,ne inſidijs hoſtium alicubi interciperetur. Eadem fermé hora Amurathes ſigno ex caſtris ędito,urbē eſt aggreſſus. Nam quū procurſaſſet omnia, quæ uel ad excludendum, uel auertendum Scanderbegum attinerent, non expectata certa luce,ne in medios diei ardores oppugnatio protraheretur,rem aggredi cepit. Multum animi addebat uiris nunciatus Caſtrioti abſceſſus. Exin ardentiores ad omnia intrepide primo impetu ſcalas,& alia id genus inſtrumēta ad muros propius deduxere. Nō defuerunt quoq;,qui recentis cladis immemores ad portam ipſam prætерlati impingerent cardines,ac perfringere clauſtra conarentur, malleis, ac uectibus ferreis impetentes. A Tyranna ignes pluribus locis iniecti in urbem,neq; tormenta inter pugnandum quieſcebant, & licet nocere noſtris ſine pernicie ſuorum Tyrannus non poſſet, abiecto tamen eo reſpectu ęque hoſtem militemq; ſuū ſternebat. Non inſuauem omnino unius capitis Chriſtiani uictoriam credens, quam xx. ſuorum ſanguine cōparaſſet. Croienſibus quamuis nō incruenta omnia,tuta tamen erant, neq; dubitatum unq; de amiſſione oppidi. Ita inexpugnabilis præter cætera locus ipſe,uim omnem hoſtium inanem reddebat. Quantum uero in uirtute hominum defenſio urbis ſtabat,ingentia profecto ubiq; tam fortitudinis,q; fidei exempla ædebantur, ſuperiorq; longe ſemper oppidanus erat,& animis,& uiribus, & fortuna. Qui ad portam proceſſerant, uix unus inde pedibus ſuis exceſſit. Ab alijs partibus primi quiq; occiſi, poſtremorum magnus numerus uulneratus. Scalæ uix alicubi attigere munimenta. Non tñ idcirco Amurathes ullo ſatis loco intermiſit pugnam, ſed pertinaciore ſemper propoſito recentes feſſis ſubijciens, ac omnia renouans eo ſpectaculo paſcebatur ſimul, & cruciabatur, donec exaturatus iam ea calamitate ſuorum ſigno receptui dato, finem oppugnationi fecit,ſuadentibus maxime purpuratis,ne per eam indignationem perdere exercitum uellet,quū nihil uſq; diluceret ſpei urbis per uim potiundæ,ſeruandos milites ad opus cuniculi. Eam unicam eſſe uiam, qua inſidiari hoſti poſſit. Nō inuitus ſermonibus ijs acquieuit ſenex, reductisq; in caſtris militibus,quę ad id operis in rem erant,accitis peritioribus quibuſdam,maximo conſilio procurauit,atq; egit. Sed quia laborare iam ſame exercitus ceperat propter inopiam cōmeatus, ſegnius actum id opus per aliquot dies,miſſiq; frumentatores Lyſſum, & alia oppida Venetorum uicina,quum propter pacis iura inter eos, ſatis crederetur nihil eos negaturos. Caſtriotus interea cognito ab exploratoribus itinere Sebaſtię, qui immiſſa parte militū uites,& alia frugifera deuaſtabat in campis, ſilentiori q; potuit agmine mouit,& trium minus millium ſpacio approximans hoſti,quatuor equitū millia ſibi ad inuadendum aperte eum ſelegit. Peditatum omnem cum reliquis equitibus in colle quodam prope uiam,qua tranſituros putabat regios,collocauit, & Moſem à Dibris cū his admonitum,ut ſi trepidos illos ac palantes ad eam partē fuga tuliſſet, mox im-

Suauis Turcæ uictoria unius capitis Chriſtiani cum uiginti ſuorum ſanguine.

Victoria oppidanorū aduerſus Tyrannū.

Foßio cuniculi à Barbaris ad urbis ingreſſus & expugnationem.

mox improuiſus cum ſuis exiliens,fugientum tergo inſtaret. Si pari fortuna animoq; reſiſtentes ſibi uidiſſet,deduceret impigre & ipſe eas copias,ſeq; reliquo equitatui adiungeret,facile ſic ratus hoſtem uel reſiſtentē clade nobili,uel fugientem affici ignominia cum detrimēto poſſe. De hoſtium fuga non uanus æſtimator fuit, cætera omnia ſpem eius fefellere. Nam præmonitus à cuſtodijs de eorum aduentu Barbarus dato ſigno omnes ſuos circa ſe collegerat,præter paucos, qui latius diſſipati prædа noſtrorum fuere,& priuſquam fermé ſignum aliquod hoſtile conſpexiſſet, inclinauerat ad fugam, parte alia,non ea qua uenientem præſciuerat Scanderbegum,quare nihil dignum memoratu geſtum. Inſequi enim ulterius hoſtem noſtri prohibiti ſunt à duce,quum & peditatus ægre longum perſequutionis eos laborem laturus eſſet. Et Croiæ perpetua ſolicitudo ferociam temperaret Caſtrioti,quum ſeruare exercitū ad quotidianas urbis neceſſitates magis cuperet. Ita Barbarus inde alacer, quod uōti compos minimo incommodo ſuo tota die ludificaſſet hoſtem, ad Ottomanum properauit. Hinc Epirenſis moleſtiſſime eius diei iacturam ſerens,ac Croiæ præter modum timens,quod nō longe ab ea conſueuerat abeſſe,in caſtra perrexit. Ferunt tñ in itinere occurriſſe multos,qui de frumentatoribus Tyranni rem omnē eum edocuerunt. Proinde extemplo (ut in omnibus caute agendis conſueuerat) gregali ſumpta ueſte,ac centum non amplius militibus haud abſimili amictu ueſtigia hominum ſequutus iuxta uiam qua redituros regios nouerat,in inſidijs ſe collocauit, miſitq; duos exploratores ex ſuis Lyſſum,uiros expertos, qui uelut turmas hoſtium & frumentatores regios uenarentur, & eos caute obſeruarent,ne ſi forte alió q; uenerant iter flecterent,Scanderbegum q; propere admonerent. Sed ij eadem uia reuerſi in Scanderbegum inciderūt,à quo partim capti ſunt,partim cęſi. Frumentum omne ſimul cum iumentis & equis in caſtra Chriſtianorū conuectum,inter milites diſtributū atq; diuiſum eſt. Moſes relictas ſibi copias in ſtatiōes iuxta lſmū reduxit. Amurathes dum fodiendo cuniculo inſtaret,leuibus certaminibus uexare oppidanos nunq; ceſſabat,ut per cuſtodias munimentorum occupati minus ad nouas inſidias aduerterent. Interim duo diuerſi nuncij cōuolauere in caſtra: alter de frumentatorum cæde,diruptionecq;, quæ geſta erāt, indicans: alter ab Alchria de aduentu cōmeatuum ex Macedonia ſignificans: quantū mœroris ille,tantū hic ſolatij adiexit. Quare facta utriuſq; compenſatione, non multum mutati hominum uultus, ſed cæterorum omnium ratione omiſſa,ad perducendum nouum commeatum cura militibus inceſſit. Quare non abnuente rege,xx. amplius lectiſſimorum hominum millia ad id muneris deſtinata, neſi pauci ijſſent,prædа eſſent noſtris,uelut de alijs nuper frumētatoribus audierant factum. Sed occupatus tū Scanderbegus & ipſe erat in conuehendo ad ſuos captiuo frumento. Nam timore hoſtium diuerſis itineribus longam aggreſſus uiam,per aſperrima locorum agens incommodiſſime iumenta, multum laboris, neq; mo-

Stratagema Scāderbegi,ut frumētatores Tyranni iuuadat.

Viginti millia conſtituti frumentatores à Turca.

neq; modicum temporis in reditu conſumpſit. Quamuis ſi liber adhuc eo fuiſſet onere, & in procinctu ſuas habuiſſet copias, nõ ſatis crediderim ſtudio perſequendi hoſtis contra eam multitudinem tantum fuiſſe aditurum periculi. Moſes tamen incertus de Caſtrioto, quum motum regiorum ex caſtris ab exploratoribus nouiſſet, ueritus ne ad illum opprimendum ea uis hoſtium properaret, quatuor impigros equites maximis itineribus ad eum quærendum, monendumq; deſingulis miſerat. Sed nul libi priuſ conſpexere, quàm in caſtra reductum cæſorum ſpoliis, ac conuecto commeatu onuſtum. Regij quoq; nullo inuento obſtaculo, cum frumentatoribus, atq; alio cibariorum genere celerrime applicuere ad ſuos. Ita corporibus prouiſum, & ferocia magis, animiq; rediere uiris. Cuniculus non dies, non noctes intermiſſus, ſed laborioſiſſimum opus multos ſub terra conficiebat, licet partitus eſſet numerus artificum in tot horas, atq; in reliquis manipulis idem ordo ſeruaretur. Vincebat tamen omnia improbus labor, & pertinacia hominum. Ad oppidanos fallendos ſolitis procurſationibus ſub muros quotidie decurſum, & licet aliquis eo modo ſemper caderet, non ideo id iacturæ loco in tanta multitudine cõputabatur. Igitur læta aliquantulũ Barbaris per eos dies omnia fuere, nam præter aduectum nuper commeatum multitudo ingens mercatorum ex proximis Venetorũ oppidis cũ annona, uino, oleo, & omnis generis cibarijs in caſtra quotidie confluebat. Cæterarum quoq; mercium uectores non deerant, ac uelut ad mel muſcæ (ut uulgo aiunt) undiq; in regia caſtra conuolabant, quum ſcirent hominibus in ea fortuna penuriam rerũ omnium, ſolius pecuniæ abundantiam eſſe. Nouerat hęc optime Caſtriotus, ſed ne uel ſubditos amicorum offenderet, uel priuatorum officeret utilitati, æquiſſimo animo patiebatur omnia, monueratq; tacite ſuos, ut diſſimularent & ipſi. Neq; uerbo quenq; aut re uiolarent, maxime quod non ignorabat, ſi hinc afferri prohibuiſſet, aliunde alimenta hoſti non defutura propter uicinitatem Macedoniæ, Thraciæ, Myſię. Quare aliud agitabat animo, quomodo armis, ferroq;, non fame Barbarũ fugaret ex Epiro. Quamobrem augendarum copiarum prima, ac potiſſima ratio uiſa, eò magis, quod ex viij. hominũ millibus, quos in ipſis belli auſpicijs ſcripſerat, paulo minus mille tum ferro & uarijs caſibus, ac incõmodis ſublati ſibi fuerant, tum plures eorum ipſe ſponte domum dimiſerat, quum ſatis perfuncti periculis & malis uiderentur. Tanuſio igitur, Moſiq; id muneris iniunctum, qui peragrantes prouinciam omnẽ, uix duo hominũ millia confecere, quingẽtos equites, reliquos pedites, haud facile fuiſſet, tum in Epiro ullum inuenire, qui ad arma ferenda eſſet idoneus, nõ belli certis munijs occupatum, & proprijs miniſterijs addictũ. Ita ſumma ratione firmauerat omnia præſidijs Caſtriotus, ne ullus ſatis imperij angulus opportunus damno, & ignominiæ relinqueretur. Per eoſdem dies, quibus is delectus habitus eſt, Croienſes crebris procurſationibus hoſtium laceſſiti, nõ potuerũt ſe continere mœnibus, ſed erumpentes

Foßio cuniculi continuatur à Barbaris.

Veneti aduehunt alimoniã Turcis ad caſtra.

Conſiliũ Scanderbegi armis & ferro, non fame Barbarum fugare ex Epiro.

pentes ſæpius fœliciter manum cum regijs conſeruerunt, præſertim die, in qua quadam quadringenti fermè egreſſi egregie per cædem, ac fugam hoſtium inſequendi ardore in caſtra penè ipſa ſunt illati. Barbari ineſcatam hominum temeritatem credentes, non multum cęſos ſocios indolure, ſed inanem illis ſpem eam reddidit Vranacontes: nam licet modica iactura reuectos ſuos uidiſſet, eximius tamen periculi eius diei, ac hoſtilis fraudis ponderator, non pedem amplius extra munimenta efferre permiſit. Aliam tamẽ mœſtitiam, cladem aliam Amurathi aduehebat Scanderbegus, qui accepto nouo milite, ac copijs cum Tanuſio, & Moſe tripartitis in occaſu ſolis, egreſſus è ſtatiuis diuerſo itinere, & latẽti maxime agmine, ad caſtra eius properauit. Detectus tamen ipſe eſt à uigilijs, priuſquã locum Monticlum dictum attigiſſet, à quo ſedecim fermè ſtadijs aberant munimenta, tumultuatumq; ſummopere in caſtris, præcipue ubi tentoria obnoxiora periculo erant. Quare quod remedij ad eum auertendum propulſandumq; per eam incertitudinem noctis fieri potuit, nihil omiſſum. Octo fermè hominum millia ſubitarie collecta, ac oppoſita illi ſunt, ſegnior tum Caſtriotus moderatiore gradu paulatim prope hoſtem irrepſit, Barbarus prior clamore ſimul procurſuq; orditur pugnam, noſtri continuo retrocedere, ut protractis longius à munimentis minuerent aliquantiſper ferociam hominibus. Tanuſius interea & Moſes aſſignatas ſibi caſtrorũ partes ex improuiſo penè ingreſſi, terrore tumultuq; omnia compleuerant, irrumpensq; per uacua quædam tentoria occiſis ſtationarijs, miles igne iniecto, quæ ferro non poterat, abſumebat, magis ab his cædis, ignominiæq; quàm à Scanderbego fuit. Nam conuerſis ad eam partem hoſtium animis, liberiora cuncta ad diripiendum, fæuiendumq; Moſi relicta, & impune primo impetu uim omnem exercere potuit, ac conſternare tumultu homines, ut fit in re ſubita, uictoriam pauciſſimi peperere, non accurrentes poſtmodum illuc denſiores Barbaros nemo expectare curauit. Tormentis præterea quæ ſummopere formidabant noſtri, manus à regijs non eſt admota, uel quod non ſatis commode per noctem ijs uti poterant, uel præ timore (ut ſæpius contingit) illius auxilij ſunt obliti. Iam lux appetebat, quum relictis hoſtibus in medio animorum ardore Caſtriotus uiginti fermè ſtadijs procul in colle quodam ſatis omnibus conſpiciendus conſedit, Moſem cum cęteris legionibus expectans, ut prodeuntes è caſtris conſtituerant, locumq; præfixerant. Eo uiſo hoſtes undiq; ad prætorium Tyranni conuolantes, petunt maximo ſtudio, ut egrediundi ad eum opprimendum facultas ſibi concederetur, paucitatem noſtrorum oſtentantes. Victus illorum clamoribus Senex, in ſententiam illorum diſceſſit. Prorupere momento temporis duodecim lectiſſimorum hominum millia, ſeptem equitum, quinque peditum, conſpecta ea multitudine Epirenſis, dubius primo conſilij fuit, an expectaret uenientes, maxime quum ipſa hoſtium caſtra tam propinqua eſſent, an tempori cederet. Melius tamen pro re nata illi uiſum eſt, mediam

Conflictus aput Monticlum.

Turci petunt congredi cum Epirenſibus.

mediam eligere uiam, & neq; fugere omnino, neq; resistere uenientibus. Retrocedens igitur per editiores & tutiores colles trahebat agmen, consi sus tum loco, tum socijs, quos puluis iam ex incessu sublatus à longe pro debat. Turcæ infestis signis maximo ardore usq; ad eos colles processe re. Tum inspecta difficultate loci, quod ex solo ascensu, suo ipsa onere gra uabantur corpora, segnius inferebant gradum. Castriotus nõ prius mo uit, quàm suorum aduentum à tergo certis indicijs cognouisset, sed neq; Barbarum ij doli latuere. Conuersi nanq; & ipsi propter strepitum ad uentantium, & uisis nostrorum præcursoribus, pluribus signis præ timo re festinationeq; relictis, terga dedere Scanderbego. Non tamẽ incruen tos omnino fuga excepit, quum inita dimicatione plericq; supernæ telis à nostris obruti fuissent. Moses quoq; impigre aduolans, nonnullos mo ratorum sponte se dedentes uiuos cepit, reliquis tutissima fuga concessa. Nam Epirensis ueritus maiorem motum castrorum, repente dato signo omnibus circa se collectis tuta montium iuga petijt. Nunciata hæc, & ui sa Amurathi, præsertim nocturnæ cladis spectaculum, ac deformatio ca strorum, uocem præ dolore inclusere, neq; quicq; ea die uel tentatum, uel decretum in hostem. Postero die ferunt Scanderbegum (ut cõsueuerat) cum paucis comitibus per iuga montis, qui Croiæ imminebat, oberran tem, & colloquentem cum Vranaconte uisum à Barbaris, nunciatumq; id maxima festinatione Tyranno, ac digito etiam ostensum hominẽ, tum canino (ut aiunt) risu suorum leuitatem, stultitiamq; obiurgantẽ, dixisse aiunt senem: Dimittendum indomitum leonem, neq; efferatam beluam diutius sanguine suo exaturandam, ita melius fortasse rabie ipsum sua, q̃ armis ullis uinci posse. Cæterum ut parum turpe Castrioto fuit, ex ore Amurathis hæc uerba audire, ita longe pulcherrimũ ad ea dicenda illum cogere potuisse. Iam sordidatus ex omni parte exercitus, & obsesso, quã obsidenti similior, per summam fœditatem inuisos trahebat dies, donec ad alia quoq; mala illud non minimum additum, quod cognitis cuniculi insidijs, oppidani nocte quadam maximo silentio egressi, disiectis ex ma iori parte operibus, dolos omnes hostium detexerunt, neq; auditi à uigi libus sunt, nisi quum deformatis omnibus in urbem recessere, quum no ctis concubio uenissent, quando profundissimo somno præmuntur ho mines. Aliqui tamen negant ullã eruptionẽ ab eis factam, neq; occursum eo modo operibus hostium, sed quum regij non potuissent satis eas insi dias cẽlare, uisos à Croiensibus, deprehensasq; illorum fuisse technas. Quamobrem pluribus in locis ab oppidanis dispositas fuisse pelues, & uasa ærea, ut ex subterraneo impulsu ab eisdem redditus tinnitus insidia rum locum subesse indicaret. Nam licet aditum ipsum cuniculi uiderent, tamen uerentes ne intus perplexe effossus ab alia parte quàm crederent, educeret armatos, hoc incerti mali remedium machinati sunt. Vtrunq; dictum uerum esse potest, illorumq; neutrũ ratione caret, quamuis hoc quo plus ingenij, tanto minus præ se ferre fidei uidetur. Illud unum in

Sententia Turcæ de Scanderbego.

Per pelues & uasa ærea insidias hostis experiri.

Opera & conatus hostium in cuniculo fodiendo in irritum ecciderũt

dubium

dubium non reuocatur, Croiensis licet minimum fermè eos hostium co natus timuerint, procurasse tamen intus cuncta exactissima ratione, ut spem omnem diutius insidiandi precluserint Tyranno. Nam ubi detectũ id opus animaduertit, & parari in urbe omnis generis obstacula strenue ab oppidanis cognouit, penitus ab incepto ammouit animum. Sed & si eodem tenore latitasset fraus, mutaturus tamẽ ultro ab ea re consiliũ erat, quoniam ita in fodiendo singulis locis natiua occurrebant saxa, propter uicinitatem montis, ut ad ea incidenda tum opera inæstimabilis, tum tem pus perpetuum exigeretur. Abiecta itaq; ea cura ad aliam adhuc inanio rem mentem adhibere statuit, si quo modo pecunia, atq; ingentibus pro missis trahere ad se obsessos posset, quum non arma, non minæ, non frau des ullæ prodessent. Igitur unum ex Satrapis multæ apud se autoritatis, ac spectati ingenij uirum ad Vranacontem mittit, & duos tantum cũ eo seruulos multis donis, ac Barbaricis ornamentis onustos. Mandata eius generis fuere, ut priusquam sermonem ullum de urbis deditione propo neret Barbarus, ea munera præfecto Amurathis nomine traderet, quo conciliaretur magis hominis animus, ingeniumq;, ad præstitutum collo quium. Deinde latenter eius mentem animumq; solicitaret ad proditio nem, deditionemq; oppidi, et ingẽtibus auri, argentiq; pollicitationibus pelliceret, atq; doceret facillimũ id fore sibi, qui caput præsidij esset, quũ ciuium ibi minimus sit numerus. Subituros Croienses uel uolentes, uel coactos eas conditiones, quas præsidium acciperet. Præsidium uero ac cepturum eas, quas ipse uellet, & preter ea dona ornatissimum illi locum, militibusq; apud se nunq; defuturũ illi promitteret. Cum his mandatis regius nihil moratus ad urbẽ cõtendit, & quũ approximaret portæ, pro cedere ulterius à custodibus prohibitus est, donec præfectus accerseretur, eo impigre accito, auditus benigne Barbarus est. Qui cũ primo proferẽs dona Amurathis, multa ad ea magnifica uerba adderet, et ita aures sibi ho minis conciliare studens, ac præstruere mandatis fidem, cõtereret tẽpus.

Amurathes Vranacontem muneribus uult corrumpere.

Satis est, inquit Vranacontes, præclara ex se munera præclarissimis quoq; uerbis ornasti. Nunc cætera iussa Tyranni effer. Ita demũ admis surí largitionem uestram, & accepturi dona sumus, si postulata audieri mus. Aliter nullo patiemur modo priores à uobis beneficio deuinci, ne que hoc turpissimorum forte munerũ uinculo astringi, nisi sciamus quo tam insueta hæc libaralitas tendat, tum enim & acceptare egregie, & recu sare iustissime dona uestra poterimus, quum ex uerbis animum uestrum cognitum perspectumq; habebimus.

Respõdet Vranacontes Legato Turcæ.

Nihil confusus ad ea Barbarus, quicquid sit, ait, de cæteris rebus, non ideo dona attulimus, ut eo colore quenq; deciperemus, cum seruis, eo pa cto & pueris agi solet, non cum liberis & fortibus uiris. Et licet suspecta omnia hostium sint, ut uere locutus es Vranacontes, id quod neq; ipsi ignorabamus, non ausi fuissemus tamen sine rubore manibus (ut aiunt) uacuis ad te uenire. Spernere gratitudinem animorum nostrorum non

debes, si uires, qualem præ te fers, & quem homines prædicant. Ista hæc æquo animo accipe dona, quę uim tibi afferent nullam, neq; impedient, quo minus in rebus tuis ius tibi integrũ, ac plena sit potestas. Neq; si contempseris postulata nostra, & alia quę ad te attulimus dicenda, in quibus non minor fortasse tui, q̃ nostri ratio habetur, neq; si probaueris, munera tam ingenuo oblata animo exprobabimus. Quando quidẽ nihil tã sordidi animi est, quã dare, ut inde aliquid expectare uelis. Libere ad te uenimus optime dux, ex animo ipso loquimur, non uerbis, non donis capere cupimus, quẽ armis, ferroq; toties sensimus inuictum, qui omnia infra te ducis. Amat te ideo Amurathes, admiratur eas uirtutes in hoste, & si quo fieri posset modo, secũ habere cupit. Ibi certe melius apud tantum regẽ prȩclara hæc animi magnitudo, & ingenij dexteritas uiam sibi ad omnis fortunæ & gloriæ apicẽ inuenire poterit. Non quod Scanderbegum damnemus, quem ob recuperatam, & defensam toties, te tamen in primis adiutore patriam, hostes etiã celebramus. Sed alio tu principe, alia fortuna dignior. Non qui in ea obscuritate, ne dicam sordibus (absit uerbo temeritas) omnes ætatis annos transigas, & insignes exhaurias spiritus. Momentanea præterea hæc quæ uidetur fortunæ facies Castrioto est futura, nimis immodicũ hostem fata illi dedere, differri potest supplicium homini, auferri non potest. Ita ad ingentes uires ingentiora quoq; odia sumpsit in eum Ottomanus. Non impensæ, non labori, non periculis ullis iurauit se parsurũ, non discessum ex Epiro, donec funestissimum iugum ceruicibus eius imponat. Principium uero eius mali en ab hac urbe à uobis potissimum orditur. Audimus quotidie his eius uocibus prætorium resonare, non si Adrianopolis, si regnum omne sit turpiter relinquẽdum, abiturum ex possessione loci huius, nisi uobis expugnatis, nisi exaturato animo laceratione corporum uestrorum. Et faciet profecto (quod ominari ipse reformido) licet enim & ego hostilem in uos animũ cum alijs geram, tñ & homo sum, & affectus humanos habeo, uix oculi Croienses paterentur tã miserũ fortunæ uestræ spectaculum. Faciet inquam, ni uos aliam mentem induxeritis, ni oblatã ultro salutẽ, lucẽ, libertatem, pacẽ per summũ ocium acceperitis. Nam agite dum insignis uos locus iste inaccessa mœnia, & uirtus præcipue uestra protegat, sed quousq; tandem hęc sunt protectura? Eousq; planè, donec alimenta, donec cibus corporibus suppetat. Ecquid creditis Ottomanũ hanc obsidionẽ medio belli ardore relicturũ? Videbitis malo uestro, percipietis, si arma nõ proderũt, si oẽs in cassum aggressus cadent, hosce hostes, hęc tentoria semper habebitis in oculis, & prȩ foribus quotidie, donec fames diutina, quę omnia superare solet, uos tandẽ perdomet. Quid quęso reliquũ spei supersest uobis? Vnde ea cupiditas periculorum obstinata pectora inuasit? An Scãderbegus suggeret alimẽta inclusis? Qui totos dies abditus in syluis, et per iuga montiũ fugiẽs, ac laboribus curisq; undiq; oneratus uix miserũ ducit spiritũ, an Veneti cõmeatibus iuuabũt? qui oĩa nobis aduersus

Sordidi animi est ita dare ut inde uelis aliquid expectare.

Odium Turcæ in Castriotũ.

aduersus uos belli huiusce fomenta quotidie uel ad abusum conuehunt, & suggerunt: Respiscite proinde nimio plus fortes uiri, colligite uos aliquando. En hostis moneo, satis in pertinacia perstitistis, non est aduscq; patria, libertasq; defendenda, ut uel aduersis Dijs pro ea pugnetis, cedendum est fortunæ, potentioribus obtemperandum. Sed quid ego hãc libertatem appello? Vera uos libertas, uera præmia, perpetua uitæ tranquillitas apud Amurathem manet. Consulite uobis, dum integra omnia sunt ad decernendum, dum hostes hortamur, rogamus, & malumus uoluntarios uos socios, q̃ coactos seruos habere. Hæc adhibito ad id maxime uultu, uocisq; sono exegit Barbarus, expectans quem animorũ motum uidisset inter homines, ut tũc ex occasione ipsa cętera summotis alijs cum Vranaconte secretius ageret. Cæterum ubi alieniſſimas ab eius sermone omnium mentes uidit, utpote qui spernere ferrum, nedum uerba norant, & fremere undiq; homines tanq; non hortari se, sed cogi ad deditionem crederet, rogauit Vranacontem, ut sibi pauca cum eo solo colloqui liceret. Id quoq; concessum: nam ut tum prudentiæ uiri, tum constantiæ fidebant omnes, ut nihil dubitarent cuncta eum è publica dignitate imperij, & singulorum utilitate acturũ, tum mandata Tyranni improbus homo, quo magis poterat colore, & prætextu uerborum exponere cepit. Sed quum tam sordida consilia præsensisset Epirensis, interruptũ in medio sermonẽ reliquit, & hominem abire confestim ex oculis iussit, sic totus pudore obrutus discessit, neq; de donis quicq; à quoq; acceptũ, prohibente præfecto, nam libido militaris haud grauate seruulos eo onere leuasset. Illud tamen regio illi legato pro tot compositis uerbis edixit Vranacontes, ne posthac ipse uel alius quispiam à Tyranno ad urbem accedere auderet, aut se petere ad colloquium: nam responsum aliud à se nõ asportaturos præter manibus, naso, auribusq; præcisis, totius corporis fœdissimam deformationem. Reuersus in castra nuncius, magno accursu turbæ est acceptus, quod ingentibus tum publice, tum priuate desiderijs expectabatur. Quid de uoluntate oppidanorum ferret, quę unica fere spes hominibus supererat habendæ per dediti onem urbis, tamen primo non accepta quæ reportabantur munera uisa satis nihil actum ostendere, deinde audita oratio uiri, & exposita pertinacia Croiensium singulorum animis pro cuiusq; ingenio tum dolorem, tum pauorem, tum furorem infudit. Senex impatiens magis explendæ iræ causa, q̃ ulciscendę eius ignominiæ ad arma, & omissam iam oppugnationem cõuersus, apparari scalas, & reliquas machinas pro subsequenti die iubet. Tota fere nox in eo uano labore cõsumpta, & tormenta quæq; suis ordinata locis. Ad custodiam castrorũ, & incursiones Castrioti, xxx. amplius hominũ millia equis iuxta stratis, frenatisq; relicta. Mane sub crepusculo auroræ, adductus sub muris miles, & in ipso procursu hostiũ ad munimenta machinarum furor utrinq; depromptus, sed fœliciores cadebant ictus nostrorum. Nam hostes tantum eos sentiebant, Barbari uero nihilo suis, q̃

Venetos conatur alienare hostis Croiensibus.

Libertas aduersis dijs nõ defendenda.

Croienses nouerant spernere ferrum non tantum uerba

Colloquium legati Turcici, cũ Vranacon te solo.

Q ij oppidanis

oppidanis equiores erant, et dum depellere ciuem à tutela mœniorum cupiunt, seipsos tũ cede, tũ timore periculi auertebãt. Vbi ea ſquitia reſedit, ad ſcalas uentũ, ibi ſicut uera apparuit uirtus, ita maior longe cladis oblata eſt occaſio, atq; momẽto temporis nudauere cuncta ſanguine, ac cadaueribus repleta ſunt omnia. Non potuit diutius in ſeipſum crudelis eſſe Amurathes, licet obſtinatiſſimo animo cepiſſet dimicationem. Quare di-

Turcã exprobrat infelicitatem ſuam dijs.

rempta pugna uelut furore correptus querulus conceſſit in caſtra, ibiq; per totam diem ſenile mentũ uiolentis manibus pertractãs, atq; erectis in cœlũ oculis iniurius deos ſuos cõpellans cũqueſtus eſt, quod canitiẽ ſuã ad hęc mala, ignominiasq; ſeruaſſent, ut omnis eius anteacta uita, ac Ottomanum nomẽ penitus eo modo deturparetur, resq; omnes per tot annos à ſe geſtas unũ ignobile Epiri oppidũ denigraret. Purpurati, & alij, qui proximi illi ſtabant, uarijs ſermonibus ſolabãtur hominem, pleraq; nunc uetera, nunc noua alienę fortunę, & externorũ regũ exempla ægro

Amurathes oratorem ſuũ ad Caſtriotum pro pace petenda dirigit.

nequicq; animo ſubijcientes. Poſtridie eius diei ſenex, licet haud ſatis firmus corpore, quũ tam efficax dolor totũ penè hominẽ cõfeciſſet, indicto cõcilio cũ ſatrapis (quatuor eſſe ferunt) duos Baſſas, Romaniæ, & Aſiæ, & duos quos cõſiliarios dicũt, multũ temporis conſultans de totius belli ſumma cõſumpſit. In tres ſentẽtias diuiſum conciliũ: Vna de proſequenda obſidione Croię fuit, & hybernis ibi ducendis, donec fames tandẽ diutina conficeret, & debellaret homines. Alia Croia relicta uniuerſo exercitu inſequi Scanderbegũ ſuadebat, ita ſi armis capi non poſſet, includi tñ fugientẽ aliquo loco poſſe ubi fame necaretur. Vltima, quũ ſatis tentata omnia, & expertam omnem fortunã, neq; morandum amplius per eam ignominiam, neq; perdendum per indignationẽ exercitum diceret, legatos ad eum mittendos decreuit. Qui tributariũ ipſum, & uectigalem Ottomani quoquo modo conſtitueret, ſi acceptare conditionem uellet, exigeretq; ab eo x. millia aureorum annua. In hanc, quæ tutior uidebatur diſceſſum, quippe quũ ſatis ampla uictorię ſpecies uideretur Amurathi, ſi priuſq; diſcederet ex Epiro, iugum eo modo impoſuiſſet hoſti, & uectigalem ſibi prouinciam feciſſet. Nam cõtinuandę obſidionis ratio ad animum nõ tranſmiſſa cõſideranti multa hyemis incõmoda, & q; prius obſidentes, q; obſeſſos eius rei tedia caperẽt. Commeatuũ pręterea inopiã ad eã multitudinẽ tanto tẽpore alendã, & quod maximũ erat, aſſiduas incurſiones, & irruptiones hoſtium in caſtra, neq; inſequendo per Epiroticos mõtes Scanderbego terendũ tẽpus uiſum, quũ & periculũ eo modo ſummopere timeretur. Quare unus multę uir autoritatis, cui Iſup nomẽ erat, ad id muneris electus, ſed ueritus ſenex nimis grandẽ forte pecuniã luſuram iri Epirẽſi, monuit legatũ, ut ſi ſubire hoſtis tam ingens tributũ recuſaret, ad quinq; millia tantũ rem redigeret. Vna ſupererat difficultas, q; incertũ erat ubi caſtrametatus eſſet Scanderbegus, & in ea incertitudine

Inuiolabile legati nomen.

peragrare prouinciã ad eum querendũ ardentibus bello omnibus, nõ ſatis tutum uidebatur, licet inuiolabile eſſet legati nomẽ, exoluere tñ ea cura

Tyrannum

Tyrannum captiui quidam Dibrenſes, qui libertate impetrata, ſi incolumẽ Barbarũ ad Caſtriotum perduxiſſent, ſolutis uinculis, lęti præeuntes hominẽ, ad caſtra ire perrexerunt. Tumeniſtus mons primũ recto itinere petitus, ibi non inuento Scanderbego, ad Iſimum fluuium in ora maritima conceſſere, ſed nec ibi repertus eſt: nam ſublatis per eam noctem ſignis in planiciem quam rubram appellant, tranſtulerat uaſa. Quare admoniti de eo Dibrenſes á quibuſdam incolis loci abeuntes inde ſine mora, minus horæ unius ſpatio (nam parum ab Iſimo diſtabat) illuc deuenere, & priuſq; intrarent caſtra, unus ex ducibus, relicto non longe legato cum ſocijs ad Scanderbegum cõceſſit, ſciſcitatus eius uoluntatem, an ſui adeundi regio legato poteſtatem faceret. Viſum primo Dibrenſem turmales ex lõgo deſiderio in amplexus, & mixta lachrymis oſcula effuſi ingenti plauſu excepere. Tum impigre deduxere ad Caſtriotũ, qui ubi uidit & audiuit hominem, eo perbenigne ſuſcepto, nihil immoratus quoſdam equites & pedites mixtos, Tanuſiumq; cum his ad accerſendum honorifice legatum Tyranni mittit. Eo in caſtra deducto, de mandatis quidem regijs nihil ea die relatũ, nam nox inſtabat, ſed humaniter ſuſceptus, lautoq; inſuper & opiparo acceptus conuiuio, in caſtris pernoctauit. Cęterum iuſſus Moſes cum expeditiſſimorum equitum agmine ſingula circumloca, ſaltusq; peragrans, atq; augens cuſtodias, ne per eum colorem Ottomanus aliquam fraudem moliretur, totam penè noctem eo in opere conſumpſit. Orta luce, Scanderbegus cõuocatis optimatibus, fecit copiam dicendi regio, ille cõpoſito iamprídem ſermone maxima arte, ſi modo tale quippiam perſuadere liberis animis poſſet, ſic exorſus fertur:

Dediſſent Dij iamprídem hanc mentem nobis Scanderbege, quã ad te hodie tandem longis admonitis malis, ſerius fortaſſe q; par erat, attulimus: neq; enim uel ipſi tot exercitus deletos, tot præclaros duces eodem extinctos fato uidiſſemus, neq; tu laceratum imperium quotidie in oculis haberes, & tot paſſim uulnera, ac gemitus tuorum exaudires. Sed ita natura comparatum eſt, ut ad pacem & æquitatem, niſi per ſanguinem et bellorum iniurias uenirí non poſſit. Quare æquo animo quod ſupereſt accipiamus, & has ſaltem reliquias melioribus Dijs ſeruemus. Satis inundauit per tot annos ſanguine humano Epirotica tellus, ſat deforme ſui ſpectaculum amœniſſima olim regio, & pulcherrima principũ ſedes præbet iam diu, ingẽtes uires, ac quaſi ſupra mortalium uota Amurathi Dij dedere, tibi minimas (ſi ad eum referas) ut libere loquar Scanderbege. Non pœnitendas tamen illas, tum militum, & tua uirtus, tum (quod maximum eſt) facit fortuna, ut præclare omnibus bellis oſtendiſti, quod & ipſi admirati ſæpenumero, licet in hoſte, & publice, & priuatim ſumus, dum ſuperbiſſimos Hungariæ populos & Græciam tot bonis affluentẽ tam facile perdomitam à nobis recordamur, ſola gens hæc inuicta ac impatiens dominij eſt reperta (nihil adulor hoſtis). Atq; utinam iſta uera non eſſent, quæ loquor, in uos tantũ, ut uideó, hucuſq; neq; fortes, neq;

Oratio Oratoris Tyrãni ad Epirenſem.

Collatio fœlicitatũ Turcæ et Scanderbegi.

fœlices ſumus. Verum enimuero hæc uobis potiſſimum timenda fortu
na Epirenſes, quæ forſan funeſto exitu credulos erexit ſpiritus, ut uelut
perpetuam illius poſſeſſionem amplexi, tandem ruatis: neq; tamen, ſi ſin
gulas fortunæ ueſtræ partes oculis proponatis, uobis quoq; parum ui
rium, & dignitatis hoc tam diutinum bellum abſtulit. Nam quamuis nõ
multa hominum iactura hucuſq; nobiſcum bellum geritis, Vbi Sfetigra
gradum eſt? Vbi latiſſimus eius oppidi ager? Vbi tot uillæ, tot ædificia,
tot prædiorum ornamenta? Vbi rerum omnium facies? Cur tam ferti
liſſima regio periit? Vbi tot horrea annonæ, qua omnes olim uicinas ur
bes, & Italiam ipſam replebatis? Vbi denicq; (ut ſileam alia) pulcherrima
Croiæ mœnia? quæ ita deformata iacet, ut uix ueſtigia murorum, & ſpi
rantes intus hominum uultus, nedum priſtinæ urbis formam retinere ui
deatur. Quid expectas ulterius? Vides quàm prægnantia tibi ſint ma
lis omnia, urbes aliæ captæ, aliæ obſeſſæ, caput ipſum imperij Croiape
nè ad nihilum redacta. Sola autem hominum adhuc reſiſtit pertinacia,
quæ tandem frangatur neceſſe eſt. Decreuit nancq; Amurathes auctis co
piis hyemem ibi omnem traducere, & aliam æſtatem, ſi opus fuerit, ac plu
res deinceps annos, donec fames tandem, ſi ferrum non poſſit, inijciat iu
gum hominibus, ſed hoc ita demũ, ſi tu quoq; mali tui ſtudioſus per eam
imprudentiam allatas has ad te pacis conditiones ſpreueris. En ex fune
ſtiſſimo hoſte ſocium te ſibi, ac tributarium cõſtituit Ottomanus, ſoluit
Croiæ obſidionẽ, aufert in perpetuum hoſtilia ſigna ex Epiro, & mauult
uectigalem ſibi ſine ſanguine prouinciam hoc beneficio deuincire, quàm
tam cruentum diutius iugum quærere uobis. Perexiguum uero pro ma
gnitudine officij onus imponitur. x. tantum annua aureorum millia præ
ſtari ſibi petit. Aliud nihil neq; ueſtrum quærit, neq; ſuum repetit. Pote
ſtis Epirenſes, potes Scanderbege pro tot oppidis noſtris in Epiro, tot
uillis, tot pulcherrimis rebus, quas non ullo hereditario iure, ſed ui abla
tas tamdiu poſſides, iſtuc citra dedecus & iacturã tuam concedere Amu
rathi iuſtiſſime petenti. An ignobilior Epiro Peloponneſus? An Cara
manus nobilitate tibi, uel potentia cedit, uel opibus? (ſine reprehenſione
temeritatis dixerim) cæteric; uetuſtiſſimi, & populi nobiles, à quibus
quotidie Adrianopolim tributa æquo & libenti animo afferuntur, præ
cipue quod hoc non ſeruitutis loco, ſed magis propter quoddam arden
tius fidei uinculum imponitur uobis. Diſcute uires tuas prudentiſſime
dux, diſcute fortunam omnem, neq; hodie tam pulcherrimam occaſionẽ
præterlabi è manibus ſine. Voles adhæc fœdera, ſi id neglexeris, nunc cu
pies forte redire quum non non poteris, quum mutatus rerum tuarum
ſtatus uictorum quoq; ſuperbiores ſentiet uultus. Sed dum tam ſtudio
ſus huius rei hortator apud uos ſum, magis quàm par erat pro grauitate
legationis, & dignitate Amurathis in hanc partẽ orationis incubui, nihil
tñ ideo reuoco quę dixi. Quinimmo ſi hoſtis apud uos aliquid poſſum
precibus rogo, obteſtorq; (ut dum licet) dum conſiliũ nõ mutat Senex,
ueſtri

Fame iugũ hominibus inijcere, ſi ferro nõ poßis.

Turca tributũ petit à Scãderbego.

ueſtri pariter, noſtric; rationẽ habeatis. Ecquid enim creditis, huius non
impetratę pacis, ſi id forte contigerit, dolorem Amurathis magis, an no
ſtros animos offenſurũ, noſtra hęc proculdubio, ac priuatorum capitũ
iactura, qui ex libidine eius hæc uilia corpora huiuſcemodi caſibus de
ſpondemus: & ſi ueſtro non poſſumus, noſtro plerunq; ſanguine ani
mũ eius exaturamus, erimus quotidie in uiſceribus ueſtris, dabimus ſan
guinem, & hauriemus, donec tandem uel tot ſatietas malorũ alterutros te
neat, uel longa pertinacia, & fatum aliquod utroſq; crudeliter abſumat.

Nondum finierat Barbarus, quod multo murmure confuſum conci
lium, plericq; immodico gaudio, quod defatigatum iam armis ſuis Amu
rathem, & uelut bello uictum uiderent, riſum nõ tenuere, quũ tanta pom
pa uerborum tributi mentionem proponi ſibi audiſſent. Alij ſub hac ſpe
cie pacis captare Amurathem ſe dicentes, ut quod hoſtibus non poſſet,
tributarijs olim paulatim iugum imponeret, hoſtiliter fremebãt, neq; uel
unus eſt inuentus (ita mortalium animos inflant res proſperæ) qui eam
pacem, q̃ bellum perpetuũ mallet, aut cogitandum ſaltem ſuper ea re di
ceret: Heu quo nunc abijt ille ſplendor gentis, illa nobilitas animorum,
eius inuictę uirtutis ſemina? Videbant Albani laceratum imperium, ur
bes alias captas, alias obſeſſas, auita iugera hoſtilibus operta armis, uxo
res, liberos, procul à conſpectu ſuo in timore, & lachrymis tabeſcen
tes, diſcerpi quotidie ante oculos corpora ſuorum, & manantia ſangui
ne omnia, tamen iacere magis quiſq; in ea fortuna, & licet non omnino
infœlicem, cruentam tamen libertatem fouere malebat, q̃ minimam con
feſſionem ignauiæ præbere hoſti. Scanderbegus igitur timoris neſcius
inter eos ſedato murmure conuerſus ad Barbarum, ne animi dubium, &
ſuſpenſum per contemptum ad Amurathem dimitteret.

Mortalũ animos inflãt res proſpere.

Haud abſimilis multum eſt, inquit, hæc tua legatio illi, quam Aiaradi
nuſq; dudum (ſi memoria teneo) attulit, qui in ipſis fermè imperij noſtri
auſpicijs quaſdam Epiri urbes, & Macedoniæ partem nomine Ottoma
nii allatis ad id ipſum literis petijt. Proinde ſatis tum uobis in perpetuum
credo fuiſſe reſponſum, nam neq; diminuta adeouſq; fortuna mea mihi
uidetur, neq; ueſtra ſic aucta, ut nouas has cõditiones proponere nobis
hodie honeſte poſſitis. Quod enim longo ordine amiſſum Sfetigradi
oppidum, diruta Croiæ mœnia, & corrupta in campis omnia recenſes,
uix id iacturæ loco computatur à nobis. Salua modo hæc capita ſint, in
columis miles, ſoſpes populus, recuperabuntur amiſſa omnia, deuaſtata
reſtaurabuntur, iuuantibus Dijs (mihi crede). Hæc mortalium manuũ
opera facile & deſtrui, & conſtrui facile conſueuerũt, modo artifices, mo
do fortes dexteræ nõ deſint. Sed dic quæſo, quando ita iuuat noſtra enu
merare, quanti empta hæc uobis ad hunc uſq; diem ſunt? Quanto Sfeti
gradenſis urbs, licet nõ uirtus ueſtra, ſed ciuium ſuperſtitio eam perdide
rit? Quanto Croienſis oppugnatio ſanguine ſtetit? Agite dũ, nihil inui
deo. Ita fortes, ita fœlices per omnia ſecula eſtote. Videam ſemper ipſo eo

Reſpõſio Epirenſis ad Oratorẽ Tyrãni.

modo ſigna ueſtra in Epiro, obſidete urbes, oppugnate, inſultate agris, corrumpite quicquid frugiferi tenet Macedonia, dum ea relinquatis fortunæ ueſtræ ueſtigia, ea fortitudinis ac uirtutis monumenta. Quare rogare potius uos, ut non diſcederetis, expediebat nobis, q̃ uel ea pecunia diſceſſum ueſtrum emere. Abſit ut uiuente Scanderbego uectigalem uobis prouinciam hanc ulla uideat ætas, uel hominum ullus audiat. Non ſi totius poſſeſſionem Macedoniæ, & omnes patrum noſtrorum ſedes reſtituatis. Non ſi mecũ diuidat imperium Ottomanus ea nota inuri Epiroticum nomen paterer. Fruſtra itaq; externa coaceruas exempla, fruſtra Peloponneſiacam fortunam, & Aſiaticas ſeruitutes, ac cęterorum oculis noſtris ſubiicis, & diſertando animis inculcas, quandoquidem nullũ eſt tam efficax exemplum, quod ad eam turpitudinem poſſit liberum ingenium inuitare. Nihil ulterius locutus eſt legatus, nec aliud quippiã hac de re contendere uoluit, aut iuxta conſilium ſenis de minori ſumma agere cum hominibus curauit, quum tam alienos ab ea re omnium animos uideret. Dimiſſo igitur concilio, ductus eſt cum ſociis apud Scanderbegum ad curanda corpora. Tum opipare acceptum, & honorifice habitum, Tanuſius cũ aliquot equitibus mille fermè paſſibus procul à caſtris eſt comitatus, ne libera militum licentia uiolaretur. Vix abſceſſerat è conſpectu legatus, quod Caſtriotus ueritus inſidias hoſtium, ſi eum locum non mutaſſet ſublatis ignis, Tumeniſtum copiis omnibus petiit, cuſtodibus paſſim per loca exploratoribusq; intentius quàm unquã antea feciſſet, diſpoſitis. Reuerſus legatus in caſtra, quæ in Tyranna minori poſita erant, ſicut dolorẽ Amurathi, ita ex ægritudine morbum quoq; ſummopere auxit. Quare eo magis quotidie inualeſcente, Satrapæ depoſita quaſi omni cura armorum ad curandum ſenem, illiq; medicamina adhibenda animos tranſtulere. Sed in ea morbi incertitudine, nullum efficacius, q̃ uerborũ remediũ uidebatur: nam impatientia doloris contractũ malum appoſitis ad id ipſum ſolatiis erat leniendum, & noua aliqua lætitia curandum. In eo ſtatu res perpaucos dies manſere, neq; non ſatis compos ſui omnino erat Tyrannus, ſed & audire ſuos, & alloqui ſatis cõmode poterat, atq; iubendo multa procurare, quę in rem uidebantur, donec Scanderbegus audita ęgritudine eius irrumpens bis, terq; in caſtra, quicquid fermè tum animi, tum corporis ſupererat reliquiarum exhauſit. Prima & ſecunda incurſio ipſius uix cruenta fuit, neq; aliquid dignũ memoratu geſtum, quũ ſolertiſſime inuigilarent Barbari ad defendenda caſtra, ac omnium animi eſſent magis ad ſe tutandum, q̃ ad alios laceſſendũ intenti. Iniecit ea res Scanderbego maiores, ac pœnæ maximos ferocię ſtimulos. Igitur noctem primum ut ſępius fecerat, ex ſe ipſa ſatis pauoris tumultusq; excitaturam ad ea conſilia amplexus, equitatu fermè omni ſecũ ducto Tyrannam petiit, nam commodior ab ea parte erat procurſo equiti, & magis opportuna iniuriæ hoſtium ſtatiua. Exacta media nox erat, quum appropinquans, Tyrannę ſtrepitu ipſo eques ſe prodidit, tenebrę

Morbus & ægritudo Tyranni.

maiores

maiores aſſueto erant, quod obducta multa nubium caligine cœlum uiſum omnem ademerat. Itaq; male potuit quippiam aduerſus impetũ uenientium prouideri, prouiſum tamen eſt pro tempore, ordinatusq; miles, ut exaudito, nõ uiſo hoſte, ſumi iudicium ualuit, neq; noſtris, minus iniqua, ſuſpectaq; ea habitudo temporis erat, & licet plus animi afferentibus, q̃ non expectantibus iniuriam eſſe ſoleat, tamen horror quidam inuaſerat pectora, & promouere uix ullus gradum audebat amplius. In ea utrorumq; hęſitatione Scanderbegus acceptis centum nõ amplius equitibus ex Anteſignanis, euolans è reliquis turmis maximo impetu ad laceſſendos hoſtes uſq; ad munimenta ipſa procurrit, inceſſansq; clamore ſimul, ac coniectis uerutis homines aliquot extra aſſignata ſibi loca protraxit, concitatos ad ſe aſſequendum opprimendumq;. Sed oppreſſi ipſorũ nonnulli ſunt, reliqui ſponte recepere ſe inter ſuos. Epirenſis per ludificationem aliquantiſper hac illac curſitans, excitare in ſe maiora agmina quęrebat. Vbi uero abire per eam inanẽ expectationem tempus uidit, & noctis aliquantiſper tenebras appropinquante die fugari animaduertit, reuerſus ad ſuos, abiecto omn reſpectu, ſumma ratione cum Tanuſio, Streſio q; (nam Moſes in Tumeniſto cum peditatu fuerat relictus) diuidit copias, admonitis q; ſingulis, quid facturi eſſent, ducit in hoſtẽ. Miſſilibus primus furor exatiatus, ac maior pars dimicationis per coniectum telorum acta. Nam Caſtriotus timens, ne ſi confunderentur ordines, diſcrimen ſuorũ hoſtiumq; periret, negabat militi cominus inferre gradum, neq; ad gladios ueniſſet res, ni regij multitudine freti, inſigne agmen ſuorum à leua parte miſiſſent, ut noſtros medios interciperent, quos ubi aliquantulum à reliquo robore progreſſos uidit Scanderbegus relictis munimentis ociſſime ad id latius cõuerſus, diuiſis & ipſe uiribus, ut utrinq; pugna non intermitteretur, maximo impetu aggreſſus eſt. Non ſegniter primo impetu excepere Barbari, ſperantes mox à caſtris affuturum ſubſidium: tamen ubi tarditate ſuorum dilabere paulatim uires ſibi, & hoſti creſcere cum uictoria ipſa ferociam uidere, uerſis ad tentoria equis, fuga, qua ſola poterant, ſe ſaluarunt, plures tamen ante fugam cecidere, ſimul et ex noſtris nonnulli. Streſium etiam Tanuſiumq; iam exoriens lucifer, & inualeſcens ſemper uis hoſtium terga uertere coëgit, inſecuti ardentiſſime hoſtium ordines eam noſtrorum paucitatem eſſent, ſed ne animũ Tyranni offenderẽt abiecta cupiditate ultionis ad dãna ſua recenſenda ſunt cõuerſi. Præter cædem alia deformatio caſtrorum non fuit, neq; prædę quippiam ablatum, niſi aliquot priuati in occiſorum ſpolia, nam pro uallo non intra munimenta & ceptum & finitum eſt certamen. Purpurati maximo conſilio cęlauerunt eam cladem Amurathem, ne maiora præberent alimenta dolori, tamen nihil ſolicitum ſenem fefellit, quod & publicum murmur, & priuatæ uulgi querelę facile eam calamitatem inclinato ad male ſuſpicandum animo, prodidere. Hoſtis captato tempore prætorium ipſum cruentis ſignis irrũperet, relinquere obſidionẽ, & ceptum

Opinio purpuratorum et ſatrapum, adualetudinem Tyranni recuperandam, et ad repellẽdos Caſtrioti impetus.

tanto

tanto odio bellum pudor prohibebat. Suadebant tamen nonnulli Tyranno, ut maiori parte copiarum Croiæ relicta ipse Adrianopolim repetens, saluti suæ consuleret, abituram quoq; uim omnem morbi, si ex eo calamitatis spectaculo, & cruentissimo hostium aspectu abiret, sed ingraue scente quotidie malo, & deficiente paulatim spiritu, sensere omnes eam uim olentiam fati nulla satis posse loci mutatione, nulla ope, uel consilio humano excludi. Quare licet iuuasse medicamentis (ut nunc̄ mortalia pectora spes deserit) confectum corpus non desinerent, uelut orbati magistro nautæ pro se quisq; procurabat omnia, quibus saluari ab ea tempestate exercitus posset, sublatisq; tentoriis quæ late dispersa magis obnoxia iniurię, & opportuniora hosti erant, angustiori circulo redacta sunt castra, firmataq; maximo & armorum & armatorum robore, munimenta, sic omnibus ordinatis expectabant, aut mortem Tyranni, quæ finem tunc armis faceret, aut ualetudinem forte recuperatam, quæ eam obsidionē nouis consilijs stabiliret. Nihil horum latebat Scanderbegum, nam tum ab exploratoribus uisa omnia ponebantur ante oculos, tum cętera magis intima hostium, consilia à transfugis aperiebantur, quorum plures quotidie ad ipsum & reliquas urbes confugiebant, maxime ex quo credi expectaricq; indubitate mors regis uulgo cepit. Epirensis itaq; auerso ab assuetis irruptionibus animo reseruabat & ipse ferociam omnem in mortem Ottomani, tamē per Crainum montem pergens interdiu, noctuq; sæpe, Vranacontem alloquebatur, crebris quoq; agminibus oberrans per colles uicinos, si intercipere seruitia aliqua exercitus posset, uel eo solo aspectu dolorem hominibus incutiebat, sed modicum temporis in ea rerum cessatione, & hostium mœrore & expectatione abijt: nam Ottomanus illo triduo expirauit. Ferunt tamen eum, quum adesse iam sibi extremū uitæ diem sentiret, lectulo cubantem multa cum purpuratis suis longis querelis egisse, quod tam sordido exitu fata omnem suæ anteactæ uitæ tenorem sugillassent, ut qui totiens Hungaricā ferociam inhibuisset, & insolentiam Græcorum cum ipso penè nomine sustulisset, sub ignobilis castelli mœnibus & oculis tam pudendi hostis infamem reddere spiritū cogeretur. Deinde ad Mahumetem cōuersum, commendasse maximo studio illum fidei suorum, monuisseq; multa, cum nunc audientibus alijs, nunc summotis arbitris, licet & defectum iam uiribus corpus, & manantes ex aspectu filij per ora lachrymæ senis uocem impedirent. Illud sępius iterabat, contemnendum nunc̄ hostem, de eo se uno pœnitentiam toto uitę suę tempore egisse, & apud Tartara (si modo extincto corpore pars ulla hominis remaneat) post hac acturum quod per contemptum paulatim educato hoste, eam sibi ipse calamitatem, & notam in perpetuum, Ottomano nomini inussisset, dum tam sordide sub Croiæ mœnibus extinctum totus terrarum orbis, & omnis deinceps ętas uelut fabulose referat. Opprimendum tum transfugam fuisse, quum per scelus illud in Hungaria sceleratū uindicauit imperium. Tum in ea rerum nouitate, & nondum firmatis populorum animis deleri incruentis fermè omnibus suis cum nomine ipso hominē potuisse. Non Alybassam, qui primus alimenta ferocię eius & fœlicis auspicia fortunę dedit, nō alios fuisse mittendos, quibus tum captis occisis ea & uirium sibi fomenta, & fidem apud subditorum ingenia perstruxerit, ut ipse totiēs tanta ignominia, & imperij iactatione uix fando isthęc crederet, nisi experientia magistra suo malo edoctum esset. clx. amplius millibus armatorum dicebat, intrauimus Epirū, & hic consedimus. Nunc si uacat, cōferte capita, discutite omnia, animaduertetis quantum de summa sit detractum, nō poterat homines tenere locus. Hodie quot tētoria uacua? Quot errantes sine dominis equi? Quā diminutis longe copijs Adrianopolim repetetis? nam spiritū hunc Epirotico solo deuouere fata. Sed quid impedimenta, casusq; fortunæ imputo mihi? tum enim primū hæc malorū semina orta in Epiro, at quantis cum tot bellorum motibus ardebat Hungaria, Eugenij, ac cętterorum Christianorum concitans in nos arma? Quum non de Epiri, sed totius possessione imperij certabatur, ut Varnenses, Basilienses q; labores præbent omnibus documentum. Ita dum ad tot negotia neq; tempus, neq; uires sufficiunt, creuit hic hostis, ut uidetis. Quomodo autē posthac cum eo, quaue arte belligerandum sit uobis, consilium à me expectare non debetis, qui tam iniquus mihi ipsi æstimator in rebus omnibus fui. Nunc̄q; magis cogitatus meos fefellit fortuna, fœlicior tu fortè bellator cōtra eū futurus Mahumetes, & pro tot datis honoribus mihi, Epiroticum forsan tibi triumphum seruauere Dij. Accipies itaq; sceptrum hoc, & alia regni insignia fili, ac interea prȩcipue hostem hunc, ne inultam mortē hanc sinas. Id unum pro tam amplo honorificoq; patrimonio tibi sumito, ea solum uictimam seniles manus exposcunt. Posthęc dicta obmutescens, dimidium ferè eius diei in angustia spiritus consumpsit, tum obortis ante oculos tenebris, petitam tot Christianorum odijs animam exhalauit. Operęprecium nunc est audire hęc, & uidere eos, qui tanta mercede rerū humanarum statum licentur, & credunt, ita cōcedi alicui posse perpetuā fortunæ possessionem, ut non aliquo temporis momento interpellari queat. Quid Amurathe quondā maius? Cui splendidior fama uiri (cæterorum uenia dixerim) toto orbe terrarum extitit? Quæ attestatior fortuna fuit? Quis speciosiores ea ætate triumphos tulit, & tot uictorum regum, ac superbissimorum populorum spolijs obsoletum iam Ottomanum nomen, ac Barbaricas domos ditauit? Hic domestico furore inhibito, ac fraterno sanguine (ita regni libido licere omnia facit) sumptis fortunæ auspicijs, primus insanienti Græciæ libertatem extorsit, & fixo in uisceribus eorum imperio, acceptisq; inde uirium alimentis, deinceps cæteros populos Christianos tot afflixit calamitatibus, ut eas enumerare sit difficile. Hic primus murum Græcorum in Peloponeso faucibus iuxta Corinthi Isthmum, quem Heximilium nunc uulgo appellant, diruit, & peruiam sibi undequaque Europam fecit, qui tot regna

Vltima Amurathis uerba, cū proximus esset morti.

Amurathes moritur.

Fortunæ possessio non est res perpetua.

Gesta Amurathis sub compendio recensita.

Corinthi Isthmum Heximilium uocant.

regna in Asia, urbesq; nullo hæreditario iure, sed uirtute sola obtinuit, exercitus fudit, reges bello uicit, atq; superauit. Qui etiam rege Hungarorum occiso, Hunniadem ingentis nominis ducem, ac bellatorum illum strenuissimum non semel fugauit, easq; fortunæ sponsiones animo uoluens suo, totius orbis terrę dominium, ac Christiana imperia omnia spopondit sibi. At nunc q̄p dispar hominis animus, q̄p anteactæ uitæ dissimilis oratio fuit, ut tam sordide in oculis contempti olim hostis conqueri, & gemere tā fœde sit auditus. Quo inuicti illi spiritus, & imperiosa uox abierat? quā tot duces legiones, tot armatorū millia, timidis auribus audiere. At nunc q̄p alius hominis uultus, alia facies, aliud spectaculū? Vbi caput illud tot decoratum triumphis? Vbi insignis sceptris dextera? laceet deforme cadauer, cōpressę manus, exporrecti pedes, qui tot glorioſe terras uictrices calcarunt, neq; quippiam de tot bonis, tot laudibus caducum sibi corpus retinet. O imbecillem humanæ naturæ conditionem. O inanem mortalium gloriam. O cæcas hominum mentes. Quid iactamur? Quid extollimur? Quid est quod dignitates, opes, potētiam, tantopere flagitamus, perpetuo scilicet his frui cuiquam datum? O mira rerum mutatio, fluxa humani imperij gloria, & ludentis fortunæ iocus. Corpus eius unguentis, aromatibusq; conditum seruatum ornatissime est, humandum postea in Bursa Asiæ oppido ex more gentis.

Deploratio humanæ imbecillitatis.

Mahumetes mox rex salutatus, mors senis, quo magis potuit silentio tecta est à purpuratis, ne eius rei fama ad hostes transiret. Per noctem collectis uasis, ac paratis ad discessum omnibus, incerta adhuc luce, sublata sunt signa. Mortuum autem Amurathem ferunt circa autumni dimidiū, quinto, postquam obsideri cepta fuerat Croia, mense. De illius uero ætate uariant homines, sed nullus quintum & octogesimū annum attigisse negat. Inuitus profecto Mahumetes eam obsidionē, & tam ignominiosum bellum reliquit: sed coactus est ire Adrianopolim ad ueterem morē in sumendis fascibus seruandum, & seditiones, si quæ (ut fit) in ea rerum mutatione orirentur, extinguendas. Non deseruit uestigia eius Scanderbegus, nunc urgens, nunc carpens postremos, donec egressum omnes imperij sui fines uidit, tū duplici ouans lætitia, & Amurathē tam ignominiose de medio sublatum, & fugatas hostium reliquias uideret, ad suos reuersus Croiam recto itinere petijt. Oppidani iam ingenti desiderio cum Vranaconte urbe egressi, madentes adhuc sanguine campos, & possessa tamdiu ab hostibus loca oberrabant, morabantur ubiq;, perlustrabant omnia, uix uisis singulis ac perscrutatis satis credentes sibi, ita infixus iam pridem horror uiris nōdum suspensa pectora reliquerat, Scanderbegus maximo concursu uulgi exceptus est. Vranacontes primum inter multos amplexus deosculatus, cæteri deinde ex more, uulgus nunc ad pedes ducis prolapsum, nunc uestimenta eius apprehensans, cupida (ut solet) illis oscula figebat. Quantum magis potuit ab ingenijs humanis clamore, cantibus, & omni genere instrumentorum expressa lætitia est, nō cam

Mahumetes inuitus redit Adrianopolim.

Scanderbegus excipitur à Croiensibus.

panarum

panarum tinnitus, nō perennes tota nocte accensi ignes per multos dies cessauere, conuiuia, epulæq; per totam urbem, uicosq; omnes & compita lautissime celebrata. Croienses pro fideli opera gestisq; rebus egregie sunt tum publice, tum priuatim laudati, præsidio ultra præfixa stipendia ingens pecunia, ac uestimentorum magna uis erogata. Vranaconti præaurum argentum q̄p clamydes duę purpureę, unaq; auro contexta dono data, & quatuor deinceps uillæ. Postremoq; non expectatis fascibus decoratus est, ac totius Dux Aemathiæ designatus. Sed illud in primis à Castrioto non omissum, quum eius uictoriæ nuncios ad omnes principes & populos uicinos mitteret, quare ingens undiq; concursus quotidie erat, multi quoq; (ut fit) nouæ tantum fama rei propter morte Amurathis excitī, tanquam ad insuetam aliquam pompam spectaculi uenere. Peruagauit is rumor breui totum fermè orbem terrarum, non expectatior tum, non lætior nuncius Christianis omnibus esse potuit. Respirauit Hungaria, recepit Græcia spiritum, ac laxata uelut sibi credidit uincula, omnium animi inani illa spe sunt erecti, dum eam regum mutationem fortunæ quoq; suæ statum expectant innouaturam. Heu fallaces cogitationes, & miseriora miserorum refugia, sublatum uidimus Amurathem, defuit ne ideo cruentior hæres? Huius certe nobis interitum post longa tandem mala lachrymis nostris concessere fata, idcirco ne cum Mahumethe nostræ abiere sordes? extincta calamitas est? Compressis scilicet manibus sedemus, mutuis inter nos odijs cerrantes, & ea uana credulitate mortalium cū unius hominis capite tantam hostium fortunā credemus? Facturi tamen tum demum, & præpropere forsan (quod ominari horret animus) finem querelis, facturi malis sumus, quum & reliquarum nostrarum finem faciemus. Verum enimuero nunc lachrymis omissis, breuem hanc lætitiam cum cęteris sequamur. Iam certatim gratulationes ad Scanderbegum, uel ab externis gentibus aduolabant, diffusumq; præcipue tunc est per ora populorum celebre uiri nomen. Croia morte Amurathis tunc nobilior, quàm Argos olim Pyrrhi morte reddita: sed ad eas gratulationes ingens quoq; à Christianis ducibus gratitudo, & animorum munificētia accessit. Nanq; Nicolaus tum Romanus Pontifex, Ladislaus Hungariæ rex, & Philippus Burgundiæ Dux legatos contentione quadam ad eum cum ingenti auri argentiq; pondere miserunt, quum satis scirent eum tam longis bellorum incommodis exhaustum tali auxilio indigere. Alphonsus quin etiam Arragonum rex (utpote qui longo cæteros interuallo in amando Scanderbego superabat) ad maximam pecuniæ summam illud quoq; addidit. ccc. millia modium tritici, c. hordei, quum audisset sementem fieri prohibitam ab hoste in Epiro, & quę facta fuerat corruptam. Multos quoq; artifices pecunijs suis conductos, ut Croiæ muros instaurarent, quos dirutos à Barbaris nouerat, misit. Castriotus instructis ludis omnis generis ea pulchritudine spectaculi famā ipsam uictoriæ mirum in modum auxit, alter iam exercitus sub Croia uidebatur

Vranacontes dux Aemathiæ

Gratulationes ad Scanderbegum ab externis gentibus.

Nicolaus Pontifex Romanus.

Ladislaus Hungariæ rex.

debatur, tanta undiq; multitudo confluxerat, non ſpectatorum tantum, ſed lectiſſimæ iuuentutis ad propoſita ſibi præmia expetenda, non uidebatur uſq; adeo mirabile hominibus fractas ab Albanis fuiſſe uires Amurathis, intuentibus eam militarem ætatem, & uirorum robur circa Scanderbegum aſpicientibus. Redierat uere tunc uetuſta nobilitas Macedoniæ, & ſecula illa Alexandri, Pyrrhiq; iam obſoleta, in integrum reſtituta uidebantur.

Seculo Alexandri & Pyrrhi nobilis Macedonia. Vide Plutarchũ.

HIC BELLI FINIS CVM AMVRATHE FVIT.

MARINI BARLETII SCO

DRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Præfatio.

NVO STVDIVM MEI STVD SCRIBENDI LONGIVS PROuehit, eò creſcere magis cum magnitudine ipſa rerum labores uideo mihi. Et nunc ex uero (quod in principio operis teſtatus ſum) conſideratam illam ſuſpicionem, non inanem timorẽ in hoc onere ſuſcipiendo ipſo rei experimento fuiſſe agnoſco. Nam licet aliquam partem itineris emenſo, imminutus quoq; paulatim labor foueret ſpe animum deberet, & maiores ad reliquum exoluendum corpus, expoliendumq; ſubdere ſpiritus, nõ ideo minus me hoc onus conficit, quũ & progredienti longius deficiant uires, & peractæ iam uiæ incommoda quæ ſolatium aliquod peragendæ poſthac afferre deberent, è contrario ipſa laboris extimatione atq; memoria, non contemnendum incutiant timorem, quum nihilominus ardua difficiliaq; mihi reſtare nunc uideo. Quis enim (ut Italicæ fortunæ, & Apuli triumphi nulla ſit habenda ratio) bellum cum Mahumete geſtum, illi quod cum Amurathe decertatũ fuerat prius ulla ſui parte, uel rerum, ac periculi magnitudine, uel longitudine temporis, uel cauſis ipſis comparauerit? Quippe quum toties non incruentis Epiroticis ſignis de ſumma imperij ſit certatum, & ad externa confugientes auxilia noſtros aliquando uiderimus, neq; res ulla finem armis, niſi mors alterius fecerit. Cauſas uero eius odij acriores omnes hic fuiſſe quis neget, & ſingula ad hoc bellum maiora præbita alimenta, quum amiſſa tantum poſſeſſio Epiri, & accepta in parte imperij damna Amurathi arma induerint. Mahumeti non hæc ſolum, tamdiu pertracta, & ueluti iam cocta, uerum recens patris fatum, & intolerabilis iniuria rabiem uerius quandam & furorem iniecerint. Huius præterea tum ętatis impatientia, tum ſuapte natura ferox ingenium, & ſitiens ſanguinis, præcipue

Italica fortuna. Apuli triumphus.

præcipue Chriſtiani animus, omnem cupiditatem, ſęuitiamq; paternam facile ſuperauit. Nam ad imperium quantum addiderit, indeq; paribus uiribus ac odijs in nos ſit inuectus, Conſtantinopolitana fortuna (ut ſileam alia) ſatis efficax documentum præbere poteſt. Quare nõ ab re censui, tanta rerum molimina præcentione aliqua in medium deducere, & noui hoſtis apparatus noua etiam præfatione recenſere, atq; ita paulatim nunc uentis, uelisq;, nunc remigio, uelut nautæ faciunt, alta æquoris ſecans ad præfixum animo ſignum properare. Vel ſicut onere aliquo, & labore itineris preſſus uiator, nunc refocillat uires, nunc alternis manibus, ceruice, humerisq; geſtat pondus, nunc trahit, donec præſtitutum attingat locum, ita ipſe nunc amœnis diuerticulis conſulam mihi, legentibusq;, nunc ſi aliter nequeam tractum pedibus (ut aiunt) onus qualicunq; exitu claudam.

Cur nouã hic poſuerit præfationem.

MARINI BARLETII SCO

DRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Septimus.

TYRANNI MORS ADRIANOPOLI AVDITA, creditaq;, uarios animorum & rerum motus excitauit. Optimates urbis (utpote qui nunquã uel imperium, uel fortunam Amurathis faſtidierant) maxime eo nuncio indoluere, ac luxere diu Senem, tũ ob communem iacturam) nullus nanq; ad eam diem Ottomanę gentis uel charior ſuis, uel iuſtior in hoſtes fertur fuiſſe, tum quod eam regum mutationem non ſine multis priuatorũ incommodis futuram ſciebant. Præſcruida tamen ingenia, rerumq; nouarum cupida, nullus ſatis profecto tetigit dolor, quin erecta ſunt magis & in ſpem adducta, quum Mahumetis & ferocis ingenij, & adoleſcentis ſceptrum longis iampridem uotis exoptaſſent. Vulgus ſuopte ingenio auidum rerum mutationisq; maxima lætitia nunciata audiuit, indeq; Ianizari, qui filij Principis appellantur, armati per urbem peruagantes (ea enim licentia, uel peruerſa potius conſuetudine, in funere Regum gaudent) multa priuatorum bona, Chriſtianorum præſertim, atq; Iudæorum, quorum inuiſa Turcis nomina, impune dirípuere. Confluxerant præterea, & confluebant indies ex omnibus partibus homines ad eam nouitatem rerum, & nouorum faſcium ſpectaculum uidendum. Quare uenienti cum exercitu Mahumethi incredibilis prope multitudo obuiam proceſſit, ſed Ianizari quos diximus, primi omnium, à quo quum ex more ueniam ſcelerum, & rapinarum factarum in urbe æque facile, ac pe

Motus atq; tumultus in Adrianopoli ex morte Amurathis.

Ianizarifilij principis bona Iudæorum & Chriſtianorum inuadunt

Mahumetes fit rex Turcarum.

ticre impetrassent, acceptum deinde intra mœnia ingẽti lætitia, ac magno plausu uulgi in regiam perduxere. Tum ab omnibus summus princeps conclamatus, & ornatus diademate, sceptroq́, ac cæteris regijs indumentis, in sedem paternam multis supplicationibus populi, uotisq́ repositus est. Aerarium, Aresaucíq́ ei eodem tenore traditi. Obedientia à purpuratis & nobilissimis quibusq́ iureiurando promissa, aurum, argentumq́ passim per uicos omnes diffusum, ac militibus magna uis pecuniarum erogata. Ita uetustus mos gentis, & solennitas in faciendis regibus ex parte seruata est in Mahumethe, ex parte non seruata. Nam primum omnium consueuere principes Turcarum filios, uixdum pubertatis annos egressos, procul à se, & extra Europam in longinquis Asiæ locis tenere, illa forsan ratione, ne (quæ uix ullam satis præterit ætatem, personamq́) regnandi libidine parentibus insidientur. Quum uero rex ipse moritur, uel morti creditur uicinus, Satrapæ & alij quorũ maior autoritas ad populum, & cura imperij, atq́ rerum publicarum, prout quisq́ affectus est regiæ proli, nuncios, literasq́ alij ad alios mittunt, monentes de singulis, & solicitantes aduentum illorum ad modo non iacens sceptrum occupandum. Quinimmo ea cõtentione purpurati, dum amiciori sibi quisq́ ex regijs liberis imperium seruare quærit, literas inter se, nunciosq́ latenter adhibita fraude intercipiunt, ne celeritate ab alijs præueniãtur. Nunc alijs relinquo cogitandum, quibus uotis, quo libidinis æstu iuuenes admoniti ad eam magnitudinem præmiorum undiq́ prouant. Tamen qui primus littora Hellesponti contingit, uel ei regni insignia manent. Nam prodeuntes obuiam, lanizari cætera deinceps (ut narrauimus) per securum ocium in eius potestatem redigunt. Cæteri fratres propelluntur extra omnes imperij terminos, uel interficiuntur, ne aliqua seditionis causa supersit. Vnde fluxit illud apud ueteres: Fœlicius priuatis, quàm regibus liberos nasci. Cæterum istorum nihil Mahumeti contingere potuit, quũ neq́ alij adessent fratres ad gubernacula imperij apti, neq́ ipse priuatus ex Asia, sed magnis uiribus ex hostili solo referret signa, ubi primum (ut dictum est) militari consensu, & totius exercitus sanctione rex fuerat designatus. Quare præter tumultum, periculumq́ ullum quietissime imperio est potitus, neq́ ea lætitia populi multis diebus intermissa. Abierat iam cum dolore ipso nuper amissi ducis memoria obliti recentis ignominiæ, ac Epiroticæ fortunæ omnium animi, euanuerant recentes clades, ac fumantia adhuc funera sociorum, uixq́ ullus deformati reliquias exercitus præ ea noui spectaculi pompa uidit, uel succurrit desipientibus lætitia, quod uirorum robur, quam speciem ordinum misissent in Epirum, & quam recepissent. Cæterum impatiens ocij, ac insitæ ingenio crudelitatis Mahumetis ad res imperij alias firmandas, alias innouandas conuersus primum omnium inuestigauit, an proles alia extaret ex Amurathe, & frater ullus sibi alicubi terrarum educaretur, in quem ex more gentis ageret, & regium odium expleret. Obtulisse ferunt Calybassam

Consuetudo Turcarũ principum, ut libe ri longissime absint à parentibus.

Fœlicius priuatis quàm regibus liberos nasci.

Calybassam (ut noui animũ regis conciliaret sibi) infantem Calapinum nomine, sextum agentem mensem, quem ex Sponderbeij nobilis uiri filia nouiter in matrimonio sibi iuncta susceperat Amurathes, & moriens fidei hominis commendauerat. Mahumetes ubi adhibitis peritis mulieribus, certã patris sobolem esse cognouit, necato illico infante, funus eius honorifice egit, sicq́ diri auspicia regni sanguine fraterno consecrauit. Alij pro Calapino alienũ puerũ suppositũ à Calybassa dicunt, educatũq́ illum & postmodũ cũ reliquijs naufragij Byzantini Venetias allatum, ac deinceps Romę Calyxti tẽporibus sub custodia in aula Pontificũ fuisse. Ego neutris assentior, sed uix tolerabilẽ errorẽ in omnibus inuenio, quũ non uideatur simile uero, ut Amurathem octogesimũ iam egressum annum generasse filios dicamus, ni hanc tam raram liberalitatem naturę nostra senserit ętas, quam in Masinissa illo, & Catone prisca experta sunt secula. Vtcunq́ sit, haud in magno discrimine pono, dummodo quod re ipsa fuit, diluceat. Libenter nanq́ neq́ ipse errare uellem, neq́ alios reprehendere, sed ea est historię norma & lex, ut uersanda discutiendaq́ multa falsa mixta ueris sint, quo uelut in purgatis aquarum riuulis nitidior haustus relinquatur ad hæc nostra properantibus. Sequutus eam seuitiam Mahumetes (ut nihil penitus de sceleratis eius initijs omittã) nouis quotidie criminationibus in purpuratos domesticosq́ confictis, & nonnullis eorũ crudeli supplicio sublatis, breui (quod iampridẽ priuatus agitauerat) formidabilem se magis q̃ regẽ decet, ac inuisum propè populorũ animis fecit, ueterũ sanctiones, ac instituta maiorũ, et leges ipse suas domi forisq́, nũc corrigẽdo, nunc supplendo oẽs ferè innouauit. Nouisuecti galibus subditos onerauit, & ad copias augẽdas, ac ærariũ locupletandũ magis q̃ alius quispiam animũ intendit. Nam (quod ad reliqua attinet uitia) inter cæteras eius sordes auaricia quid maximum numeratur, ut in uestitu uictuq́ parcissimum fuisse dicant, sagacissimum supra hominem ingenium, ac cupidissimum rerum magnarum nemo illi nõ ascribit, crudelitate, & ferrea (ut aiunt) uirga omnes excessit mortales, modicũ discrimen inter suos extraneosq́ fecit, uix mitior domestico q̃ hostili sanguini, perfidia in homine maior nõ inuẽta, nõ fidẽ ulli, nõ promissa seruauit, sed non illecebris, omniq́ libidinum genere ferox animus abstinuit, tñ si ne controuersia tum peritus, tum fortis bellator; laboris ac uigiliarum patientissimus, religionis simulator non ineptus, uinum de more gentis nõ bibit, linguã, literasq́ Græcas, Persicas, & Arabicas calluit, historias uersare, audireq́, amor illi in uniuersa uita fuit, astrorũ ac syderũ præcipuus obseruator, ut oĩa acta, agendaq́ sibi ad eorũ cursus referret, neq́ defuit sæuitię illius mixta quoq́ quędam seueritatis ac iusticię species, ut peruia omnia, tutissimaq́ itinera eo imperante essent, abolitumq́ penitus latronum ac prædonum nomen. Et (ut habitum etiã ipsum oris, corporisq́ perstringã) mediocris, uel modica potius statura tam ingẽtes claudebat spiritus, uultus animo non dissimilis, aspectusq́ toruus, terribilis, nasus

Calapinus Amurathis filius necatur à Mahumete.

Autor diuersa se sentẽtiæ est.

Historię norma & lex.

Mahumetes magis se formidabilẽ, quã regẽ declarat.

Auaritia Mahumetis.

Dotes bonæ & malæ Mahumetis.

Historiarum amator.

Astrologus.

Hostis latronũ & prædonum

obcuruus, pallidus color, corpus quadratũ, ac mẽbra robuſtiſſima, eaq́ uis brachiorũ, ut olim quũ apud Amurathẽ patrẽ Scãderbegus ageret ex omni regia iuuẽtute in arcu tendendo à ſolo eo adoleſcẽte adoleſcẽs ſuperari uix pateretur. Magis fortaſſe q̃ par erat, ad Mahumetẽ intendimus animũ, quandoquidem nõ eius mores, uitamq́, ſed Scanderbegi ſcribere promiſimus. Voluí tamen in hoc cõmunis uoluptatis rationẽ habere, quippe quũ nõ ingrata hęc poſteris qualiacunq́ futura putem, ut tã prędari ducis, & hoſtis alioquí nominatiſſimi, interiorẽ, exteriorem q́ habitum hic uelut in ſpeculo poſitũ haberent. Quũ neq́ minima pars laudis noſtri ducis in eo uerſetur, et eò magis fortuna q́ uirtusq́ eius ſpectatior reddatur, quò magis hunc nunc deprimimus merito, nunc extollimus.

Inſtauratio urbis Croiæ.

Dum ſic hoſtium animi ad nouí principis contemplationẽ eſſent conuerſi, & eius cura ad domeſticas res tranſmiſſa, Caſtriotus interea inſtauratione Croiæ, & murorum reparationẽ maxima diligentia aggreſſus totos dies in eo opere conſumebat. Munimenta uetera, quæ partim diruta, partim quaſſata, nonnulla etiam demolita erant, omnia renouauit, auxitq́, & in elegantiorem firmioremq́ ſpeciem reformauit, q̃ ab antiqua ſimplicitate fuerant conſtructa. Quum nullus tormentorũ uſus, nullum machinarum inuentum urbium ſalutem tunc infeſtabat, in militum tantum pectoribus, & fortium uirorum dextera omnia bellorũ munia erãt repoſita. Atq́ utinam adhuc tam inſignis inuentor artis lateret, & eo munere noſtra carerent ſecula, plures fortaſſe Hectoras, plures Epaminundas, plures Scipiones haberemus, neq́ tam prompta deditio ciuitatibus eſſet, & paſſim ad perfidiam fideliſſimorum populorũ animi cogerẽtur. Quod ſi priſca tempora id genus inſidiarũ ſenſiſſent, non eouſq́ uel militum, uel ducũ proceſſiſſet uirtus, non occiſi laudem Hectoris Achilles, Aeneas Turni, Tolumnij Coſſus, ſed humilis aliquis de plebe uir, & uile mancipium habuiſſet. Non decennalis obſidio Troiæ totius penè orbis oculos, uiresq́ in ſe cõuertiſſet, & per omnes ætates tot præclara ingenia excitaſſet ad ſcribendũ. Non Tarentinã tã diutinã oppugnationẽ mirarentur, Segnius, Saguntũ, Numantiaq́ celebrarentur. Taceretur Petilia in Brutijs, Non Pœni ducis furorẽ obſcurũ Caſſilini oppidũ totiens contempſiſſet. Itaq́ quantũ dedere inuentis ſuis hinc nobis (ut aliás multis laudibus extuli) materię ad ſcribendũ præclara noſtrorũ temporũ ingenia, tantũ abſtulere inde, uel multo magis quidẽ. Iam nõ amplius uera apparere uirtus poteſt. Nullũ gladio, nullũ ſcuto artificiũ, oĩa iſthęc uana, irrita oĩa. Quid melius? Eminus gerũtur bella. Sedẽdo nũc oẽs uincimus, quod de Romanis tantũ olim dici cõſueuit. Cęterũ ut unde egreſſa eſt, eó redeat oratio, ad portã ipſam urbis turrim ingentẽ ſolidiſſimã cõſtruxere, nõ tñ prærecta facies murorũ relicta, ne opportuna iniurię eſſet, ſed uelut iacens, ut facilius eluderet ictus machinarũ. Nos à forma pedis ſcarpã uulgari magis proprio uocabulo eam appellamus. Tum reliquæ partes urbis intus, extraq́ nunq̃ intermiſſo opere ſumma ratione reficiebãtur.

Comparatio ætatis Scanderbegi ad hanc noſtram

Bombardorũ uſus utinam non eſſet.

Vera uirtus apparere neq́uit.

Sedendo uincere.

Inter hęc

Inter hæc agenda purpurati, ac principes conſanguinei Scanderbegũ quieſcere non ſinebant, cupientes iam ad magis domeſticas res, & curam prolis ſuſcipiendæ animum eius traducere, quum libera metu omnia dicerent, exhauſta pericula, hoſtes tum recenti clade, tum nouis rerum motibus, & mutatione regis ab omni belli cura auerſos. Non defraudandos ulterius eo gaudio populorum animos, ac ſubditorum uota. Læta præterea fore omnia, feſtiuaq́ tempus ipſum anni (erat enim menſis Maij, quo cuncta rident atq́ reflorent) id ſuadere. Pateretur aliquando & ipſe in eo uinci, gratum magis id ſuis futurum, quàm memorabilem uictoriam de Amurathe, & omnes fermè res ad eam diem bello geſtas. Caſtriotus quamuis inuitus eo ſe uelut uinculo illigaret. Tamen ſingula conſideranti magis è dignitate utilitateq́ id facere uiſum, neq́ reuocare id ſibi integrũ uidebatur, quod priore anno itidem ſedulo petentibus fuerat pollicitus. Proinde nihil recuſans totius rei arbitrium ad Muſachium Topiam ſororium ſuum, & paucos conſilij participes detulit, erat ea tempeſtati Harryanites Cominatus (de quo aliâs diximus) inter omnes reguulos Epiri, tum imperij amplitudine, tum uetuſta generis nobilitate præcipui nominis, non indigna eo patre puella Donica iampridem ſermonibus omnium innotuerat, forma (quod non ultimo loco in fœminis ſpectari ſolet) elegantiſſima. Quare nulla uel Scanderbegum cura de alterius nuptijs, uel Harrianum de eligendo alio genero inceſſit, cuncta inter eos æque facile, ac cogitata fuerant, acta tranſactaq́. Dos ad arbitrium ſoceri relata, & eo ſtatuente accepta, digna quam & ille daret, & hic acciperet, feſtiuitas nuptiarum non dilata à Scanderbego, ſed eodem tenore & ducta in domum uxor, & ſolita lætitia impartita populo. Principes uicini, ac quicquid fermè uſquam fuit Epiroticæ nobilitatis, aut ipſi maxima pompa, & munerum magnificentia ei ſpectaculo affuerunt, aut gratulationes, nuncioſq́ cum lepidiſſimis miſere donis. Gaudebant omnes duos potẽtiſſimos Epiri principes inter ſe eo nexu affinitatis iunctos, quod impoſterum has uires unitas ſeruaturas ab omnibus iniurijs bellorum, periculiſq́ prouinciæ ſtatum facile apparebat. Veneti magiſtratus, tum legationibus, tum muneribus ex publico gratiſſimi Senatus uoluptatẽ in eo oſtenderunt, ac cęteri deinceps principes beniuolentiam ingentem, quam in aduerſis apperuerant, in feſtiuis quoq́ (quæ duo eſſe tempora probandæ amicitiæ dicit uulgus) cumulatiſſime ſanxere. Ab Alfonſo ita maxima omnia allata ſunt, ut recuſaſſe accipere Scanderbegum dicãt, coactum tamen à purpuratis & legatis ipſis regijs accepiſſe, dediſſeq́ ad eum alia non minora, equos, ſeruos, & cætera (ut conſueuerat) Barbarica ornamenta, ac deuictorum hoſtium ſpolia. Acta itaq́ ea feſtiuitas pari fama, atq́ pompa eſt: nam ad hæc ludi uarij generis cum excellentibus præmijs propoſiti cupidam undecunq́ gloriæ iuuentutem excitarunt, & auxerunt maximè eo ſpectaculo formam rei ipſius celebritatem. Mahumethem neq́ inſtaurationẽ Croiæ, neq́ eorum quippiam latuiſſe

Muſachius Topia ſororius Scanderbegi

Duo tempora probãdæ amicitiæ.

R iiij dicunt,

dicunt, ac libenter fuisse læticiam nostrorum perturbaturum, sed domesticis rebus occupatum, quum semper ægri aliquid in nouo regno oriretur, tum ad cumulandas pecunias, & ærarium locupletandum intendentem coactum ab ea cura abstinere, tñ inter minandum (ut dicatior erat) appellasse infœlices nuptias, & breue miserorũ gaudium, quũ omnia funestissimis pensanda lachrymis prępropere diceret. Scãderbegus, quod unum restabat, accepto non ignobili armatorũ agmine cum noua nupta aliquot dies in obequitãda prouincia, & peragrãdis imperij sui terminis, ac uisitandis urbibus, locisq; singulis cõsumpsit, id quod multis iã annis propter assidua hostium impedimẽta, & incõmoda bellorum exequi nõ potuerat. Effusa undiq; multitudo, ac prouinciales passim certa æmulatione in eorum aduentum noua genera spectaculorũ depromebãt, conciliare pro se quisq; uarijs officijs animũ dominæ, & sic ad Principẽ ipsum aditum parare studebat, nemo cõtemptus est, nullus affectus spretus, accepti pari uultu, & hi qui plenis, & qui uacuis deficiẽte fortuna manibus, sed prodigis tantum animis uenere. Inter equitandum, & perlustranda singula Castriotus, quum ad Macedoniæ uestibula, & ipsos quasi imperij sui limites in Dibra inferiori uenisset ad locum, unde maxime Barbari irrumpere in Epirum, & repentinis excursionibus impune lacerare res agrestiũ, atq; incautos opprimere consueuerant. Nam licet non solus ille aditus pateret uenientibus in Epirum, solus tamen fermè commodus, & ab ea potissimum parte nostri quoq; infestare hostium agros solebant. Statuit omnino in ea quiete, & ocio rerum aliquo ingenio talem occasionem tollere hosti, & saluti suorum prospicere. Mons erat, Modrissum in colæ appellant, arduus atq; præruptus fines Turcarum propter sui altitudinem late prospectans. In eo castellum ædificare, & implere armatis in animo statuit, qui crepitu tormentorum uenientes hostes proderent, eius q; loci propinquitas unum ex fuga receptaculum suis esset, rem iampridem conceptam, & procuratam omnibus modis, intermissam tamen propter assidua bellorum impedimenta. Igitur nihil moratus, præcipue quod non diutius uel ipse delicijs marcescere, uel militum animos ocio & luxu immergi uolebat, Croiam petijt, iam ad calcẽ urbis instauratio peruenerat, & reliqua opera murorum cõpleta erant. Acceptis itaq; cementarijs, & maiore parte artificum, simulq; quatuor paulo minus millibus militum, qui, si qua uis hostium ingrueret, arcerẽt à perturbatione negocij, Modrissam ire perrexit. Per summam tamen quietem & cepta ea res & finita est, neq; aliquid sub id tempus innouatum ab hoste, nam Mahumetes tunc, utpote ultionis impatiens, licet summo studio instauraret arma aduersus Scanderbegum, tamen territus noui & periculosissimi belli fama ex Persia, tum propter magnam potentiam gentis, tum funestissima ueteris fortunæ suorum documenta considerans, cęteris rebus omissis, ac quasi neglectis, totus ad eam partem conuersus erat, quem exitum motus illi essent habituri, quia tamen Scanderbegi tot rerum successus, & assidue

Mahumetis iudicium de nuptijs Scanderbegi.

& assiduę subditorum querelæ, diripi se quotidie à nostris conquerebantur, eum perturbabant aliquantulum. Primum igitur multis nequicquã minis, conuitijsq; in absentem inuectus est, postremo ad inaniora pacta cum illo tentanda applicuit animum. Missi itaq; Oratores per eos dies, ac pax oblata Scanderbego, si tributum uellet impendere, quod Amurathes pater prius petierat. Admonitus est de omnibus Epirensis, & de simulatione Ottomani, & de Persico bello ab amicis quibusdam, et de purpuratis regijs. Quare post aduentum legati maximo animo omnia illi negauit. Vix æquas se paci conditiones admissurũ cum Tyranno, ne dum tam turpes, & inhonestas inquiens, uenisse se ea mente in Epirum, ut solueret uincula prouinciæ, & tolleret quantum in ipso esset omne nomen seruitutis, & non noua apponeret grauamina, fructum eum solum tot laborum, & periculorum suorum capere, quod ab illius tyrannide illam liberasset. Si amicitiam eorum uelle, subiturum id onus fuisse, quũ omne penè Europæ atq; Asiæ robur in uisceribus, quum Amurathem cruentum in oculis, ac id ipsum sedulo petentem habebat. Sat illis esse debere, quod ad eam diem exegissent, & eius ipsius temporis molestissimam sore memoriam sibi. Nunc alium rerum habitum, alios homines exortos, qui cogi tantummodo ad eas sordes, inuitari à nullo unquã mortalium possint. Sic re infecta legatus dimissus, Castriotus totus & ipse ad noui operis curam uersus, quietos aliquantulum hostes esse permisit. Sed parata iampridem calce, lapidibusq;, & cæteris ad structuram necessarijs, breuissimo tempore uix semestri cinctum muris castellum, simulq; priuata quædã ædificia, ac militares stationes constructæ, reliqua indies ædificanda, ampliandaq; relicta, non uallo, non fossa indigebat, munitissimus suapte natura locus, ac prope inaccessus, eoipso de uiris, armis, & cæteris munimentis prouisum, aduecta ex Croia tormenta quædam, & ad certũ usum (ut diximus) data oppidanis. His sic peractis, nostri ducente Scanderbego, finitimos Turcarum agros ingressi, uacua defensoribus loca, rebus quoq; cæteris exuerunt. Pars Croiam cum Duce multa præda onusto concessit, pars maior præsidij loco ad imperij ostia (ut consueuerat) relicta. Nam licet ad salutem prouincialium multum per eam ædificationem castelli prouisum esset, tñ nulla ratione præsidium solitum ab eis finibus reuocatum, utpote quum ille locus distaret à Modrissa xiiij. amplius millibus passuũ. Prętera nõ eodem respectu, quo in Modrissa, tenebatur ibi miles. Sed ad arcẽdas præcipue finitimorũ iniurias, & tuendam prouinciam ab excursionibus uicinorum. In aduentũ uero hostium, quibus impar ad resistendũ id pręsidiũ erat, uel per iuga montiũ, & tutiora loca se recipiebat, uel in interiora prouinciæ fugiebat. Vt uentũ est in urbẽ, Scanderbegus cupiẽs in eo statu rerũ, & occupationibus Tyranni egregiũ aliquid facere, et imperij sui terminos si posset extẽdere, mox proceribus, qui aderant, & militaribus quibusdã ordinibus cõuocatis, de ratione gerendi belli, & genere agendorũ corã eis in hãc sententiã exorsus:

Mahumetes tributum petit à Scanderbego.

Castriotus absoluto, muniq; nouo oppido, hostiles agros ingressus, omnia diripit atq; incendit.

Satis

Adhortatio Castrioti, ad proceres ac omnium multitudinem ordines, de regno ampliando.

Satis iam (ut arbitror) Duces & milites fortissimi nouis saginati nuptijs, ab armis hucusq; à bello, à uirtute ipsa cessauimus. Satis celebrauimus uictoriam illam ex Amurathe, dum nunc in publicis, nunc in priuatis uoluptatibus, nunc in reficiendis, & nouis construendis urbibus tempus conterimus. Iam elapsus est annus, ex quo insueto marcescens ocio non hostem uidimus, nõ ullum dedimus experimentum uirtutis. Nunc quoq; eadem fermè uitæ ratio sequenda relinquitur uobis, ni alium animum induatis, & oblatæ melioris fortunæ occasionem melioribus consilijs apprehendatis. Barbarus nanq; (ut audistis) Persicis armis occupatus, oblitus iam Epiri est, oblitus nostri, cęterorumq; hostiũ, pax uobis, ociumq; ad satietatem concessum. Sed quid turpius fortibus uiris, q; ita opportuno tẽpore abuti? cuius maxime rei rationẽ reddere debẽt mortales, quin inuitare hoc ipsum potius ad arma, cogere ad difficillima quæq; aggredienda debet, dum alió uersus hostis, uel Dij potius ipsi peruia uobis, & incruenta omnia ostendunt. Hęc duo maxime tempora sunt rerũ benegerendarum, quum uel alijs occupatum, uel afflictum uideas hostẽ. Quo in statu Mahumetis sint (ut nulla sit alijs fides) satis recens eius legatio declarauit, tributum perfidus petijt, uel solum pacem libentissime laturus, si daretur, negauimus audacter omnia, nũc quo animo, qua ratione negauerimus, reliquum est demonstrare, an & ferenda ita semper Sfetigradensis iactura? Concoquendę tot iniurię, tot imperij deformationes ab Amurathe acceptæ? Vbi feroces minæ nostræ illæ? Quó ingentia consilia, & excelsi spiritus abiere? Quantum dilatauimus uerbis olim imperij huiusce terminos? Quantum Macedoniæ subegimus? Quousq; Turcarum nomen inanibus inter nos colloquijs fugauimus? Sero hoc pacto, sero Albani priscum illum rerum decorem restituemus, libertatẽ uendicabimus, & cupita tamdiu illa auorum secula effingemus. Dum nostri potius aliquid amittimus quotidie, & non solum de ampliando imperio, sed nec de ultione quidem ulla tot malorum cogitamus. Verum enimuero impediuit hucusq; cogitatus nostros necessitas, impediere maiora incendia, ac maxima quæq; rerum momenta, nunc ne ignauia, & negligentia nostra impediat, enitendum est milites. Quærendus aliquando, quærendus pertinaciter hostis, non expectandus semper, modo uelitis, modo iubeatis. Non deest uirtutis exercendæ materia, non ingentis occasio laudis. En Sfetigradum uos tamdiu uictores uidet, expectat. Deterret (credo) superioris anni oppugnatio, & male tentatæ rei euentus. Neque ipse uos in eum laborem, & tam apertum discrimen trahere uelim, sed multa de ea difficultate tum tot nostræ uictoriæ, tum Amurathis mors ipsa, & præsens hostium fortuna detraxit fortasse. Non deerunt præterea tormenta omnis generis, cæteraq; instrumenta, quæ incruentis urbis, quàm maxime fieri possit, aditum faciant ad hostem. Reliqua tempus ipsum, & uisus in oculis hostis docebit. Vobis ego nihil sine labore, & cruore uestro audeo polliceri. Hoc maxime precium

Quod duo sunt maxime tempora belli in hostem gerendi.

precium & Dij immortales ab hominibus exigunt. Vix tamẽ tunc quĩ fit, sentit idipsum uir fortis, nedum priusquam fiat formidet. Sed si Sfetigradum abhorretis tantopere, sunt alia oppida & castella hostium non longe, quibus pensari id damnum, & expleri desiderium nostrũ possit. Est Belgradum oppidum pari, uel minori fortasse ab hinc spacio, quàm Sfetigradum distans, nõ indignum quidem labore, & sanguine nostro, si uel præmia, uel laudem respicimus. Pudere me ipsum maxime omniũ debet, quod iam agitur annus, ex quo hic imperito uobiscum, & tot auorum sedes, tot consanguineorum oppida, & Epirotici imperij ornamenta per eam ignominiam hosti seruientia cerno. Igitur hoc saltem quod superest temporis, ne labi diutius è manibus sinamus, sequamur Persas & ipsi, sequamur fortunam à Dijs immortalibus oblatam, propagabuntur ita imperij fines, libertas ampliabitur, ulciscemur iniurias, ulciscemur mala uestra, & (quod pulcherrimñ censeo) ab ocio iuuentus ignauiaq; uindicabitur. Eundum & si nihil acturi essemus, eundum tamen putarem, potius quàm quotidie prædę cupiditate cum agrestibus finitimis, & pecoribus pugnando militum animos corrumpere. Non hac ratione Romanus Pontifex, non Alphonsus meus, & tot Christiani Principes eam ad nos uim pecuniarum cum ingentibus donis misere, ut ocioси domi inter conuiuia, inter cantus & nuptiales illecebras degeremus. Sed ut arma ti sub galeis inter sudorem & sanguinem uersaremur.

Præclara sententia.

Belgradi oppidi descriptio

Hanc adhortationem Scanderbegi neq; subitus (ut consueuerat) neq; idem audientiũ clamor, & assensus est subsecutus, sed interuallo quodam & maxime interruptus, ut satis appareret alienos hominum animos ab eius uoluntate esse. Et licet pauci sententiam eius probarẽt, pudore tñ aduersandi alius alium circunspectans, nemo uocẽ emittere audebat, simul ne uel ignauior cæteris, uel timidior notaretur, tũc surgens Vranacõtes:

Neq; timor ullus, inquit, neq; animi desidia, neq; experta Sfetigradensis fortuna, solertissime Dux, nos hodie tanto pudore à consilijs tuis recedere cogit, sed anni tempus ipsum, tempus inquam id non faceret admonet, ut primus ego huiusce ignauiæ confessionẽ præstem tibi, in quo semper maxima pars agendorum inesse consueuit. En parum iam autumni supereſt, uix delectus conficietur, uix cæteris ad oppugnationem necessarijs expeditis appropinquabimus muris, quod hyberna nos intemperies cum multis circumueniet incommodis, cum cœlo, cum terra pugnandum erit. Imbres, glacies, niues, cupidum laudis militem tardabũt, & tutabuntur hostem. Nam licet incommodum ad omnia, iniquissimũ tamen oppugnationi urbium est id anni tempus, quippe quum non paria nobis impedimenta cum hostibus ferat. Muris inclusi illi, tectiq; munimentis decertabunt nobiscum, & in affluentia omnium rerum facile altera manu pugnabunt, altera instaurabunt uires, nobis pertinacia sola, & prodigis animis utendum erit. Quod enim ad tormẽta attinet, uidimus satis tum in Sfetigrado, tum cæteris urbibus, quàm parum in hisce sit momenti,

Vranacontes respondet Scãderbego.

menti,& hoc ipſum hyemis tempore minime futurum. Quare fugiendos ego maxime hos inanes conatus, & militum perniciem cenſeo, atq; tempus fortibus etiam uiris ſicut nautis expectandum iudico, non detrahet hæc ceſſatio de animis noſtris quippiam, non hoſti addet. De Perſico bello (ſi efferre liceat quod ſentio) parum omnino ipſe ſpei in ea re ho die pono, aut fama tantum uana eius belli erit, aut in aptius anni tempus eos apparatus reijcient Perſæ. Sed nõ ideo, ſi magis è dignitate, & utilitate oĩm ea ſententia uidetur tibi, conſilia tua impedimus. Sequemur cupidiſſime quocũq; nos duces, aptabimus ſermones, dexteras, tempora ipſa ad tuam uoluntatem. Mites tecũ niues, mollis bruma, & leniſſima omnia ſunt futura, neq; labores, incommoda, aut periculi genus ullum ſub tuis nos grauabit auſpicijs. Facile Caſtriotus uoluntate ſuorum animaduerſa, ut popularis erat, præſertim quod & uera multa dicebãtur, in eam ſententiam ſe trahi paſſus eſt. Relicto itaq; concilio, & dimiſſo milite omnes domum redire permiſit, ipſe cum Ameſa & paucis equitibus Petralbam perrexit. Ibi nanq; principio ęſtatis uxorem reliquerat, id quod & omni deinceps imperij tempore fecit, ut per æſtatem autumnumq; illic ſolatij cauſa reliquo tempore Croiæ maneret, prçterq; in aduentu Mahumetis, uel immodici cuiuſpiam exercitus, quum de ſumma rerum, & imperij ſolicitus Colchinium maritimam Venetorũ urbem, uel in alia longinquiora oppida cum omni familia & præcioſiore ſuppellectili commigrabat. Planicies erat ſub caſtello ipſo præcipuę pulchritudinis, tum ob amœnitatem naturæ, lociq; miram, tum exactiſſima hominum cultura, & accolarum diligentia, non arboris, non uitis, non frugis, non rei ullius egens, quæ tellurem uel beant, uel ornant. Ibi cum familia, & longis de more puellarum ordinibus, ac regijs ſeruitijs domina eam anni partẽ agebat. Circum planiciem ipſam ſaltus undiq; inacceſſi, & anguſtiæ montiũ erant, per quas Scanderbegus crebra armatorum agmina ad cuſtodiã eius aſſidue tenebat. Et oppidũ ipſum uiris, armis, cõmeatu ad oẽs caſus fortunę egregio inſtructum. Paucos ibi moratus dies Croiam illam reduxit, neque Croię poſtea quietis aliquid permiſſum, nãq; haud falſus uates Vranacontes fuit. Aduolarunt mox alij atq; alij nuncij, reſediſſe Perſicũ bellum, motus omnes compoſitos, & extinctos, & exolutum penitus ea cura Tyrannum arma conuertere in Epirum dicentes. Turbauit ea res audita Scanderbegum, ſed armis opus eſſe, atq; conſilio, non indignatione inquiens, licet haud ſatis uenturum tam alieniſſimo tempore hoſtem crederet, tamen Croia diſcedens cum quinquaginta non amplius uiris ad Moſem & præſidium ire contendit, certius ibi ad agenda omnia conſiliũ probaturus, uera ut relata fuere ſingula inuẽta. Quare impigre lato decreto, & ſcriptis quinq; amplius hominũ millibus, in Dibrã ſuperiorẽ, ubi caſtra & ſtatiua tenere conſueuerat, ſe recepit, admonito Moſe, cæteris q; ne aliquid mouerent, priuſq; ſe cum copijs uidiſſent. Vix inter hæc apparanda, & hoſtis aduentum decem abiere dies, memor mandatorum Caſtrioti,

Tempus fortibus uiris ſicut nautis expectandum.

Colchiniũ maritima Veneto rum urbs.

Noui ex Adrianopeli motus & fama belli Mahumetis in Scanderbegũ.

ſtrioti noui caſtelli præſidium tormentorum crepitu uenientium inſidias detexit. Salutare id ſignum primo ab agreſtibus acceptum, tum à Scanderbego ſatis tempeſtiue, qui ſublatis per noctem ſignis copias hoſtem uerſus quo cautius poterat, mouit. Moſis nulla tũ opera fuit. Nam quũ ab alia parte multis millibus paſſuum procul ab eo ueniſſent hoſtes, ipſe aſſignati ſibi loci cuſtodiam cum præſidio relinquere noluit, ne ſi uel uictus, uel uictor fuiſſet hoſtis, uacuam eam partem defenſore inueniret. Eam ipſam noctem & Barbarus ad iter ſuum celeritatem adhibuit. xij. hoſtium millia erant, nam plurium opera per id temporis uti Mahumeti non eſt uiſum. Et hi ipſi equites omnes, & ad inferendas & propulſandas iniurias aptiſſimi electi. Noſtri dimidiati ferè pedites, & equites fuerunt. Extrema quaſi deficientis iam noctis reſtabat pars, quum Scanderbegus obſeruato per exploratores Ameſæ aduentu (id nomen præfecto erat) ſilenti admodum agmine Modriſſi partẽ occupat. Turcæ ignari Mocreo monte ſuperato, uallem interiacentem ingreſſi Modriſſum conſcendere parant, ut inde ad interiora prouinciæ præteruecti commodius captarent Scanderbegum, & res prouincialium uaſtarent. Pars iam conſcenderat locum, & impliciti inter ardua montis anhelantibus equis euadere in iugum conabantur. Sequebantur alij, multi adhuc uallem nõ exierant, quum ædito ſigno, & clamore ſimul ingenti ſublato, Epirenſis ſuperne ueluti ruina quadam fermè feſſos, equosq; uirosq; inuadit, obruit, proſternit. Peditatum penè omnem in principio obiecit, ne in eo aggreſſu & habitu loci equites ſuo ipſi impetu in præceps ruentes periclitarentur. Prima igitur laus, & maxima pars uictoriæ peditum fuit, Turcæ qui montem conſcenderant, abiectis illico haſtis, gladijs ſe defendebant, ſed uix ſubſiſtentibus equis incerti hominũ ictus, inualidæ manus erant. Noſtri ſcutis tecti, equos primo, tum uiros non difficulter ſternebant. Multi in eo genere periculi iumentis relictis, aut pedites pugnabant, aut in ſubiectam uallem ad ſocios fugiebant. Ameſa noſter cum equitum robore à patruo ab alia parte montis, qua deſcenſu facilior erat, miſſus, iam aliud in anguſtijs uallis ordiebatur prælium. Lux interim paulatim exorta, cæteros quoq; equites qui cum Scanderbego erant, deiectis prius hoſtibus, in planũ reduxit. Pedites alij ſequuti ſunt equos, alij radices montis non reliquere, ſed inde depromptis ſagittis diſſipatos inceſſebant. Caſtriotus ab una parte, qua liberior exitus erat hoſti, fugientum terga acerrime cædebat. Ameſa à parte altera ab Ameſa obſeſſus noſtro, ubi iam neq; uictoriæ, neq; effugij uiam ullam uidit. Monenti id ſedulo Epirenſi mœſtior abiectis armis fidem eius ſequutus, manus multo pudore uincendas obtulit. Plures quoq; alij eo pacto cedentes fortunæ finem uulneribus & certamini fecere. Expedita uictoria milites ad ſpolia colligenda, & diripienda impedimenta uerſi, ſigna militaria omnia capta, hominum vij. millia cæſa inuenta, equi ex maiori parte confoſſi, & deformati. Noſtris paruo admodum ea uictoria ſtetit, nanq; xxx. ferè, aut paulo minus de-

Incurſio hoſtis per Epirum. Concurſus Scanderbegi in eum.

Duo Ameſæ, alter præfectus Turcarũ, alter Epirẽſis

Ameſa Turca capitur.

S

nus deſiderati. Ameſa dux Ameſæ noſtro à Patruo belli iure conceſſus, qui uinctus cũ cæteris, & parte prædę ſignis præſertim captiuis Croiam ducendus ei traditus eſt, reliqua militibus cõceſſa. Caſtriotus aliquot ibi moratus dies, dum fines hoſtium de more percurrit, dum militem dimittit, ſoluitq́, dũ ſingula uidet, ordinat, procurat, nundinis ipſis natalicijs in urbem uenit. Venientem turba ſenioribus magno numero & nobilibus immixtis obuiã extra portas progreſſa multis gaudijs, plauſibusq́ excepit, publice priuatimq́ ingens ultra conſuetudinem lætitia exorta. Quod iam fœlicia auſpicia benegerendi de Mahumete quoq́ ſumpta dicebant, eandem profecto, eandem eius quę patris fuiſſet fortunam aduerſus Epirotas Scanderbego duce futuram affirmantes. Cognitum nunc, cognitum ſatis ferox Mahumetis ingenium, & animũ illum extra mortalium aleam poſitum, præſertim tributi mentionem nuper ab eo factam cõmemorantes. Ita ex ſumma aliqua delibatione rerum ſecunda, media, & ultima quæq́ interpretantur imperitiora iudicia uulgi, præſertim ſi eo dem & deſiderium ipſorum, & fortunæ ſponſiones tendant. Caſtriotus in ea temporis & rerum feſtiuitate, neq́ hoſti ipſi iniquus, ſoluí captiuis uincula, & duci ad ſe Ameſam iuſſit, habuitq́ domi in conuiuijs ſecum, & humaniter, & honorifice inuitatus, ut ipſe quoq́ quam præbuiſſet, uictoria frueretur. Sed rogatus primum omnium à Barbaro eſt, ut aliquẽ ex captiuis concederet ſibi Adrianopolim mittendũ, ad monendos ſuos de eius captiuitate, & precium pro redemptione afferendum, quum dicerent illos, qui ex ea clade ſuperfuerunt, ignaros fortaſſe eius ſeruitutis credere illum cum cæteris cæſum, nihil Barbaro negatum. De pecunię ſumma pro liberatione omnium in xiij. aureorum millia cõuentum. Dimiſſi itaq́ duo, qui captiuorum cauſam agerent, cum uno ex noſtris, donec in tutum à prouincialium iniurijs educerentur. Allatus interea ad Tyrannum de ea ſtrage nuncius, & uiſæ ſuorum reliquiæ ſine duce, ſine ſignis, & ſine armis multum priuati & publici doloris eo ſpectaculo incuſſerũt. Mahumetes percontatus ſingula regia uanitate ex ui indignationis in ſolita conuiuia prorumpens, multum & laudi noſtrorum detrahere, & excuſare fortunam ſuorum eſt conatus. Mouitq́ longe acrius illiberalem principem noua legatio ab Ameſa miſſa, cẽq́ audita, uiſaq́ nuper ſuorum calamitas mouerat. Quamobrem nunc eam cladem illi imputãdo, quod ſtolide exercitum per noctem, & eas locorũ anguſtias tractum amiſiſſet, nunc tacite perfidiam, & ignaua conſilia accuſando, facile prohibuiſſet quicq́ pro ea redemptione decerni, tantũ ingenioſa eſt ad opes tuendas auaricia. Sed circunfuſi purpurati, & cõſanguinei captiuorũ nõ iniquis rationibus precibuſq́ appoſitis Tyranni animum illis cõciliauere. Contendentes nõ poſſe ex aliqua parte anteactę uitæ id obijci Ameſæ, eamq́ inuri ſuſpicionẽ. Pręterea non ſolum in ea fortuna eſſe, ſed alios plerosq́ fortiſſimos uiros, neq́ ſpernendam tam miſerabilem cauſam ſociorum. Quippe quum cæterorum animi eo pacto offendantur, deterreanturq́,

Caſtriotus humaniter tractat captiuum Ameſam.

Pecunię pro redemptione captiuorum.

Turca cladem imputat Ameſæ.

Auaricia ingenioſa ad opes tuendas.

poſthac

poſthac à rebus agendis tam duro illius imperio, neminem in poſterum in expeditiones iturum, ſi ita inſidiarum, ſi quid durius acciderit, uel ignauiæ inſimulent. Excuſatam ſemper eam belli fortunam eſſe debere. Inuenta proinde ocius pecunia, & data legatis. Adhæc & alia multa dona ab eis priuatim parata, & allata ad Scanderbegum ſunt. Pecuniæ maiorem partem Caſtriotus nepoti numerari iuſſit, reliqua militibus qui aderant erogata, & Moſi diuidenda in præſidium miſſa, ſed non illiberalior patruo nepos uix ſibi quicquam ex conceſſa pecunia retinuit. Identidem ipſe cũ amicis omnibus tum periculi ſocijs omnia in medium contulit. Hoſtibus exoluto precio libera abeundi poteſtas facta, & ad eorum arbitrium diſceſſus relatus. Mœſtior quaſi Ameſa diſcedere uiſus eſt, & priuſquam abiſſet multa cum Scanderbego de ingenio Mahumetis, & ratione gerendi belli tacite colloquutum dicunt. Diſcedentibus pleraq́ dona cum multorum dierum cibarijs data, & cuſtodes plures ad educendos eos uſq́ ad imperij limites attributi. Priuſquam Ameſa Adrianopolim ueniſſet inſtaurari iam eius copiæ, & ſupplerí numerus amiſſorum ceptus fuerat à Debrea quodam audaci maximo uiro, neq́ ignaro militiæ, qui nimis ſolicite id negocium tum ſibi demandari contenderat à Mahumete mulţis inanibus promiſſis regis animũ augere conatus, & ad uictoriæ ſpem traducere, omnia ad ingenium ſuum, omnia ad conſilium, & nihil quicquam fermè ad fortunam referendo. Illud tamen, non depugnaturum ſe totis uiribus cum Scanderbego, ſed auſpicia ſaltem non ingrata uictorię ſumpturum promittẽs, neq́ de maioribus copijs ulla eum cura inceſſit, niſi quot Ameſa habuiſſet, uelut æmulatione quadam uiri, ut pari, & eodem fermè milite fortunam reſtituiſſe diceretur. Sed neq́ ſolus id Debreas poſtulauerat à Tyranno, uerum à pluribus alijs difficilis id laudis genus petitum. Nam quo maius apud Barbaros Scanderbegi nomen erat, & inuictæ cuiuſdam fortunæ fama, ita ut fortiſſimi quiq́, uel nominatiſſimi erant, uelut candidati aliqui ad præcipuos quoſdam faſces honorum, & gloriæ promerendos confluebant, augente maxime ea ſtudia hominum principis diuulgata liberalitate, qui honorifica iampridem præmia ſtatuerat uictori. Ameſa uiſus, auditusq́, multum de eis conſilijs immutauit, nam ita commendatione aſſidua, neq́ uana res noſtrorum, & ducis uirtutem extulit, ut & Debreem penè pœniteret expoſtulati offici, & rex propior iam ad reuocandum decretum uideretur, magis tamẽ è dignitate imperij uiſum Ottomano augere copias, quàm uel operã Debreæ arguere priuſquam experta foret, uel inultam pati Ameſæ captiuitatem, & recentes iniurias ſuorum. Addita proinde ad illud ſupplemẽtum alia tria equitũ millia. Ita Ameſa dum officioſus laudator, & gratus amico, alioqui & hoſpiti uirtutes Scanderbegi edocet, iniquus penè illi fuit, uel autor potius maioris laudis, & cumulatioris uictoriæ. Paratis omnibus ad proficiſcendum, & commotis fermè copijs, pluuiæ crebræ, & ingentes per aliquot integros dies delapſæ tardarũt aliquantiſper deſideria

Humaniter dimiſſus Ameſa.

Debreas iuſſu Tyrãni inſtauratis Ameſæ copijs, & ſuppleto militum numero, in Scanderbegũ ſigna mouet.

militum. Ceſſantibus hymbribus,& miteſcente quoq; ipſo anni tempore,ueris aduentu,iter impigre arreptum. Eadem ipſa rẽporis ratio Scanderbegum etiam è Croia in caſtra euocauerat ad cõſultandum cum ſuis & decernendum de his,quæ omiſſa propter hyemis incommoda in mitiorem partem anni reiecta fuerant. Quare fama omnis de eo apparatu, & aduentu hoſtis eum in Dibris cum Moſe inuenit. Quamobrem maxima celeritate (ut par erat) adhibita ſeptem amplius hominum millia illico confecit. Neq; hic mirari quempiam oportet de tam ſubitario apparatu noſtrorum,& incredibili propè uelocitate in conficiendo exercitu. Nam Scanderbegus magnam partem uectigalium ſuorum,illarũ præſertim,uel ultro nullo prouocatus beneficio,uel in premium uirtutis proceribus ſuis quibuſdam conceſſerat,ea lege,ut ingruente belli neceſſitate, uaria pro qualitate cuiuſq; militum preſidia impenderent ſedulo deberent, & ipſi quoq; corporibus ſuis omnibus agendis pro eius arbitrio intereſſent. Hi itaq; ſemper ita inſtructi ſtabant,ut nihil penè præter ducis nutum expectarent. Præterea cæterorum prouincialium, agreſtium preſertim,magnus numerus,uelut certa conſuetudine regionis ſequi eum ſine commodo aliquo ſtipendiorum tenebatur. Prædę demũ cupiditas eam ſemper uim militum excitabat,ut nullum melius edictum, nullum aptius claſſicum, uel ſtipendia accommodatiora uiderentur ad multitudinem conducendam. Quare ex hoc ſatis & illud cuiuis intelligere licet,quod ſę pe nimis multos querentes audiui, quomodo Caſtriotus ad tot quotidie reparanda bella ſuffecerit,quum non ea fuerit uis uectigalium, ac tributorum,ut alere tamdiu militem poſſet. Verum enimuero,& ſi non ille prouinciæ mos,non ea cupiditas,& ratio prædę, communis tamen periculi reſpectus, tum & ipſa dexteritas ingenij, ac fortuna ducis omnibus facile in manus arma dediſſet. De ſtipendiarijs auxilijs, & mercenario milite multum momenti in Romanis Pontificibus,Regibus Apuliæ, & alijs Chriſtianis principibus erat,à quibus quotidie bellorum (ut aiunt) nerui non deerant. Debreas ſuperata iam maxima parte tractus Tribalorum (Bulgariam uulgo appellant) Pologum attigerat,locus eſt ita uocatus ab incolis,uel regio potius eiuſdem Bulgariæ Barbaris parens, nõ multum diſtans à finibus Epirotici imperij. Id ubi nouit Caſtriotus, ſternere ocius equos,& infrenare iubet, tum equitum ſex millia ſeligit ſecum ducenda (nam in ea rei celeritate peditum non ſatis commoda,& inutilis opera uiſa) reliquos cum ueteri præſidio Moſis, ordinatis, quæ in rem uidebantur,dimiſit. Dibrenſem priuſquam ipſe mouiſſet cum decem equitibus ad obſeruandum aduentum, & exploranda conſilia hoſtium impigre præmiſit. Reliquæ copiæ ponè cum eo ſequutæ. Conſederat Barbarus in campeſtri loco quodam ipſius Pologi lucem expectaturus. Mocreus ab una parte mons noſter, ab altera oppidum Turcarum,Scopiam dicunt,terminabant planiciem. Erant & duo alij montes cingentes planum,inſignis altitudinis,quos non peculiariori uocabulo, montes

Velocitas in cõficiendo exercitu unde fuerit Scanderbego.

Bellorum nerui Scanderbego à Chriſtianis Principib.

Debreas uenit in Epirum.

montes Pologi audio appellari. Moſes ſingula commodiſſime contemplatus (luna enim pernox erat) facile Caſtriotum de omnibus exactiſſime admonuit, qui noctis maximo beneficio uſus ingenti feſtinatione procedere militem iubet. Nondum Mocreo relicto planiciem intrauerant, quod mutatum repente cœlum eſt, tenuiſq; primo cecidit pluuia, & irrigari leniter cepta agmina,tum paulatim accreſcentibus imbribus, tonitrua,& corruſcationes ſequutæ, cum magna ui uentorum. Steterat iam ſignifer,& exorto horrore quodam inter homines, alius alium reſpicientes ueluti ſiniſtrum omen dolebant, quum Epirenſis irridens ignauiam, & inanem ſuorum trepidationem, progreſſus ad primos manu ſua ſigniferos impingit, iniquos interpretes ſibi ipſis appellans, ac eo maxime tempore utendum inquiens, & properandum in hoſtem, quum non ſatis ille crederet uenturos. Præterea inſtabilitatem eam ueris eſſe, Martij præcipue menſis,priuſquam adſit congrediendi tempus, limpidiſſima omnia (ut pauloante fuerant) & quietiſſima habituros, ſic exhilaratus miles, ac omine pro ſe accepto inuicem ſe adhortantes animum quoq; duci auxere. Iam & propinquitas ipſa, & expurgatum (ut Scanderbegus prædixerat) nubibus cœlum, ac lucidioribus radijs progrediens luna uenientes detegebat. Quum trepidus primo hoſtis paratis tam ad pugnam,quàm ad fugam omnibus,dubius aliquantiſper fuit, an expectaret. Ad timorem multum nox faciebat, & fiducia ipſa noſtrorum, quod tanto animo progreſſos aduerſus ſe extra proprios fines uidebant. Ad audaciam autem econtra id exhortari uidebatur, quod non in hoſtili ſolo ſe noſcerent pugnaturos, ubi uel inſidiæ,uel fraus aliqua á tergo timeri poſſet,ſed illud præcipue, quod multitudine ſuorum, & eo militum robore fidebat, & quod turpis admodum fuga tot millibus hominum conglobatis,uel cuiuis ignauo uideri par erat. Dato igitur ſigno Debreas memor promiſſorum ſuorum,& conſiliorum Tyranni, ad animandos acrius uiros,nunc ad hos,nunc ad illos procurſans,clamabat:

Epirenſis ſermo ad milites.

Adeſte,adeſte uos ueteres milites. En egregiæ ultionis, & uindicandi amiſſi decoris tempus,ulciſci uincula,& cladem ſociorum, ulciſci ſanguinem ipſi ueſtrum poteſtis. Properant nocturni bellatores, afferunt iam cathenas (ut uidere uideor mihi) ad manus ueſtras uinciendas. Ameſam hic credunt inuenire urbanum hoſpitem ſuum,credunt Mocreas hic uales,& inuios Modriſſi ſaltus,ac aſſuetas prædonibus latebras ſecum futuras. Domi fermè (ut uidetis) in rerum omnium ſecuritate affertur pugna, numero longe ſuperiores ſumus, uirtute etiam,ſi uos uelitis,locus ad equeſtre certamen non aptior ullus. Quod ad me attinet, aut unà expirabo uobiſcum,& inter chara ſociorum cadauera liber ſaltem, licet infœlix conquieſcã,aut ea uobis adiutoribus efficiam,quę ſeuera Mahumetis iudicia non arguant. Nõ Croienſes pueri irridebunt uincula,nõ ſtudioſi clementia hoſtis appoſitis epulis & eſculentorum ſuauitate ſeruitutis turpidinem leniet. Quare agite quiſq; priuatum & publicum induat

Adhortatio Debreæ ad ſuos ad fortiter pro uictoria pugnandum.

animum, uosq; cæteri, quos ipse mihi optaui, & manu fermè mea elegi ul tores, restitutores fortunæ sociorum, memineritis quæ ipsi promissa mi hi, quæ propter uos ipse dederim Ottomano. Nemo enixius hoc mune ris petijt quàm nos, nemo cupidius accepit, nemo uel laudem & præmia ampliora (si uincimus) uel superbiores uultus, & molestiora ludibria (si uincimur) expectare debet.

Simul hæc dicens, immisso in uenientes antesignariorum agmine, ut impetum eorum aliquantisper tardaret, dum stabilius consilium ipse ia ctandæ totius aleæ sumeret, init paulatim pugnam.

Adhortatio Castrioti ad milites, ut fortiter pro uictoria decertent.

Scanderbegus contra: Proh pudor milites, inquit, sumpsere iterum in uos arma, sumpsere animos captiui uestri, adsunt turpes reliquiæ illæ Amesani exercitus, dolent, cõqueruntur uos malos conuiuas fuisse, nam optimi conuiuæ erat ita agere, ut nihil esset reliquiarum. Adest & nouus miles cum nouo (ut uideo) duce: quid aliud, quàm nouũ gloriq; genus? Vincite (ut consueuistis) Non dicam pugnate Epirenses, ne si per secor diam uel ignauiam nostram hodie ex tam diutina, ac recenti admodum possessione illa fortunæ deijciamur, Modrissum, & Mocreas ualles, non uos se uicisse dicant hostes. Aperto campo, aperta appareat uirtus, nõ pe ditum uos cura tardat, non impedit. Expeditissimi omnes sumus, nihil præter ferrũ & hostes, numero fortasse ampliores. Sed iacentes (nisi me spes fallit) eos melius curiosi uirtutis uestræ exactores numerabitis.

Inter ea dicẽda maxime procurabat, ut cõglobatus simul staret miles, ne ordines cõsunderentur, ac discrimẽ hostium periret, præsertim quod dissipati pauciores à pluribus facilius circumuenirentur. Tamẽ progre diens in se hostile agmen haud satis fretus antesignanorum suorũ robo re, Mose, & Amesa cum egregia uirorum manu ad primos immisso exce pit, Veritus ne si labassent ibi prima auspicia pugnæ, timor aliquis inter suos suboriretur, & audacia, animiq; crescerent hosti. Reliquas turmas connexas multo silentio, & ordine tenuit. Barbarus identidem, uel noctẽ timens, uel ad nostrorum tenorem consilia sua accommodans nihil quic quam mouit, Sed iunctissimis & ipse ordinibus uelut spectator stabat. Ita singularis quoddam certaminis genus, congressus ille antesignano rum uidebatur. Et soliciti utrinq; exercitus subeundæ pignora fortunæ pendentibus animis expectabant. Sed non longum id spectaculum fecit Dibrensis, qui uelut procella irruens in medium illorum, occisis fortissi mis quibusq;, facile cæteros impulit in fugam, ac omnium immemor præ animi ardore iam fugientes in mediam hostium aciem insecutus fuisset, ni Amesa reuocato milite, dictis simul factisq; furorem eius inhibuisset, ac retraxisset ad signa. Erat Moses uel militaribus, uel imperatorijs uirtu tibus maxime mirabilis, sed cruentato semel ore, ac erectis (ut aiunt) cri stis, impatiens animi, ac modicũ sibi imperans. Quare reprehensum nũc à Scanderbego ferunt, & admonitum. Modestius audacia sua, cõsultius uictoria uteretur. Excusabile id in turmali quopiam, & priuato milite. In

Modestius audacia, consultius victoria uti.

duce per

duce pernicioſum, ita maxime reprehenſibile, & peſſimi exempli fore. Cæ terum huius me uiri dignitas admonet, ut pauca de eius origine in præ ſentia breuiter delibem, quæ huiuſmodi ferè ſunt:

Moſes, qui à Dibris dictus eſt (eò quia Dibras incolebat, ubi Scan derbegus multa ei prædia, magnamq; agri partem donauerat) Et etiam aliàs Moſes Golemus Arrianithis cognomento appellatus, natione Epi roticus, Valmorũ ciuitate Epiri oriundus, patre Muſachio, matre Voiſ laua. Cui Muſachio duo fuere fratres, Arrianithes ſcilicet Golemus, ſiue Comminatus, Scanderbegi ſocer, de quo ſuperius ſatis diximus, & Vla denius Golemus Arrianithis, qui Muſachium Angelinę filium à nomi ne matris, aliàs Golemi Arrianithis cognomento nuncupatus, ex Ange lina Scanderbegi ſororis ſuſcepetat. Hæc obiter de Moſe ſint dicta, qua re unde egreſſi ſumus, redeamus.

Cæteræ copiæ ea uiri audacia defixæ paululum, & immotæ ſtetere, ho ſtes immodice ea re deterritos, tum demum frequentius, certiusq; de fu ga conſilium inceſſit. Tamen nihil aliud per eas tenebras moturos no ſtros credentes, & reliqui fortunam certaminis in lucem dilaturos, man ſere, præſertim, quod præter ignominiam periculoſam fugam ſibi per eam incertitudinem noctis uidebant. Scanderbegus quoq; maxime flu ctuatus animo eſt, an diem expectaret, uel eam uictoriam ſequeretur. Nam fefellit eum ſpes primo, quod improuiſos hoſtes, & inordinatos (ut Ameſam prius inuenerat) adoriri putauit, & poſtea propter eam for tunam anteſignanorum ceſſuros facile credidit, & terga daturos, ſecq; fu gientes inſequendo incruenta ſuorum uictoria uſurum. Sed ubi egre gie ſtantes, ac uelut conſultantes aduertit illos, rupta omni mora, & ædi to undiq; ſigno in eos fertur. Dum recens eſt hominum timor, dum re cens cruor, utendum fortuna, inquiens, ac interrumpenda fugæ con ſilia hoſti, quippe qui nihil aliud mente agitet, & obſeruet, præterquam quomodo tutus, liberq; ex oculis euaneſcat. Segnius occurrentes ſu os Debreas ad primos prouolans tum uerbis, tum audaciæ, ac propriæ uirtutis exemplo multum animauit, repreſſusq; pertinaciter eſt impe tus noſtrorum. Sed quum permiſceri acies uererentur, haud ſatis cruen tum aliquantiſper certamen fuit, donec unus ex Muſachijs cum parte equitum à ſiniſtro cornu miſſus, ad laceſſendos inde hoſtes, turbandis eorum ordinibus initium dedit. Scanderbegus urgens aſſidue eos, qui in fronte aderant, præfectum maximo ſtudio aucupabatur, & iuſſerat quoſdam ex ſuis, multis allectos promiſſis, ut hominem obſeruarent. Hoc peculiare illi in omnibus prælijs aiunt fuiſſe, ut à ducibus captan dis, & tollendis, prima ac potiſſima conſilia uictoriæ ſumeret, dicereq; ſolitus erat, caput ſemper primum incidendum, cæterum corpus per ſe ruere, perirecq;: neque noſſe ſe genus ullum animantis in uniuerſa natu ra, quod capite ſublato ſuperuiuat.

Debreas animat ſuos.

Peculiare Scãderbegi in prælijs à ducibus captandis & tollendis.

Sed turbauit parũper ea cõſilia Caſtrioti motus ille à Muſachio excitatus

nam relicta fronte in qua ſtabat Debreas, mox ad illam partem cõualuit, ut expulſo hoſte, reſtitueret ordines uiris, doceretq́ per ludificationem uſq́ in lucem ualentiorem impreſſionem, ultionemq́ protrahendam. Senſit ſtatim hinc miles abeſſe ducem, nam laxius pugnare iam, ſegnius reſiſtere noſtris, & pelli intra ſigna facile patiebatur. Moſes ſtupentibus ſingulis præterlatus inter denſiſſimos illorum auulſum ſignum è Barbari manu ad ſocios proiecit, ita ingentiores irarum, ac ueluti æmulationis cuiuſdam ſtimuli hominibus iniecti. Procurſum undiq́ maximo ardore in apertum periculi diſcrimen. Multi iam Moſes paſſim, multa ſine ſignis Turcarum agmina, ac uix uſquam bellantium uultus, ſed terga tantum fugientium apparebant. Oblitus diſciplinæ, & ordinũ ſeruandorũ, oblitus compoſitæ ludificationis, Debreas citato illuc equo plenus indignationis ſimul & timoris aduenit. Reuocantem ſocios, ac inſtaurantem enixe prælium intentus iampridem Epirenſis, ſumma pectoris lancea rimatus transfixit, labente ſubter mentum ipſo ferro, quod dum reflexu capitis Barbarus uitare cupit totum accepit, finis idem uiri, & certaminis illius fuit. Prolapſum ex equo ſui tantum tutati, dum uiuum putant, & reſilire in equum expectant. Sed ubi immotum cadauer conſpectum eſt, neq́ qui fugam multitudinis increparet, manſit, uerſis (ut aiunt) proris, ſigna pariter omnia caſtra, impedimenta, ſocij, hoſtes eodem tenore reflecti. Ameſanus non immemor Modriſſi, & recentis documenti noſtrorum, ſicut in hoc prælio maxime cautus, & ſtudioſus ſalutis, ita primus in fuga fuit. Exorta lux, licet certiorem eam fugam uiris, cruentiorem tamẽ fecit. Nam Muſachius ab una parte, Moſes ab altera effuſiſſimis habenis in eos proruentes plures fermè inter fugiendum abſumpſere, quàm inter pugnandum ceciderant. Nonnulli eo pacto & uiui in poteſtatem uenere. Quum afflantem penè humeros hoſtem claudere diutius nequirent, neq́ ad reſiſtendum, uel glorioſe cadendũ uirium, aut animi quippiam eſſet. Amplior adhuc multum ea uictoria fuiſſet ſaltem propter numerũ uulneratorum, ſi aliquod ſagittariorũ agmen habuiſſent noſtri, ſed præter ſcutum, haſtam, gladiumq́ aliud nõ aderat uiris. Demum ubi intrantibus intima regionis Barbaris, periculoſior fermè ſequentibus, quàm fugientibus ea perſequutio eſt uiſa, firmato gradu Scanderbegus, & collectis ſocijs, captiuisq́ ad ſuos multa læticia, nullo amiſſo, neq́ uiolato ſe recepit. Cæſa eo prælio hoſtium iiij. millia, cxx. Noſtris (ut cõſueuerat) donata, non empta uictoria. Præda iuſſu Caſtrioti in medium congeſta, & diuiſa eo decernẽte inter milites eſt, ne deterior illorum cauſa eſſet, qui neglecta direptione caſtrorum, ſpolijsq́ de occiſorum corporibus prætermiſſis, & neglectis in fugientes continuauerunt cum furorem belli, & laudem uictoriæ. Equum Debreæ cum uniuerſis armis manu fermè ſua ipſe multo decore uerborũ tradidit Moſi. Alijs alia, & nonnullis captiui conceſſi. Muſachio adoleſcens quidam Barbarus egregiam quandã indolem & generis & animi præ ſe ferens. Sed non illepida contentio mox inter do-

Debreas trãsfigitur à Scanderbego.

Verſis proris, prouerb.

Barbari in fuga necantur.

minum & captiuũ magna audientium uoluptate orta eſt. Nam quum pro redemptione ſua uerba mouiſſet iuuenis, & de quantitate pecuniæ Muſachij uoluntatem ſciſcitaretur, conuentum tandem eſt in ducentos aureos, quos ſtatim Barbarus deprompto ſacculo numerauit, pe tentem poſthac libertatem Albanus irriſit: Aliunde parandum precium inquiens, iniquum fore, ut propriam ipſe rem pro ea redemptione cogatur accipere, & pecuniam, & quicquid cum eo captum eſſet, ſibi nuncupari, & in eandem cum corpore rationem uenire. Neq́ ſeruum belli iure ſeruare aliquid ſibi liberum potuiſſe. Inſtare ille nunc ratione, nunc precibus, ut ſe dimitteret. Poſtremo res ad Scanderbegum deducta eſt. Qui de induſtria utroq́ dicere iuſſo conuerſus ad milites: Bellum, inquit, profecto controuerſiæ genus iſtuc eſt. De re mea uterq́ iſtorum litigat, neq́ pecuniam quam ignorabamus, donauimus Albane, neq́ abuti tu per hanc fraudem beneficio noſtro debuiſti adoleſcens, utpote, qui planè ſcires uel ſpiritum iſtum ipſum ad arbitrium alienum præcarium ducendum tibi, nedum in alijs uiris quippiam relictum. Cæterum neq́ ego etiam ipſe arbiter in cauſa propria iure eſſe poſſum. Sed quis non aptiſſime iudicet in negocio libertatis? Et iura omnia belli, omnes militiæ ſanctiones cenſeat eius fauore ſeponendas? Damus cuncta nos tibi ſcientes uolentesq́ Muſachi. Tu libertati hominem uel naturæ potius reſtitue, ſi tamen aliàs unquam in hanc rationem apud te uenerit, ex omni arbitrio tuo, & animi ſententia in eum libere acturus. Sic lætus iuuenis accepta libertate, equo etiam, armisq́ ſibi à Scanderbego redditis, exclamans aſſidue eam liberalitatem, & Dijs omnibus Ducem, ac Epiroticum nomen commendans, dimiſſus abſceſſit. Noſtri collectis impedimentis, deficiente iam die, in Dibram cõceſſere, ibi deducta aliquantulum in medium illa conſultatio de oppugnatione urbium, ſed facile decretum, ut expectaretur quid acturus eſſet Tyrannus poſt eam cladem ſuorum, ne uel inania ſtatim, uel periculoſa ea conſilia experirentur. Statuti igitur duo ſunt menſes ad eam rem indagandam, & ſpectatores undiq́ maximo ſtudio emiſſi, licet uix ullo tẽpore trãsfugę ex Adrianopoli & alijs locis deeſſent. His ſic peractis, ac exercitu ſoluto, Moſes ad pręſidiũ, Scãderbegus Croiam cũ Ameſa & reliquis purpuratis ire perrexit. Redierat interea ad Mahumetẽ exercitus, licet miſerabili facie rerũ omniũ, nihil tñ uſq́ miſericordiæ inuenturus. Turbauit nanq́ primo regẽ, tũ & cęterorũ animos tot hominũ fuga, quos ſatis deperditã quanq́ belli fortunã reſtituere potuiſſe dicebat. Deinde ubi de ſingulis interrogauit, & quibus locis, & quibus cũ hoſtiũ copijs pugnatũ eſſet, uehementius exarſit, ac abire illico ex oculis increpans aſſidue, ac eam deteſtans ignauiã, iuſſit. Debreę quoq́ caſus plus fermè læticię, q̃ doloris ſui generis hominibus attulit, qui uel uirtuti inuidebãt, uel oderãt audaciã, & magnitudinẽ animi. Ameſa adeo uerũ ſe uatem fuiſſe dolens: Recte inquit, fecit ſucceſſor noſter, qui promiſſorũ ſuorũ exactores noluit expectare, habeat tñ ipſe ſibi eam laudẽ, & glorioſæ

Perturbatio Tyrãni ex aduentu reliquarum Debreæ.

glorioſæ pompa mortis fœlix gaudeat animus. Ego nihil inuideo, tum etiam & excuſare fortunam ſuam, ac ſuorum fugam cupiditate abolendę ignominiæ audacius occepit. Minoribus ſe multo copijs inſidijs quoq; inter inacceſſos montium anfractus, & anguſtias locorũ, à pedite, rigentibus præterea glacie ac niue omnibus circumuentũ, Debream paria omnia cum hoſte, copias autem dimidio maiores habuiſſe. Sic tacite, ac ueluti neceſſario eó decurrebatur, ut uel ita uolentibus Dijs, uel militum & ducis uirtute inuictam rem noſtram dicerent. Mahumetem eo rerum miraculo perculſum, ſtupor quidam non ſine inceſſione timoris inuaſerat, uix fieri poſſe dicebat, ut ea hominum paucitate fines ſuos, et Pologi cam peſtria aduerſus Debream ingreſſum Scanderbegum crederet, tamen quum & omnium idem teſtimonium, & proëmia falſi nulla uideret, non audebat ſpernere hominum fidem. Quod ad rem attinebat, & rationem ulciſcendi, non deerant undiq; appoſitiſſima ad regum uanitatem, morboſq; inuitamenta uana adulatorum genera. Qui ſolicita interpretatione laudem omnem noſtris auferentes capita ipſi ſua, corporaq; pro ea re deuouerent. Artificem tantopere inſidijs intentum ſemel præcipitaturum affirmantes, ut infinita eius generis exempla erant. Non Modriſſos ubiq;, non noctem ſemper, nõ Ameſas omnes, & Debreas futuros, cum difficili præterea hydra implicitum Scanderbegum tot quotidie renaſci capita ad eum abſorbendum, quot præciderentur. Quod ſi in ſinu Iouis eſſet, minime tamen tutum fore. Mahumetes audire libenter ea ſtudia hominum, neq; aperte reclamare offerentibus ſe ultro ad pericula multis. Nihilominus aliud coquebat callidus ueterator, aliud incruentius ultionis genus uerſabat animo, quomodo domeſtico aliquo bello opprimeret Caſtriotum, & inteſtina arma, inſidiasq; in eum excitaret, ut in alios ſępe fœliciter experta illi fuerat fraus, quod in Græcorum præſertim imperio extorquendo fecerat Amurathes, facile fretus (quæ humanæ cupiditatis incitamentum fuit, maxime ubi imperij cauſa agitur) Inuenturum ſe ex magis intimis, & charioribus uiri adiutores, & auctores conſilij ſui. Plericq; ea tempeſtate erant, quorũ magna autoritas gratiaq; apud Scanderbegum tam domi, quàm militiæ uigebat. Sed Moſes ſicut præcipua in bello uirtute, ita ſplendore quodam egregio nominis primas partes inter eos ſibi uendicabat. Tentare igitur tacite uirum, & magnitudine promiſſorum ad perfidiam pellicere in animo ſedit. Accedebat & illud ad commoditatem rei, quod maxime uicinum imperium eius, finibus ſuis ac Sfetigrado præcipue audiebat. Sic commodius inuitari ad colloquia hominẽ poſſe, & agi ſingula ſecretius & expeditius ratus eſt. Itaq; quantum ad bellum & inanes ſuorum iactationes ſimulans ſe non iniqua ratione nunc differre Epiroticam ultionem uelle, adhibitis pauciſſimis admodum ex purpuratis ſuis ſocijs eius conſilij, literas de hoc ad Sfetigradi magiſtratus multo ingenio, ſtudioq; confectas dedit. Alias quoque eiuſdem ſententiæ Alchriam ad præfectum urbis miſſas dicunt, ſed non multum

Adulatores appoſitiſſimi ad regum uanitatem.

Mahumetes uult Moſen à Scanderbego abalienare.

multum refert, an has ſcriptas epiſtolas, an ſecus quiſpiam credat. Melius tamen (ut arbitror) eſt putare uix unis tantum literis eam rem agitatam. Ad quod exiſtimandum, & negocij huiuſmodi ratio inuitat, & illud faſſe, quod Alchrienſes nullus unquã effectus eſt ſequutus. Illas ad ſe delatas & reſolutas Sfetigradenſis quo cautius poterat, habuit, & mandata Tyranni cupidiſſimè ad animũ tranſmit: nam ſi rem ex uoluntate regia peregiſſet, multa quoq; honorifice promittebantur ſibi. Formula uero literarum, quantum ad Moſen attineret, ea erat, ut nomine Mahumetis cum eo ageretur, daretur q; illi optio uel pecuniæ, & dignitatis ſi mallet apud Turcas, uel Epirotici imperij ex omni arbitrio eius, ſi Scanderbegum tollere poſſet de medio, uel id agere, ut eius miniſterio tolleretur, aut ſaltem illo relicto ipſe Turcarũ arma ſequeretur. Tum & alia uerba multum idonea ad perſuadendum appoſita, neq; de Moſe comprehenſum literis, ſed & de reliquis, licet non ita nominatim facta mentio, ac data præfecto poteſtas agendi, prout tempus locusq; poſceret, ac cenſeret ipſe magis è dignitate, commodoq; regis futurum. Nihil omiſit ex his Barbarus, ſumma ratione, conſilioq; in inuitando primum ad colloquium Moſe uſus. Nam communicato eo conſilio cum uno ex ſuis, & Chriſtiano, & Epirotici generis, illum ad hominem accerſendum miſit, multis oneratum promiſſis, ſi id perſuaſiſſet Dibrenſi. Nox ad ea agenda (ut par erat) adhibita, & Epirota locorum peritus nihil aberrauit. Inuentus eſt cum præſidio Moſes ad imperij clauſtra ſummotoq; teſte, hoſtili nuncio copiam ſui commodiſſime fecit. Ille priuſquam aliquid de cæteris mandatis attigiſſet, ut Sfetigradum accedere uellet, eum inuitauit. Negantem acriter, ac uelut irridentem impudentiam hoſtium, tum demum ad ſeria ueniens, & totus in blandimenta uerſus ſibi hominem attentum fecit, & animum Tyranni ex parte illi aperuit. Audiuit non inuitus ea Moſes, hauſitq; cupidiſſime (quæ præcipue militaris uanitas eſt) appoſita illa condimenta laudum ſuarum, præſertim quod regem Turcarum tam honorifice de ſe ſentire audiebat, & unum ex totius Epiri flore ulrto ad ſe & uoce, & literis inuitare, ni erubeſcendum potius fuerit glorioſo militi, quod unus ex alijs multis ueluti perditus homo ad tam inſignem perfidiam, & deteſtandum facinus potiſſimum eligeretur. Verum obliuiſci omnium præ gloriæ & imperij cupiditate conſueuimus. Talem tamen ſe nunc nuncio illi uultus, ſermoniſq; habitu præbuit, ut neq; approbare quæ dicebantur, neq; repudiare uideretur. Sfetigradenſis coniectata ſatis hominis uoluntate nihil diutius loquutus, pollicitusq; ſe propediem rediturum, eo concedente ad præfectum reuerſus eſt. Interrogatum de eius colloquijs Moſem à militibus reſpondiſſe dicunt. Exploratorem ex agro Sfetigradenſi occultiſſime ueniſſe ad aperienda quædam conſilia hoſtium, ſperareq; ſe eius miniſterio maxime cogitatus Scanderbegi adiuturum. Credita facile omnia ab ignaris, præſertim quod & habitus et ſermo ipſe Chriſtiani hominis idipſum ſuadebat.

Forma literarum de tollendo Scanderbego.

Cupiditas imperij & gloriæ facit omnium obliuiſci.

Quid

Quid præterea Mosi nõ crederent? cuius fide neq; antiquior ulla apud ducem, neq; notior, neq; gratior esset, qui toties, præsertim Daynensis belli temporibus totius imperij summam illi credidisset, dum hinc Mustaphas, hinc Veneti rapere Epirum conarentur. Cogitabundus tamen secum Dibrensis tantæ rei conscientia, & mœstior aliquantulum uisus, Impellebat animum huc, illuc nunc Scanderbegus nihil tale meritus, & fortunæ suæ gradus, cuius nullum sanè pœnitere potuisset. Nunc maiora omnia à Mahumete proposita, præsertim promissum illud diadema tantum miseris expertũ mortalibus, ita dulce primo stare loco. Expectabat tamen intentus assidue exploratorẽ suum (quod satis efficax erat corrupti animi signũ) O faciles aures, immo uero impias, quę audire ea diutius potuere, & hominem longe ingratissimum, qui pacisci tam facile patriam, principem, socios, Deos ipsos, dignitatem ociumq; suũ pro inani quadam spe, & re maxime incerta uoluerit. Reuertitur interea scelerata legatio non uerbis solum, aptioribus armata, sed muneribus etiam, auroq; onusta. Imbibisse perfidiam tantũ Mosem, aliud nihil accepisse inuenio. Nuncio tamen ita responsum, ne se amplius adiret, accipere regis uoluntatem, & quicquid sit de alijs, enixe curaturum, ne se hostem ulla ex parte posthac ille sentiat. Ita dum Scanderbegus ignarus hincinde exploratores mittit, Mahumetis consilia rimatus, hij multo funestiora alia in caput eius cudebant. Iam tempus præfixum ad dilatum prius bellum, & oppugnationem urbium aderat, & quieta simul omnia ab Adrianopoli nunciabantur, quũ Castriotus reputans iampridem quam rem animo concepisset, & quæ necessaria essent ad omnia recte agenda, statuit omnino Italica auxilia (si posset) ad eam rem sibi adiungere, quando sicut ad campestria certamina, & equos utrinq; concursus copias se habere optimas existimaret, ita non satis idoneum militem Epiroticum ad oppidorũ expugnationes, & id belli genus planè crederet. Erat Apuliæ rex Alphonsus in ipso propè conspectu, quo ut sæpius dictum est, non illo solum, sed totus ferè Christianus orbis familiarissime utebatur, de nullo alio tunc Epirensem cura incessit, quippe qui neminẽ uel cupidius, uel celerius id oneris sciret subiturũ. Quare priusq; aliquid de delectu habẽdo mouisset in prouincia duobus nauigijs egregie apparatis, multis q; lautissimis muneribus impositis, duos ex purpuratis suis cũ literis ad regẽ, multa fiducia (ut cõsueuerat) ac ioco quodam cõtextis in hanc ipsam sententiam misit:

Moses cogitabundus.

Legatio Turcæ ad Mosen, non uerbis armata sed, muneribus & auro.

Legatio Scanderbegi ad alfonsum apuliæ regem.

Nostri milites cum uiris tantum pugnare & depugnare nouerunt, cũ muris nesciunt. Vos Itali (ut audio) id belli genus & calletis, & amatis summopere. Itaq; opus est in præsentia mihi auxilio & industria uestra. Sunt oppida quædam hostium in Epiro, uel in ipsis propè uisceribus imperij nostri, uetus est desideriũ meum tollere eam ignominiam ex oculis si uelint Dii, sed assiduis bellorum incõmodis detentus non potui quippiam ad hunc usq; diẽ fœliciter attentare, Tempus istud & propter anni accomodatum tempus & ocium Mahumetis, cuius bis iam furorem repressimus

pressimus, aptissimum ad eam cupiditatem exoluendam elegi. Paucis tenere potes quid facto sit opus. Cætera omnia fermè in procinctu sunt, uos tantummodo expectamus, dabis milites (nihil enim recuso) qui eminus pugnare didicerunt, Scorpionatos scilicet istos, & Sclopigeros, nã cæterorum nobis ad satietatem abundat copia. Sed ô fœlicem te rege Apuliã mi Alfonse, ex qua ita liceat, omne uirtutis specimen tanq; ex thesauro aliquo affatim depromere. Si pace, si bello utiles uiros optauimus, tu forum, tu militiam ornasti, tu legibus, tu armis Epiroticum fulsisti imperium. Te domi, te militię omnis sexus, omnis ætas, omnis Epiri angulus celebrat. Ego uero ita beneuolentiã tuam amplector, & foueo memoriam tuorum erga me officiorum, ut interdum uel eam fortunam exoptẽ tibi (& si non satis æque agere uideor) quæ amicos (ut aiunt) probat, nõ parat, quo uoluntatẽ in te meam certiore aliquo experimento cognoscere ualeas.

Datis ad Regem literis, ipse cum Amesa nepote, Musachio Topia sororio, & alijs purpuratis Dibram ad præsidium concessit, consultaturus ibi de singulis, & delectum insuper habiturus. Quó cũ peruenisset, & interrogaret Mosen, an aliquid haberet ipse noui propter uicinitatem hostium, quod sua interesset, nihil inquit, præterq;, quod cum homine Sfetigradẽsi collocutus sit, an aliqua esset ratio, aut modus urbis habendæ, & illũ maxima asseueratione idipsum negasse, ita uiris, armis, cõmeatu, & custodijs diurnis, nocturnisq; exactissime oppidum munitum obseruari. Veritus est Dibrensis, ne Scanderbegus ad Sfetigradi oppugnationem animum intenderet, & necesse sibi foret Mahumethi quoq; promissa non seruare. Quare ad id ipsum maxime intentus Scanderbegi curam facile Belgradum transtulit. Verumenimuero Tyrãnus auditis his, quæ transacta fuerant cum Mose, non multum quieuit animo, cum nullum uideret promissæ fidei pignus datum sibi. Tamen urgentibus alijs curis ex Græcia, & poscentibus arma, deposuit aliquantulum Epiroticã expeditionẽ, quando uel ipse tunc ire, uel magnis copijs rem agere commode non posset. Leuibus uero agminibus (ut fecerat) lacessere ulterius hostem, uel alere potius, neq; è dignitate, neq; ex utilitate sua uidebatur fore. Itaq; tantũ renouatis literis, & datis ad præfectum Sfetigradi, quibus laudabat, & acuebat magis diligentiam hominis, aliud nihil de ijs, quæ ad Epiroticum bellum pertinerent curauit. Alfonsus interea legationem literisq; Scanderbegi honorifice acceptis, summa festinatione cõquiri militem iussit. Delecti illico sunt ita, exigẽtibus legatis mille pedites, quingenti sclopiferi, reliqui scorpionarij. Adijcere numerum maiorem uolentem regem prohibuerunt, negantes maioribus copijs opus Scãderbego fore propter breuem oppidorum hostilium ambitum, quæ oppugnatũ essent ituri, et multitudinem sagittariorum, quam haberent in prouincia. Petiere tamen ad ea armatorum auxilia instrumenta quædam bellica, & uectes ferreos ad subruẽdos eruendosq; muros. Data omnia, & tormẽta

Scanderbegi Mosen conuenit.

T pleraq;

pleraq; uarij generis, artifices q;, qui ijs uterentur. Nec q; contentus his rex, pecuniam etiam ampliſſimis addidit ad adiumentum eius belli, acto tidem alijs nauigijs magnifice inſtructis. Ventis, Dijſq; homines commendans, à ſe dimiſit, ſed non ſine literis & ipſe, quibus ingentes primum gratias agebat, ob ſibi data munera, tum laudabat fiduciam Caſtrioti de rebus ſuis, quibus uti ut proprijs hortabatur, & augebat officioſiſſimis uerbis illam, ac mira liberalitate ſermonis pollicebatur omnia. De milite uero id facetiſſime reſponſum, Italos non cum uiris tantum & muris, ſed cum fœminis melius pugnare noſſe. Cauerent itaq; Epirotæ, ne quos ad gerenda eminus bella inuitarent, cominus domeſticos ſibi bellatores ſentirent. Cætera quæ laudauerat in rege, omnia (ut ſolet) ad magnitudinẽ amoris relata. Et contra uirtus, fortunaq; noſtri ducis incredibili decore uerborum extra omnem propè gloriæ humanæ aleam poſita. Auſtro ſpirante mox placido proſpera nauigatiõe ſunt uſi, paulo q; poſt patrium q; littus à nauticis ſalutatũ (Traiectus enim breuiſſimus eſt, uix lx. millium paſſuum) & miles in terram cum ſarcinulis & armamentis expoſitus, ac properatum illico Croiam. Caſtriotus adhuc in Dibra morabatur, propter ceptam delectus curam, qui propè perfectus erat, & obſeruabat, an motum aliquem ab Adrianopoli ſentiret. Peractis, & comparatis egregijs ſingulis, cum uniuerſo exercitu Croiam pergit ire. Ibi & regia auxilia ſibi adiuncturus, quæ certiſſima ſpe expectabat, & accepturus quædam, quæ ad eam oppugnationem ſibi opus erant. Moſes in Dibra cum uetere præſidio mille equitum, totidem peditum relictus. Non omiſit interea Scanderbegus inuitare hominem ad Belgradenſe negocium, ſatis cupiẽs tantum uirum eo bello adeſſe ſibi, & mallens alij eam curam finium tutandorum demandare. Hortati ſunt & alij ad id ipſum Dibrenſem, ſed ille tergiuerſando, & cauſando multa pertinax hoſtibus fidei datæ ſeruator non inani ratione ſe ſubtraxit, quum diceret nõ relinquendam ita opportunam iniuriæ, eam partem prouinciæ eſſe (nam Belgradum in diuerſa regionis parte erat, procul à Dibra centum fermè xl. millibus paſſuum) neminem cautius, uigilantius q; res ſuas, q; ſeipſum tutaturũ. Non fuiſſe recuſaturum, ſi Sfetigradum iretur uicinum oppidum, & nulli moleſtius fore, q; ſibi, ab eo apparatu abeſſe, ubi & gloriæ militum, & utilitatis plurimum ſperare poſſet. Sed nec ſe (ut credebat) ſine bello futurum: non enim quieturum Mahumetem, ubi obſeſſam urbem audiat, irrupturum fortaſſe ab ea parte in prouinciam, ut nouo inde excitato belli incendio, Epiroticum exercitum à Belgradenſi cura auocaret. Accepta omnia ut dicebantur, & laudatũ perfidum conſilium ab ignaris, data q; poteſtas prę fidij augendi, ſi tempus res q; poſceret. Caſtrioto uenienti Croiam, regia agmina obuiam proceſſere, & multo gaudio, clamore q; exceptũ duxere in urbem. Reliquus exercitus fixis tentorijs nõ procul à portis conſedit. Expoſita ſunt omnia à legatis, quæ acta cum rege fuerant, & pecunia numerata, ac traditæ literæ, quæ multũ riſus mouere Scanderbego. Idem q;

In Italos facete dictum & falſe.

Reditus Caſtrioti ad urbẽ Croiæ, Dibris cum nouo delectu, relicto ibidem Moſe cũ uetere præſidio.

Laudatur perfidum conſiliũ Moſis.

cæteris

cæteris, nam eas magna ſuorum frequentia legi uoluit Epirenſis. Lauda uere omnes ſummopere tantam comitatẽ, ac populare ingenium regis. Caſtriotus magnificentiam eius, & amorem in Epiroticum nomen longa concione teſtatus eſt. Copias ab eo miſſas, prout gradus cuiuſq; ac ordo poſcebat, laute haberi publicis conuiuijs iuſſit. Reliqui purpurati interim machinas & tormenta apparare, expedire q; alias neceſſitates, exercitus, ac omnia imperata enixe facere. Perfectis ſingulis Epirenſis ſequente (ut fit) omnis generis multitudine, uſq; ad caſtra ipſa urbem reliquit, ibi primũ percenſito exercitu ſupplicationes uota q; pro reditu, & victoria facta. Perſolutis his, & expectante iam milite ſignum ad proficiſcendum, Scanderbegum ita exorſum ferunt:

Vndecimus iam hic annus eſt milites, ex quo (ut uidetis) nihil aliud agimus, præter q; ut in Epiro maneamus, ut auorum ſedes, ut patriq; poſſeſſionem fato magis quodam, q; ulla ignauia noſtra amiſſam recuperemus, recuperatam q; retineamus. Nunc enitendum eſt tandẽ uobis, agendum ita, ne hoſtes hic maneant, et frena iugum q;, quę benignitate Deũ tot undecunq; ballorũ periculis, & laboribus exanclatis tam glorioſe deposuiſtis, alijs glorioſius imponatis. Quod ſi illis, qui impoſuere uobis prohibet fortuna noſtra, at ſaltem teſtandum præclaro aliquo documento uires defuiſſe uobis, animos, & pertinaces ſpiritus non defuiſſe. Ni ſatis fortaſſe teſtatum eſt idipſum uniuerſo terrarũ orbi, quũ oblatas olim uero ab Amurathe (cuius memoriam tẽporis libenter repeto) pacis non inhoneſtæ conditiones, immemores patriæ, immemores parentum, uxorum, filiorum, quietis, ocij, & omnium rerũ, præter q; prę cipui cuiuſdam decoris, & incorruptæ libertatis obliti uelut ſordidiſſimas reſpuiſtis. Nõ ſubiectas oculis cruentiſſimus Tyrannus, non infixa oſſibus ueſtris tam horribilis exercitus memoria mouere feroces animos potuit, & deſtinata ſemel pectora libertati, donec uel ipſi egregie cũ ea caderetis, uel memorabilis cuiuſdã victoriq confeſſionẽ tanto hoſti uel inuito exprimeretis. Adiuuit cogitatus ueſtros Deus optimus maximus, uidiſtis, perſpeximus oẽs codẽ fermè temporis momento & tributa poſcentẽ Amurathẽ, & efflantẽ nobis ingentẽ ſcilicet ſpiritum, & tot mortalium uotis petitũ. Tunc relicta Epirus, & data eſt nobis. Tunc uere libertatis omẽ acceptũ, ac ſequendũ cupidiſſime fuit, & per recentis illius ſanguinis ueſtigia hic, quem nunc paramus, ducendus erat triumphus, ac amplianda gloria ueſtra. Sed quid fruſtra præterita querimur? præſertim quę & non iniqua ratione poſſint excuſari. Amplior fortaſſe hodie laus, & cumulatiora omnia ſeruata uobis. Non ex patre ſolũ fortunæ ueſtræ, ſed ex filio quoq; ſat egregia auſpicia ſumpta. Dedit experimentum nouus rex & animi, & fortunæ ſuæ, quale uos ipſi, ſi ſors daretur, eratis petituri. Tributum poſcit primo egregius dux, ſat iam armis ueſtris domeſtico exemplo planè edoctus, & altera fermè manu paternum funus ducebat, altera pacem quærebat à uobis, licet honeſto quodam prætextu tributi, talem tamen

Oratio Caſtrioti ad ducces et milites in profectiõe ſua ad urbem Belgradi oppugnandam.

laturus, qualem eratis conceſſuri. Sed conſilium illud Tyranni propter Perſicos tumultus, non timorem quis dixerit? Quid dicam? Vos eodē uultu, pertinacia eadem, qualiſcunq; ratio cauſam ei uel timori, uel conſilio dediſſet, expoſtulatum negaturi fuiſtis. Et ita alacriter negata omnia, neq; negaſſe quempiam pœnitet. Armatus poſtea id ipſum exigere uoluit Mahumetes, dati exactores ad uos, perſoluiſtis egregie omnia. Numeraſtis in Mocrea ualle publice, priuatim q; petitum tam cupide tributum iſtud, numeraſtis nuper in Pologenſi agro. Vbi ubi eſt, oro, recens adhuc, & cruentum Debreæ caput illud? Hoc ſignum ſequendum erat uobis, hoc ad Belgradenſes portas ſigendum. Prodeſſe hæc multum & poſſunt & debent ad uos animandos, cæteraq; cuentū ipſum belli reſpiciunt, tempus, locusq; optime ſuggeret. Proinde nemo obijciat hodie mihi uel maiores hoſtium apparatus, uel formidandos aduentus Ottomani. Vbi armis oportebit, obnixo uultu, & intrepidis animis reſiſtemus armati. Vbi conſilio, prudentiaq; opus fuerit, temerario laudis appetitu funeſtam gloriam nō petemus. Nemo uel pugnam, uel fugam noſtram rite initam poterit arguere, ut & in Sfetigradenſi oppugnatione factum à nobis meminiſſe poteſtis. Obſedimus urbem, uexauimus quoad cōmode licuit incluſos. Quū de aduentu Amurathis fama percrebuiſſet, noluimus expectare ut ipſi obſideremur. Qua tempeſtate nedum hoſtē immodicum, ſed ne id tempus quidem expectaui, quod iniquiorem uobis proculdubio, q; obſeſſis obſidionem illam faceret. Domum in hybernа uos reduxi, omiſſa totius ultionis, omiſſa urbis recuperandę, & honoris propè mei cura præ quiete commodoq; ueſtro. Belgradenſis oppugnatio eadem ipſa ratione agenda eſt nobis, & agetur quantum conſilio humano effici poterit. Conſiderabimus caute ſub muris, aduentum hoſtium cautiſſime obſeruabimus, ut tuti interim à tergo, & ſine reſpectu aliquo pugnetis. Venientibus uel cedemus, uel reſiſtemus, prout res tempus q; feret, prout ipſi ſtatuctis. Et accōmodabimus rationem oēm eius obſidionis ad ueſtram omnium uoluntatē. Si aliqua (ut fit) uel belli fortuna, uel pertinacia hoſtium deſiderium noſtrū protrahet, aut eludet forſan, nō ideo ſtolida obſtinatione conſeneſcemus ſub muris. Idem & autumni erit, & oppugnationis noſtræ finis, ni magna aliqua ratio cōtinuandi eius belli nos impellet, aut alicū de illiceat. Sed neq; autumnū uirtus ueſtra expectabit, neq; inglorios uos ego, et uacuis (ſi uiri eritis) manibus domos reducā. Nam per Deum immortalē quid agent tot dexterę? tot oppoſita artificia, & bellici apparatus? Quid regius flos iſte militię ex omni propè Apulia electus, & datus uobis, uel relegatus potius ad hāc cauſam in Epirum? Examinanda hęc oīa uobis ſummo cōſilio ſunt milites. Horum ratio exactiſſime ſingulis animaduertenda, & penſanda ſaltē hoc pacto Sfetigradenſis iactura Epirenſes. Nihil alienū appetimus, nō noua gloria ulla quæritur nobis, ſi uincimus, ſed uetus reſtituitur nobis patrimonium, & recens ignominia aboletur. Nec noſtra ſolū, ſed totius penè Epirotici

Epirotici generis, nonne & Chriſtianorum id oppidum, & conſanguineorum ueſtrorum? Omnes ferè meminiſtis, quod poſt Theodori Coronę reguli eius loci mortem, intentus iampridem Amurathes nepharia id ſibi arte ſicut cætera uendicauit. Plena adhuc eſt urbs (ut audio) uetęri habitatore. Aduuabunt hæc multum (ni fallor) conatus noſtros, intus extraq; oppugnabitur hoſtis, & incruenta fortaſſe uos uictoria manet. Expectant aſſertorem aliquem, ac auctorem conſilij ſui. Mox uelut longis preſſi tenebris, ab oblatam a uobis lucem, & auditum nomē liber tatis ardentiſſime conuolabunt. Quare agite dum, uel adeſte expectantibus uirtutem ueſtram, uel cogite hos quoq; unà cum cæteris, ſi obſtinatos inuenceritis. Gloriatur maxime Hungaria Belgrado ſuo Danubij ripam appoſito, & inter maxima uirtutis ſuæ exempla id oppidum refert, ad arguendam hoſtium ignauiam. Patimur ità ne (ſi dijs placet) & ipſi inſigni totius Epirotici nominis ignominia Belgradum noſtrū diutius in oculis, & uiſceribus noſtris ab infenſiſſimis hoſtibus poſſideri? Ab hac uoce, uelut ſigno dato, undiq; ſublato alacri clamore procedere iam agmina cepere. Sed Scanderbegus nihil adhuc ipſe mouens ſiſtere ſigniferos, & redire ad ſua quenq; loca iuſſit. Nondū enim de more prę miſſi fuerant præcurſores ad perluſtranda rite ſingula, & occupandum caſtris locum. Electa ad hoc tria expeditarum equitū millia, & Tanuſio aſſignata. Qui mox abſciſſa omni mora diſceſſit, & ueluti ex oculis hominum euolauit, cupiens ſi poſſet, celeritate præuenire hoſtē, & in re improuiſa egregium aliquid nauare ante reliqui aduentum exercitus. Caſtriotus poſthac præcedentibus impedimentis cū cæteris copijs ſequutus eſt. Præuenerat iam fama prior, & inſtruxerat hoſtes de ſingulis. Quare nihil penitus uel ad inſidias, uel ad aperto Marte fæuiendum materiæ inuenere noſtri. Nam agreſtes, & quę meliora in campis fuere, omnia iampridem in urbem recepta. Et frumentum omne (in medio enim eſtatis erat) demeſſum, ac contractum intra mœnia ab oppidanis fuerat. Miles impatiens ocij, ubi neq; ad laudem, neq; ad prędam relictum ſibi quippiam uidit, ad inijciendum tectis ignem, per agros, & reliquis ſatis, ac arboribus nocendum diſcurriſſet. Sed prohibuit Tanuſius ſe nihil tale à Scanderbego accepiſſe inquiens. Diſpoſitis itaq; hincinde cuſtodijs, nullo neq; uerbo, neq; facto laceſſens incluſos quietiſſime conſedit ſub muris. Neq; ab oppido motus aliquis fuit in ſubiectos. Intus tamē procurata ſtudioſiſſime omnia, ac ſtationes (ut operęprecium erat) diuiſæ, & miniſteria ſua ſingulis aſſignata. Præſidium Tyranni ſatis ualidum erat, mille amplius militum numerus, Chriſtianorum tertia parte maior multitudo uilium ad arma, nam infirmę ætatis ſexusq; capita non curata. Variatum multū ſententijs eſt inter regios, an id præſidium Chriſtianum ejiceretur ex urbe, an retineretur. Suſpecta fides hominum erat, nam & ritus, ac ingenia diuerſa, & alij quoq; dij, omnia ſuſpecta magis iure faciebant. Minuebat tamē eam ſuſpicionē, quod relicti tamdiu ab Ottomanis præſidio urbis, Tiſj & habiti

Theodorus Corona regulus.

Tanuſius cum tribus millibus equitum præit iuſtum exercitum.

Præſidiū Tyranni in Belgrado.

& habiti honorifice essent. Necp ullo satis tempore aliquod perfidię indi
cium in illis fuisset deprehensum. Videbant prętera uxores, liberos, pa
rentes ipsorũ, & fortunas oẽs uelut quędã pignora in manu sua esse. Igi
tur multa in diuersum dubias mẽtes trahebãt. Prefectus cupiẽs & retine
re illos in urbe, & efficacius aliquod fidei alienę pignus habere, ac tuto (ut
Colloquium prefecti cum senioribus Christianorũ. aiunt) tergo, & sine respectu domestice rebelliõis pugnare. Cõuocatis se
nioribus quibusdã Christianorũ priuatim multa cũ eis tacita insinuatiõe
suspicionis egit, & militũ suorũ cõsilia illis aperuit; inquiens, nõ sine sedi
tione rem transiturã, ni aliqua securitate, & uinculo fidei illorũ animi seda
rentur. Se de officijs & fide ipsorum nuncp dubitasse, necp in presentia
quicp dubitare, & nõ minus spei in eorũ armis, cp in seipso, & regio præ
sidio ponere. Sed habendã rationẽ aliorũ, necp spernẽda postulata illorũ,
quorũ res agebatur, & præcipue intererat unicũ tantũ existimare se habe
re hostem. Conqueri Belgradenses nihil se tale ullo satis tẽpore cõmisisse,
ut pœnitere Turcas fidei suę posset, uel suspecta apud quempiã animorũ
suorũ sententia esset. Nullam subesse rationẽ, unde tantus timor perfidię
suæ oriretur, nisi ex eo, cp Christiani, & Epirotici generis essent, sed iniu
ria profecto id obijci sibi, an scilicet meliores se Christianos sub alijs futu
ros sperarent. Quũ necp liberalius, necp indulgentius ritus, legesp suas
seruare sibi à quopiã permitti, concediue possit, cp eousp à Mahumete sit
permissum. Reliquas causas inanes proculdubio oẽs esse, quę Scanderbe
gum illi cõciliare proponerentur. Nuncp subiectũ id oppidũ Castrioto
fuisse. Dedignari id iugũ Belgradenses, & prius extrema omnia, cp eam
ignominiã perpessuros. Timeri id posse si aliqua Theodori soboles exta
ret, & cupidę ueteris fortunę multitudini offerreretur. Extinctam cũ eo
esse oẽm Belgradensium societatẽ, & consanguinitatẽ cũ Epirotarũ gen
tem, ac Ottomanũ abinde imperiũ tam patientissimis, cp cupidissimis ani
mis acceptũ, libertatẽ se illi, patriã, uxores, liberos, parentes, corpora de
nicp, ac sanguinẽ suũ dicasse, ac deuouissecp. Necp habere nunc aliud cer
tius pignus, uinculumue, quo fidẽ suã regio obstringant præsidio, præ
tercp id ipsum quod dedissent Amurathi. Omnia in manu eorũ esse, fili
os, uxores, fortunas, & quicquid charũ, iucũdumcp in uniuersa uita pos
sideret. Barbarus nõ tã quę dicebãtur, cp animos, uultusp dicentiũ con
templatus, accepit alacriter orationẽ, studiacp illorũ, tñ maximo ingenio
pluribus adhuc actis, transactisp nõ prius eos dimisit, cp satis magnũ nu
Obsides dati ex Christianis. merũ ex suis uelut obsides promisissent. Sic promissi pariter & dati sunt,
ac ducti in arcẽ custodiẽdi, ubi Turcarũ tm modo prędiũ morabãt. Mi
sisset profecto libenter eos ad aliquod oppidũ uicinũ, uel Adrianopolim
ad alligandã melius hoim fidẽ, sed obsidiõe impediẽte nõ potuit. Pacatis
eo modo, ac firmatis oim animis prefectus, quũ statiões singulas obijsset
& perlustrasset portas, ac loca quęcp urbis, & in foro iuxta morẽ ad uari
as rerũ necessitates disposuisset agmina armatorũ, excitare deinde suorũ
aios, et inijcere suos quibuscp stimulos fidei uirtutiscp his uerbis cepit.

Si quid

Si quid dicendum à Duce militibus in præsenti hac causa erat Belgra
denses, & si quid animorũ uobis ex me sumendũ fuerat, pręuertit certe id
ipsum, prœoccupauitcp oratione meã oẽm oculis subiectus hostis. Nulla
efficatior adhortatio, nullus acrior stimulus uel fortibus, uel ignauis illo
esse potest. Non hortatur uos ille, non inuitat, ut facio ipse, sed urget, co
gitad arma. Strinxit ferrum in iugulum uestrum, attulit uincula iam iam
impositurus, si iacentes inuenerit. Affert ampliora alia omnibus publice,
priuatimcp Scanderbegus. Videor iam uidere mihi insolentissimum ho
minis aspectum, & cruentum os illud uocantis uos ad seruitutem. Obtu
rate, occludite aures, rogo per Deos immortales. Ad sordidam uobis,
turpemcp uocem, non ore, non labris, sed gladio, sed dextera respondẽ
dum est fortibus uiris. Appositis fortasse uerbis, & honesto aliquo præ
textu societatis pellicere ad se animos uestros conabitur, & uelut uana &
leuia muliercularum ingenia in singulas partes uersare tentabit. Eodem
ad omnia uultu, eadem pertinacia utendum est uobis. Luctuosum profe
cto est quouis modo, turpissimum autem ita libertatem pacisci. Et priusquam sanguinis aliquid forti uiro sit profusum, eam exprimi turpis igna
uiæ confessionem. Non ideo ferrum, armacp sumpsimus, ut uerbis expu
gnaremur. Nõ portas eo animo clausimus, & ualide fiximus, ut ipsi ape
riremus. Aperiat tandem iter sibi hostis, si fortuna ferat, sed timendum
hoc minus, cp nunc cœlum ruiturum. Quod si uel urbis munimenta, uel
abundantes omnis generis cõmeatus, uel habitũ ipsum loci, uel numerũ
uestrũ, uel uirtutẽ specto, toties expectatũ mihi huius belli euentũ, & cupi
tam uictoriæ palmã certissimo mihi animo spondeo. Potuit Sfetigradũ *Exempla uirtutis ab hoste petere.*
in medio quasi hostium solo, & præsidio adhuc minore omnẽ Epiroticũ
furorẽ tamdiu cõtemnere, & Ottomanũ nomẽ seruare in Epiro? Potuit
Croia (liceat ex hoste quocp exempla uirtutis petere) uniuersum fermè
Europę atcp Asię robur tam cupide & audacter expectare, ac prostratis
undicp mœnibus, omni nudata præsidio, pertinacia sola, tam insignẽ glo
rię titulum in omnia secula promereri? Nos in rerũ oim copia, ac fermè
abusu in proxima etiam spe auxilij ab Adrianopoli, infame huiusce modi
prædonum agmen, nõ solutis undicp animis bona cum spe aspiciemus.

Inflammauit adeò ea oratio militum ingenia, ut prætermultas (ut fit) *Aduentus Scãderbegi cum reliquo exercitu & copijs suis ad urbis obsidionem.*
iactationes, sponsionescp fidei, nonnulli circa prefectum circumfusi, sum
ma contentione poscerent copiam erumpendi, ac congrediendi cum ho
ste, sed nihil concessum, quum Scanderbegus in propinquo esse nuncia
retur, necp multũ spacij inter hęc, & aduentũ eius interessit. Quarta erat
hora diei, quum exercitus noster omnis contractus est ad urbem, & con
sedit sub muris in campestri loco. Pransum primo per quietem, & cura
ta corpora, tum impigre partitæ copiæ, & sua quibuscp loca assignata.
Statuerat nancp Castriotus eodem ipso die oppugnationis initium fa
cere, ni pacatum aliquid allatum fuisset ex urbe. Quindecim hominum
millia erant, viij. equitum, vij. peditum, dispositacircum & per planum

& per montem omnia qui non multum arduus neq; erectus non peditī ſolum,ſed equiti quoq; ſatis commodam ſtationem præbebat,ſubducta eo ipſo tormenta,& locata à peritis,ac oppoſita mœnibus diuerſis locis. Ordinatis tamen omnibus,nocti conceſſum eſt,intus multum de recenti illa hominum audacia aſpectus ipſe noſtrorum,& is præſertim apparatus machinarum detraxit. Adueniente die,ubi concuti muros erectis tormentis uidere,& nudari quibuſdam locis munimentis et propugnaculis urbē,ſimul cōſultantes,ſimul reficientes mœnia, uariauere aliquantiſper ſententijs,an colloquerentur cum hoſte,priuſq; ad ſcalas,& militarem furorem res deueniret,uerentes tueri non poſſe urbem. Et ſi in ipſo ardore pugnæ id attentaſſent, hoſtem uictoriæ ſpe inflatum non conceſſurum, tamen renitente præfecto, quum nondum talem uim periculi,& nunquā copiam eius turpitudinis defuturam diceret,ſuperſeſſum. Idem & die ſequenti factum,nam Scanderbegus nondum ſatis facta uia militi,per fracturam murorum,cominus adhuc nihil moliebatur in oppidanos. Demum elapſis duobus alijs diebus,& urbe iam ruinis deformata, qua parte magis obnoxia iniuriæ erat, ſepoſitis tormentis, militum iam animis, operaq; agendum ratus, poſteram diem ueræ oppugnationi,atq; uirtuti præfixit,omnia apparari iubens,ut cū aurora ipſa ſuccederetur muris, quod factū eſt. Cæterū inferentibus iam ſigna noſtris, & clamore ſublato procurſantibus ad hoſtem,progreſſi illico legati ex urbe,et deducti ad Caſtriotum,inducias eius primo petiere, quæ nullo negocio fuere conceſſæ. Sciſcitantibus deinde illis,quas dedentibus ſeſe conditiones eſſet allaturus,reſponſum quæ dedentibus deberentur. Salua eorum corpora cum armis & ſarcinulis eſſe uelle,reliqua uictoribus deberi. Reuerſa legatio,& expoſita omnia,ac audita maxima omniū moleſtia, quod tam gratuia ſibi re adhuc integra ſtatuerentur, quæ ſalute penitus in armis deſperata,& urbe ferè amiſſa impetrare uicti facile poſſent. Mœſta ubiq; agmina,ac incerta quid agerent timore, indignationeq; in diuerſum trahenti bus. Chriſtiani nihil mutire,nedum dicere auditi,licet prout cōditiones à Scanderbego propoſitæ eſſent, priuari ſe patria & patrimonijs ſuis uiderent, tamen ſi urbs dederetur,ſperabant facile ſibi quæcunq; petiſſent, conceſſurum Epirenſem. Itaq; neq; pro conditionibus, neq; contra eas interceſſere,ne qua etiam in eos ſuſpitio renouaretur. Rogati à præfecto quid de ea re ſentirent,nihil reſpondere,iuſſumq; ſe, non rogationē expectare,quod ipſe è dignitate ac utilitate omnium cenſeret,ſe & armatos,& inermes approbaturos. Multum eius diei conſultando tranſactum, decretum tandem,ut menſtruæ inducię peterentur. Quod ſi per id ſpaciū auxilium non haberent à Tyranno,nihil eſſent recuſaturi eorum,quę imperarentur,ſperantes Mahumetem celerrime aduenturum,neq; paſſurū eam ignominiam,quem ante ipſum Tanuſij aduentum, de eo apparatu in ſe contracto,præmonuerant. Et ſic libertatem ſe,ac ciuitatem incruentos ſeruaturos. Quod ſi negaſſet id hoſtis, acuendum ferrū, animosq; &

Belgradenſes petūt inducias à Scāderbego.

Chriſtianorū in Belgrado prudentia.

Menſtruæ inducię petitæ.

& pertinacia aduerſus pertinaces utendum. Remiſſa itaq; ea legatione in caſtra,Scanderbegus deridēs eiuſcemodi poſtulata, ſanius deliberare de omnibus, & apparari ad bellum iuſſit. Deinde ubi obſtinatos, & uix quinq; dies ei tempori detrahentes uidit,acrius exarſit. Sed nox interueniens diremit eas actiones. Purpurati quidam,& periti militiæ uiri, non reſpuendas omnino eas incluſorum conditiones cenſebant. Videndum tamen an minui id tempus ab eis petitum poſſet,allegantes difficillimam oppugnationem loci, quū & mons in cacumine,quo urbs amplectebatur,non ſatis tutum aſcenſum ex maiori parte præberet pugnaturis. Et lapides uiui circum pluribus locis aſſurgentes,ac opere humano in munimenta deducti,contemnerent omnino,& ueluti eluderentq; ictus machinarum. Ex eo euentum belli tardiorē aliquantiſper,& rem longiuſculam futuram,uel darentur inducię oppidanis,uel non darentur, utroq; modo credere ſe auxilium Tyranni,eo loci acceſſurum. Magis tamen periculoſum fore,ſi & occupati forſan,& feſſi offendantur. Si uero uel non ueniat,uel tardet id præſidium,incruentos ſe,& ſine militum pernicie potituros urbe. Si ueniat,tēpore uſuros, & occaſione. Aptiſſima ſibi omnia ad pugnam,ad uictoriam,ad laudem eſſe. Nihilo maioribus ſe copijs memorabilem illam cladem Alybaſſæ infligiſſe. Immemorem præterea tunc Epiri,ac oblitum ferè omnium Mahumetem præ Trabiſondei imperij cupiditate. Non alia ratione putare ſe,obſeſſos id ſpacij ad tradendam urbem petere,niſi ut Tyrannus tam ſubitam & ignominioſam eorum dedi tionem non poſſit arguere. Et profugi olim,ac rebus omnibus exuti uetionem non poſſit arguere. Et profugi olim,ac rebus omnibus exuti uetia apud eum,& miſericordia aliqua digni uideantur. Subridens ad ea Caſtriotus: Saginatos tot uictorijs Epirotas, delicatiores factos eſſe,inquit,ſuperiore anno frigoribus,nunc caloribus nimijs impediri. Opus eſſe (quod Dij omen prohibeant) aliqua fortuna,quę eam ignauiam, & torporem excutiat animorū. Credulos etiam plus nimio appellans eos, prioris tēporis haud abſimilem Sfetigradenſium perfidiā fuiſſe inquiēs. Quid facturos demum,ſi quum tempus præfixum negocio aderit,uel coctam tacite fraudem,uel mutatos hominū animos ſentiant. Daturos pœnas eius credulitatis,& amiſſi iacturam temporis nequicq; dolituros, ac pendendum tandem interim ex hoſtium uoluntate,fideq;,quia tamē uera multa præſertim de difficultate oppugnationis, ac occupationibus Tyranni dicebantur, non ideo ſe quid opus facto eſſet differre debere,& ſi aliquis interim apparuiſſet motus ab Adrianopoli ſat egregias uires ſuas ad ſe defendendum,& ad omnē iniuriam excludendam eſſe. Dibras præterea Moſis præſidio tutiſſimas eſſe dicebat,paſſus eſt tamen & ipſe trahi in eam ſentētiam. De tempore multis ultro citroq; tranſactis denicq; xvi. dierum interuallum conceſſum. Sic re cōpoſita cum oppidanis, Caſtriotus primum omnium præter cæteras cuſtodias à Tanuſio prius diſpoſitas xxv. milites ſuper monte quodam non procul miſit ad latiorem ſecuritatem ſuorū,ut uiſum à longe hoſtem ſublatis accenſis faſciculis primo, deinde

Conſiliū quorundam purpuratorum de inducijs.

Caſtriotus irrideat cōſilium purpuratorū.

Inducię ſedecim dierum.

deinde ipſi aduolantes proderent, quo ſpacij aliquid militi ad inſtruendam aciem & arma ſumenda foret. Hoc pacto deinceps ut meliora exercituí ſtatiua faceret, & ſeparatis aliquantiſper tentoriis, reſpirarent agmina ab iſs caloribus qui tunc uigebant, ipſe cum Ameſa, & nonnullis purpuratis, retentis tantummodo tribus equitũ millibus, & mille peditibus, montem tenuit proximum oppido, ſingulis ſumma ratione diſpoſitis, & tormẽtis quibuſdam in procinctu habitis, ne impetus aliquis in ſe ab oppido fieri poſſet. Muſachium & Tanuſium cum reliquo exercitu in ſubiecta planicie maioris cõmoditatis cauſa caſtra transferre iuſſit, & quieſcere ab ab armis, cæteris q̃ operibus militem, donec præfinitus oppidanis dies aduenisſet.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Octauus.

Tyrannus audita Belgradi obſidiõe, omiſſa omnia alia cura, totus in eã ſoluendam eſt conuerſus.

ELLESPONTI PROPE IN LITTORE IPSO, ET transfretantẽ iam in Aſiam Ottomanum ad Trapezuntium imperium ſibi uendicandũ, multiplex, nec̃ mendax fama Belgradenſis obſidionis inuenit conquerentem maxime et iniquo ferentem animo, quod tam ingẽtis paratę facultas gloriæ ſibi eo impedimento è manibus quaſi eriperetur, quem etiam non ſine ſtomacho dixiſſe ferunt:

Semper Epirus aliquid mœſti rebus noſtris affert. Mox q̃ Aſiaticis rebus tunc omiſſis, & in alia die prius dilatis toto animo Belgradi curam ſuſcepit. Non defuere quidam ex ſatrapis, qui minime interrumpenda ea conſilia ſuaderent, nec̃ tantam rem, ac tam inſignem apparatum ob infamis unius Epirotici oppiduli periculum prætermittenda. Mahumetes autem nõ id exemplum ſe à maioribus ſuis accepiſſe inquit, ut dum plus nimia forſitan cupiditate appetit aliena, ſua indefenſa & iniuriæ expoſita relinquat. Sordidam uictoriam omnem, & nullius ſe momẽti quantamcunq̃ gloriam putare, quæ minima alicunde ignominia deformetur, amplandum ne hinc imperium expedire, amittendum inde? Quẽ uero ſuorum quieto animo pugnaturum in Aſia, ubi inſultantem Macedonię, & lacerantẽ corpora ſuorum nepharium transfugam aſſidue credat? Multum laudis, plurimum prædę fore apud Græcos, ſed maiorem iacturam ex Belgradi amiſſione, q̃ commodum ex totius acquiſitione Aſiæ uideri ſibi, & eam famę rationem præſentibus poſteriſq̃ hominibus ab imperatoribus uelut ab optimis tutoribus exactius reddendam eſſe, Trapezuntium præ-

Sordida uictoria imperium hinc ampliare inde amittere.

tium præterea non fugere, Belgradum ſi auferatur, recuperari difficile poſſe. Extinguendum prius eum ignem, ne contemptus uires ſumat, & compeſcendum furorem inſolentiſſimæ gentis. Croiam documento omnibus eſſe debere, quæ inultis adhuc cladibus, & malis ſuorum maxima Ottomani nominis ignominia ſtet, & tantum eo titulo uelut inſignita inter cæteras Epiroticas urbes caput efferat. Inſtare tum illi, munitiſſimum rebus ſingulis id eſſe oppidum, procul abeſſe, ut ulla ſatis ui expugnari queat, uel decernendum id auxilij Belgrado, ut nec̃ ipſum quic̃q̃ patiatur, nec̃ Aſiaticum negocium interpelletur. Sed nulla ratione ſuadere quic̃q̃ potuerant, aut obſtinatum eius auertere ab Epiro animum. Belgradenſis obſidio, & ignominia ſola totum hauſerat hominis ingenium. Ita nullum hominum genus diligens magis eſt & anxium ad imperium cuſtodiendum, q̃ Turcarum natio, & inſignẽ in omnia ſecula iniuriam credunt, ſi uel lapidem unicum ex rebus ſuis ſine ultione ſuſtulerit hoſtis, uel aliquid innouauerit. Multa de his exempla licuit ſemper, & quotidie inſpicere licet. Illud obiter nõ pigebit referre, de quo recens eſt hominum memoria. Quum Pannones, quos Hungaros nunc uocant, iuxta Danubij ripas turrim quandã ligneam, rem prorſus memoratu indignã, conſtruxiſſent, ad uarias neceſſitates, & priuatas magis q̃ publicas commoditates, auditum id Paiazetes iſte ita æquo animo ferre nõ potuit, ut exercitum ualidiſſimum, & impenſas maximas ad eam rem ſubuertendam facere ſit aggreſſus. Nec̃ eo contentus ipſe impatiens ultionis illuc maximis incommodis cõuolauerit. Ceſſit pariter, & deriſit hoſtis egregium eius rei ſpectaculum, nec̃ multum id damnũ, alias q̃ ob eam cauſam depopulationes ſibi factas conqueſtus multas illi tales uictorias libenter imprecatus eſt. An laudanda ſit diligẽtia, an uitio danda, euentus ipſe rerum ſanè docet. Nos timendum nihil credimus, donec ad cubiculum & puluinar ipſum irrepſerit ignis. Quo fit, quod dum craſtinam ſemper aquã apparamus, præſenti conflagremus incendio. Conſilio igitur, quod maxime ad id rerum genus accõmodari ſolet, uſus, ex eis copijs xl. equitum millia Sebaliæ cautiori, q̃ audaciori duci decreuit, exercitum, & numero & uirtute hominum pulcherrimum, & firmiſſimum. Aegit deinde cum illo Tyrannus nõ adhortationibus modo, ſed precibus quoq̃, & quàm efficacibus potuit uerbis, ut quicquid animi, uirtutis, induſtriæ, uigilantiæ in eo eſſet, tunc maxime oſtenderet. In euentum belli proſperum, ac liberationem ipſam urbis, dona ingentia, ac excelſi quic̃q̃ gradus dignitatum promiſſi, preſertim ſi Scanderbegum aut uiuum, aut occiſi ſaltem illius caput attuliſſet, & ſic finem Epirotico bello impoſuiſſet. Cæterum hanc rem aliter etiã tranſactam inuenio, duoſq̃ ex eo exercitu longe fortiſſimos uiros, Ahmath & Barach eorum nomina erant, acceſſiſſe ſponte ad regem, & in exitium Scanderbegi ingentem ſummam pecuniæ ſtipulatos, atq̃ maiorẽ promiſſa præſtantem animam, & precioſum planè corpus, quod tanti æſtimet auarus. Sebalias reipſa magis, q̃ uerbis cõſilium

Tyranni

Studium Turcarum in imperio cuſtodiendo.

Pannones Hungari.

Craſtinã aquã apparare, & præſenti incẽdio conflagrare.

Sebalias magnis copijs mittitur contra Scanderbegũ.

Tyranni amplexus, factoq; ad ea peragenda opus esse ratus, nihil fermè moratus, tollere præcipua celeritate signa (ut opus erat) iussit, & militi querenti quó duceretur, Epirum ostendit. Nihilominus ipse de ea re, cq; Mahumetes anxius, Belgradum illi ubicq; uigilanti, in somnis, noctes dies q; ante oculos erat. Quare ueritus, ne inclusi rem sibi integram nõ seruarent, & cupieris dubios confirmare ac implere spe proximi auxilij, uix relicto rege, expedire celerrime nuncium ad obsessos cum literis statuit. Sed uix inuentus, qui id muneris acciperet, & tam apertum periculum subiret, licet ea promissa proposita forent, ut (quæ mortalium libido est) nõ alicere possent, sed cogere quecunq; ad accipiendum. Nuncio equus (ut par erat) qui pernicior in omni exercitu eligi potuit, ad eam rem datus, qui diebus ac noctibus omni labore ac tempestate contempta, tribus paulo plus diebus ad oppidum quoddam Turcis parens, cxxv. millibus passuum procul à Belgrado, cui Girocastro nomen est, aduolauit. Nam de mutandis equis id statutum est à Tyranno pro istis nuncijs, quos appellant Vlach Turcæ, ut quicunq; inter currendum offeratur, nullo per sonarum discrimine habito, ex equis statim desilientes poscentibus illos tradant, et sic frequenti mutatione, recentibus semper equis incredibili celeritate peragunt iter. Ibi re communicata cum magistratibus loci, consilio eorum usq; ad aduentum noctis mansit. Tunc demum equo relicto, mutatoq; habitu, pedibus profectus densissimis tenebris, non procul ab urbe se collocauit fallendæ custodiæ, ubi Scanderbegi agmina erant. Nã reliquæ campestres copiæ, & Topiarum castra remotius stabant, quàm ut sentire possent. Facile tamen elusi omnes, quoniã declinata eius statione ab alia parte montis, ubi difficillimus aditus erat, maximo silentio præterlatus, uix quoq; sentientibus suis, muros subijt, sibilo dato, uocatis alloquutisq; custodijs cognitus, & sune demissa, acceptus illico in urbẽ est. Circundederat iam undiq; multitudo euntem ad præfectum, & quid attulisset præsidij, quid spei pendentibus animis expectabant, ac sedulo percontabantur. In propinquo enim erat finis induciarum, & tempus migrandi ex urbe. Præfectus summota turba, & silentio omnibus indicto, paucis tantummodo eius consilij socijs assumptis, audiuit per ocium hominem, & lectis demum literis, fidem singulis, quæ dicebãtur, lætissimus adhibuit. Decretum insuper inter Principes præsidij fuit de defendenda, si opus esset, ferociſſime urbe, donec Sebalias aduenisset. Die orto imperiendam publice eam lætitiam censuere. Communicata itaq; est inter oẽs non per clamores, & uoces præconium, sed per præfectum primo in foro, dehinc alijs per alios, & tegi res cautissime iussa, ne quicq; persentiret hostis, quem tum ludificare de termino dato proposuerant, tum incautũ opprimi cupiebant. Tamen dum silentio fallere nostros conantur, alio clamore, indicio, seipsos prodidere. Nam uerentes Sebaliam ad diem sibi dictum non affuturum, & aut deditione, aut defensione opus fore, fracta quibusdã locis mœnia, & munimenta tormentis dissecta, solliciti reficere, atq; instau-

Belgradũ mittitur nuncius à Sebalia, ut dubios cõfirmet.

Girocastrum oppidum uicinum Belgrado

atq; instaurare incipiunt. Sensit Castriotus, & coniectatus fraudem, uaide indignatus, iam propior ad oppugnandum fuit. Sed quia uix triduũ deerat ad euentum conditionis, sedato aliquantisper animo, nuncium ad obsessos mittit, acriter obiurgando, quod stante fœdere inter se icto aliquid innouarent, & id apertum signum latentis alicuius perfidiæ esse, aut mox cessarent ab opere, aut hostilia omnia si paterentur non fidei suę, sed sibi ipsum imputarent. Paruit oppidanus, & abstinuit prorsus ab ijs, quę uidere hostis, aut sentire posset. Cętera neq; interdiu, neq; per noctẽ omissit, in conuehenda intus terra, & firmandis aggeribus fundamẽtis murorum, ac pręparandis lapidibus, & alio missilium genere ponè munimẽta. Quantum spes potest in uariandis mortalium animis? Modo uisus solum hostis tantũ ignauiæ integris iniecerat. Nunc quassatis undiq; muris, & nudati eousq; pręsidijs munimentorum parantur in hostem, & eo maioribus irarum stimulis exarsurum, quod fractam sibi fidem ultore gladio iure queat exposcere. Procursant tamen sedulo per muros, per prius uatas ædes, ac publicas, & loca quæq; eminentiora urbis, sicubi tam expetitum, & promissum sibi præsidium conspiciant, si puluerem, si strepitum aliquem uenientium notent. Omnis sexus, omnis ætas ad id maxime intenta. Plus assueto uident oculi, & ab ea tantum parte immoti hærent. Quicquid uel offeratur, uel perstrepet sensibus, omnia Sebaliam, omnia deos suos esse credunt. Eadem ipsa res, quæ spei oppidanis, timoris nostris causa erat. Prospectãt & hi soliciti cacumina locorũ custodijs suis assignata, an ramus, an ignis, an signum aliquod nunciet arma capienda, sternẽdos, frenandos q; equos, quos neq; stratos semper tenere poterant, neq; ipsi stare armati, deficientibus penè corporibus propter anni tempus maximis caloribus incommodum. Prius tamen hostilia signa, clamores q;, quàm aliud quippiam uel uidere, uel audiuere. Tanquã nautæ quando q; in medio mari defixis in uexilla sua oculis, pinacula multi dicũt, iampridem hærent, expectantes qua parte moueantur, quis ea uentus agat, ut uela, ut antennas expediant. Cæterum subita tempestas exorta, quam non nebulæ, non æquoris fremitus, non minæ aliquæ cœlestes præcessere, nihil tale timentes obruit, dissicit uela, ac rudentes è manibus excutit, & properantes ad ministeria sua turmas, fatagentes hos, parantes illos nudo ordine opprimit, ac rebus tandem desperatis omissa cæterorũ cura priuatæ saluti homines consulere cogit. Sic mirantibus nostris super capita quasi ipsa gladium extulit hostis. Mirari q;e & me cum illis non immerito mehercle subit, quomodo talis apparatus, & tam propinquus aduentus Barbari cælatus eousq; stare potuerit, ut non flumina, nõ lapides ipsi proderent. Ita forsan uolentibus Dijs, qui (ut inquit ille) ex altero dolio, continuum fortunæ successum, interpellare uoluerunt. Nullo fermè bello defuere transfugę exploratores, literæ, & occulti nuncij ab amicis Scanderbego, tunc omnia æque desiderata, ni id forsitan fuisse causæ dixerimus, quod parato iampridẽ in Græcos Asiaticos, & habito

Castriotus militi tur nuncium ad obsessos.

Quanti spes possit in uariandis mortalium animis.

Marinæ tempestatis descriptio.

Homer. Iliad. ult. lib. scribit in Iouis limine sita esse duo dolia, quorum alterum sit plenum tristibus, alterum lætis.

ad manum exercitu ea celeritate actam rem, ut non potuerit fama aliqua præuertere uenientes, ſicut in parando, & conficiendo delectu, uſu ſieri conſueuit. Literæ præterea & nuncij non ſunt id negocij genus, ut ſemper poſſint recte expediri. Et inuidere fortaſſe ueteres amici gloriæ uiri, quem eouſq; extra auitos limites efferentem caput æquo animo ferre nõ potuerunt. Sed hæc ſicut incerta, ita non ſatis audacter confirmanda nobis. At recenſenda tamen ſunt, ut negligentiæ ſaltem aut tarditatis crimẽ euitemus. Nam ſi quid minus uerum dictum fuerit, excuſabit iuſtiſſime nos ea auctorum penuria, in qua paucis aut nullis extantibus ſcriptis uix aliud propius uero elici potuit. De cuſtodia quoq; illa, quæ in opportuniore & clariore proſpectu erat, & ex qua potiſſimum pendebant oculi noſtrorum, uariant homines. Alij enim corruptos promiſſis, & muneribus ab hoſte illos dicũt, alij negligentius pererrantes quoſdam per amœniora loci, quoſdam dormientes ab anteſignarijs hoſtium oppreſſos, & ſic occiſos omnes, priuſq; aliquid de conſtitutis ſignis facere potuiſſent. Quid credam ipſe non ſatis indicare poſſum, nam perfidiæ ſicut nullam cauſam, ita non facilem adeò eam rem puto fuiſſe, nam quod facile forſan fuiſſet in paucis, difficile profecto in eo numero exiſtimandum uidetur. Occiſorum quoq; nulla cadauera, nulla ueſtigia poſtea uiſa. Quamobrem non deſunt, qui captos eos non iniqua ratione aſſerant. Aliæ cuſtodiæ non eam partem obſeruabant, unde periculum fuit, & quæ obſeruabant, nõ poterant uenientes, niſi in propinquo aſpicere hoſtem. Hi itaq; aliquantum ſpacij præbuere ſtationibus ad ſe inſtruendum. Non potuit de more longius ſpectatores mittere Caſtriotus, neq; proſpicere melius ſaluti ſuorum, ne incolarum inſidijs, uel aperta etiam ui tollerentur, quũ omnia ubiq; hoſtilia eſſent. Præſidium illud montanum, & uel negligentia (ut diximus) uel perfidia hominum cauſa totius mali fuit, ac decepit exercitum, ita ut Muſachium, cuius uiciniora ad accedentem hoſtem tentoria, & primum uenientium impetum exceptura erant, iterantibus, & clamantibus cuſtodijs, adeſſe Turcas, & puluerem fermè oſtendentibus grauate credidiſſe dicant. Tamen hunc ipſum nonnulli alea ludentem cum contubernali quodam ex regijs, dormientem aliqui inuentum aſſeuerant, & imminente tandem hoſte, quum aſcendendi equi ſpes, atq; copia præciſa foret, pedibus effuſa fuga petijſſe montẽ, ſed mox oppreſſum. Nos et tempus licet anguſtiſſimũ ad equum, ad arma capienda habuiſſe, & acriter dimicantem inter primos cecidiſſe accepimus, & illius interitũ, principium fugæ fuiſſe. Nam quum apparere iam ſigna hoſtium, & procurſare anteſignani uiderentur, ipſe inſtructus (ut potuit) copijs, dubius primo tam de pugna, q̃ de fuga fuit: ſed quia propter nimiam hoſtium uicinitatẽ nihilo incruentior hęc futura apparebat, præterea nõ ratus eam hoſtium multitudinem, nolens deniq; Scanderbegum cũ cęteris, qui in monte erant, relinquere, excepit acerrime impetũ uenientium, ac integer animi, uiriumq;, aliquantiſper oppetendæ mox ultionem mortis ſua ipſe dextera

Scanderbeg deſtitutus exploratoribus

Præſidiũ montanũ cauſa totius mali.

Muſachij fuga et interitus

dextera ſumere uolebat. Sed ubi cadentibus undiq; ſocijs, nudari omni præſidio latus, & inanem uirtutem ſuam, inanem pertinaciam uidit, citato equo ſæpius ſequente milite fugere in montẽ conatus eſt. Nullus enim alius locus propè erat, ubi differri, nedum euitari id periculum poſſet. Occluſis tamen omnibus ab hoſte itineribus, & uelut circulo ſæpius tum demum uirtute in rabiem uerſa, ipſo audaciq; miraculo hoſtem deterruit. Tanuſius Thopia licet ab altera parte & ipſe uix minore arderet incẽdio, miſeratus Patruelis caſum omnium oblitus, ac uelut amens dolore, aperire uiam illi facto in hoſtẽ agmine pluries tentauit, ſed ubi irrita omnia, & eam tantum pietatem præſtari homini poſſe aduertit, ut ſocius illi caderet, ſaluare tum reliquos, & colligere circa ſe, ac hortari ad fugam cepit. Idem Tanuſius Ginachius ac cæteri fecere. Vix tamẽ quiq; periculi, uel ſanguinis diminutum per fugam, nam partiti, & effuſi undiq; hoſtes, hi circa Muſachium, donec aliquid ſupereſſet reliquiarum, alij circa fugientium agmen ceptum ſemel uictoriæ tenorem nuſquam interpellabant. Scanderbegus, cuius remotiora caſtra aliquantum ab ea iniuria fuere, ſæpius deſcenſurus ad ſocijs quoad poterat auxilium ferendum, uel cum eis glorioſe cadendum ſuſtulit ſigna, tamẽ rogatus à ſuis, ut occaſionem aliquam captaret erumpendi, neq; in tam apertum diſcrimen, & certam mortem rueret, infrendens dentibus, & ore iamdudum cruentato, nunc huc, nunc illuc crebro ferebatur motu. Nã ferunt de eo illud quoq; dignum memoratu, quum initurus prælium foret, uel in ipſo etiam pugnandi ardore, præter cætera mirabilia mutati uultus ſigna, labrum infe rius ſcindi ſolitum cum copia multa ſanguinis, quod etiam nedum in belicis rebus, ſed ciuilibus quoq; negocijs frequenter uiſum, quum præter modum excanduiſſet. Barbarus Muſachij copijs cum duce ipſo conciſis Tanuſium, cæterosq; fugiẽtes effuſiſſimo curſu ſequebatur modico ſubſidio poſt terga relicto. Hinc forſan credi poteſt mõtanas copias noſtras ab illo non curatas, ceu partim occluſas, partim quæ expedita campeſtri uictoria, facile intercipi poſſent, aut ita forſan trahente ardore, & ſtudio inſequẽdi reliquam rei benegerendæ occaſionem amiſerunt. Tum Caſtriotus ubi non multum periculi ponè uidit, diſpoſitis, ut in eo tumultu, ſummo conſilio copijs, ac pedite intermedio accepto, relictis omnibus, deſcendit in planum. Ex oppido nulla uſq; eruptio uel inſtantẽ eum, uel diſcedentem facta. Quod ſatis mirandum eſt, quũ eam ubiq; uictoriam ſuorum, & tuta quaſi omnia uiderent obſeſſi. Timuere (ut plerunq; fit) eos qui nõ minus timebant. Tamen Scanderbego diſcedente, mox aperta urbs, & multitudo ad diripienda caſtra diſcurrit, priusq; uictor miles ad eam prædam aduolaret, rapta per ocium omnia, & tormẽta multo clamore, lætitiaq; tracta intra muros. Scanderbegus relicta Muſachio cura, ubi ultione potius, q̃ auxilio ullo opus erat, in inſequentes maximo impetu delatus ſimul lacerabat hoſtium terga, ſimul clamabat ſuis, ut ſiſterent gradum, & nouo auxilio uterentur. Agmina Turcarũ, quæ in ſubſi

Tanuſij Thopiæ pietas in patruelem.

Mos Scanderbegi, labrũ inferius ſcindendi, ut ſanguis effluat.

Scanderbeg fugit cum reliquis copijs.

 dijs fuere

dijs fuere, & cum Muſachianis depugnauerant, omiſſis ſocijs, noſtriſq́, ad prędam hincinde & ſpolia legenda circunfuſa, multum laxamenti prębuere Scanderbego ad deterrendum hoſtem, & inhibendam fugam ſuorum. Nam ubi eripi ſibi uictoriam à tergo, & inſtare Caſtriotum aduertit Sebalias, cõuerſis priùs ſignis, & obnixo uultu aliquantum & accepit cladis, & intulit. Dehinc retracto ab una parte exercitu paulatim cedens firmauit aciem, donec diſperſum hincinde, & inordinatum militem collegiſſet. Scanderbegus non multũ infeſtus cedenti, cogere & ipſe reliquias ſuas, ac unire procurauit. Nullum reſpirandi tempus permiſſum à Barbaro, licet & feſſa, nec dum ſatis compoſita eius agmina eſſent. Irruit contemptu, ac deriſu quodam in aduerſos, finem iamiam Epiroticæ inſolentiæ, ac ſupplicium rebellioni adeſſe minitans. Abſorbereq́ſe cum equis armisq́ eam paucitatẽ crebro dictitans. Nam præter alios qui apud Tanuſium, & inter fugiendum ceciderãt, tria millia amplius cum Muſachio oppreſſa, duo peditum, reliqui equites. Scanderbegus uelut intrepidus magiſter, collectis eius naufragij tabulis, ac uix refecta carina, ad nouam ſe tempeſtatem, maiore animo q̃ ſpe accingit, clamitãs furibunda uoce: Me me ſequimini, commilitonẽ, ad cędem, non ad pugnam, increpansq́ ſuos, & ſingulos appellans: Quæ ſocordia iſthęc ueſtra? Quis inſolitus timor? Iacebunt ne inulta tot egregia ſociorum corpora? Cadetis inulti uos? Hoſtis uetus eſt, hoſtis inquam nil aliud, q̃ aſſueta materia gloriæ ueſtræ. Ac inter ea dicta ad confertiſſimos quoſq́ prouolans neceſſitatẽ iam etiam ipſa cogentẽ ultima audere. Homericum illud ubiq́ exactiſſime uerum eſſe probabat: Fortitudinem ſolam inter uirtutes fæpe furentes quoſdam impetus habere, quare nunc cedentium, nunc reſiſtentium cędẽ & ſanguine cuncta replebat. Inuictus ſemper, ac fœlix bellator, ſed tunc uirtus eius maxime enituit, & priora omnia fortitudinis opera longe eſt ſupergreſſus. Cæterę quoq́ illius copiæ furentes deſperatione, ac rabie uelut cæci ruere ferrum, & ſequi in quencunq́ euentum Ducem. Cæterum Georgij Thopiæ Tanuſij fratris ſubitus caſus, multum timoris reliquis intulit, quem humi collapſum, ac obrutũ propè uix ex hoſtiũ faucibus eripuere noſtri, ac impoſuere in equum. Pedites noſtri cauere melius uim hominum poterant, q̃ equorum, nam ab eis pluribus locis ſtrati obterebantur. Quare ſummo ingenio atq́ celeritate equos occiſorum, uel ſuos, uel hoſtiles, quos habere poterant, conſcendebant. Ea res cauſa ſalutis multorum fuit, & totius etiam exercitus, quum uelut dupliçarentur eo modo uires hominibus. Scanderbegum perfracto quodam cuneo, hoſtili, penetrantem ad uexilla, & ſtationem ipſam Ducis, ut inde uictoriæ auſpicium, & confeſſionis hoſtibus exprimeret, progreſſi ante alios duo uiri, qui in caput eius olim iurauerãt Tyranno, ſtrictis gladijs excepere. Eo loci Muſachius Angelinæ, dum patruo ſuppetias ferre cupit, uulneratus eſt in dextero humero. Identidem cæteri à fronte, à tergo, à lateribus pauci, à multis onerati uix reſpicere ad Caſtriotum poterant.

Tria millia cũ Muſachio oppreſſa.

Pulchrum ſimile de tabulis naufragij.

Fortitudo ſola inter uirtutes ſæpe furentes impetus habet

Georgij Thopiæ caſus.

Ita unus

Ita unus duobus uelut ſorte quadam relictus omnium oculos in ſe conuertit, nam Barbari expellentes manu, uoceq́ ſocios, ſoli eam ferre laudẽ & præmia ab Ottomano propoſita uolebant. Circumeunt crebro uirũ, & citatis hincinde equis ſine reſpectu ſui diſcriminis inuiſum caput, & ferocem ſpiritum petunt. Iniecta Caſtrioti uirtus, ac experta totiẽs dextera ſolicitos ſuorum animos, & trepidas turmas ſolabatur, quippe quem toties & ex duobus, & pluribus uictorem excepiſſent. Multa tamen timere facit timor, & ferocia, ac audaces hoſtiũ inſultationes. Impellunt ubiq́ agmina oppoſita, & re adhuc integra quod poterant, auxilium ferre Duci contendunt. Interim Scanderbegus hoſtibus cominus congreſſis ipſorum alteri, cui Barach nomen ſupra diximus, mediam faciem enſe, qua ſedes oculorum eſt, aperuit, alteri quum multiplices inter ſe ictus ambo ſine ullo hauſtu ſanguinis conſumpſiſſent, gladius humi prolapſus. Tum impiger hoſtis acto propius equo uictorem utraq́ manu tenaciter amplexus excuſſis ſtipendijs, & equo relicto, humeris eius toto corpore ſe ſuſpendit, ut eadem illum ruina traheret ad terram ſecum. Tum circumfuſi paſſim Turcę, ut cõmilitoni ſuo ſuppetias ferrent, celeriter cõuolant. Sed ſtatim præciſa pendentis ceruice, Epirenſis liberũ ſe accurrẽti fruſtra hoſti obtulit, aucti ex eo & cæteris animi, ac ſequentes uictorẽ inclinatos iam Barbaros multis confodiunt uulneribus, atq́ alios ſuper alijs iacentibus addunt. Attulere multum & moleſtiæ inde, & ſolacij hinc ea uictoriæ auſpicia, ac mutatæ fortunæ omen acceptum. Sed defatigatio nimia hauſerat iam utrorumq́ uires, & parendum iam nocti erat. Prior Barbarus confeſſionem uel timoris eius, uel laſſitudinis præbere cepit, ac hortantibus ducibus colligere ſe circa ſigna, & recipere in montem, priusq́ tenebræ eos in planum opperuiſſent. Caſtriotus & ipſe immodico labore ac dolore confectus idem cũ ſuis fecit, collemq́ proximum xv. fermè ſtadijs procul ab hoſte cõſcendens, ibi uſq́ ad ſecundam uigiliam noctis manſit. Ac tunc demum non ſomno, non cibo corporibus curatis, quũ neq́ adeſſet quippiã, neq́ præ mœſtitia optaretur, ſilenti admodũ agmine diſceſſit. Sebalias ea nocte oppidum non eſt ingreſſus, ſed comportatis ab oppidanis cibarijs, per montẽ, & ſuburbia tentorijs fixis, multisq́ cuſtodijs adhibitis, eam uictoriam celebrauit: nam credidit noſtros ibi diem expectaturos, & denuo uelut inſuetos uinci homines, & impatientes eius ignominiæ poſtridię fortunam belli tentaturos. Quare luce orta inſtructis ad pugnam omnibus, deſcendens in planum, crebra agmina ſuorum hincinde dimiſit, ad laceſſendum hoſtem, ſi alicubi latitaret: licet enim ſenſiſſet ſecunda uigilia ſtrepitum, & ſigna quædam diſcedentium, tamen ratus eſt uel aliquo tutiore loco illos uel aptiore ad inſidias contractos quieſcere. Hęc eadem quoq́ cauſa fuit, ne ad depopulandam, & deuaſtandam prouinciam exercitũ duceret, ueritus eam uictoriam, ac rem tam ſuis inuſitatam, caſu aliquo deformare. Igitur neq́ fuga noſtrorum, & ſperatę copiã pugnę ablatam ſibi, multũ moleſte tulit, parti eius inſueti

Stratagema Scanderbegi cum duobus Turcis.

Sebalias uictoriam celebrat.

V iij quaſi de-

quasi decoris, & possessæ semel fortunę nimio plus studiosus, id quod sa
tis hesterna pugna ostendit, quum prior sacietatem, uel defatigationẽ suã
confessus receptui signum dedit. Confici enim tunc forsan potuisse Epi-
Sebaliæ pusil-lanimitas. roticũ bellum non difficile crediderim, si plus animi Sebaliæ fuisset, quip
pe quũ lassitudinis, & temporis par utrinq; ratio paria incõmoda essent,
immo uirium aũt plus, quo plures erant, & equites omnes. Quamobrẽ
erupturos iampridem fuisse nostros in fugam non dubito, si salutis quip
piam deprehendissent in ea: sed quia tum tutior pugna pediti uisa est, tũ
mali sui confessionem tumido hosti dare nolebãt, ita forsan statuentibus
Dijs, qui & auxere his, & illis minuere spiritum uoluere, ac noctis demũ
tam opportuno beneficio desperatas iam res tutati sunt, ne & tot olim ar
morum laudes, ac perfungendæ gloriæ materia eo die clauderetur, ac
Odium Turca-rum in iacen-tia corpora. pessum iret Epiroticum imperium, priusq; fermè creuisset. Vbi itaq; ua
cua circum omnia hoste uisa, & libera uictoribus relicta, tunc demum re
liquum iræ, odijq;, quod in uiuos non poterat, in iacentia passim cadaue
ra insolens dextra expleuit. Spirantes tamen adhuc multi inuenti, præser
tim qui attriti ab equis perfractis cruribus inutiles tam ad fugã, q; ad ar-
ma ceciderant. Quorundam manibus præcisis, reliquũ corpus inuisum
spiritum seruabat. Aiunt etiã nonnullos uel multis laceratos uulneribus,
uel ferreis hostium clauis deturbatos, ac relictos, per eam noctem tacite
surgẽtes, per loca uicina latitasse, & postea Croiam peruenisse. Cæsa sunt
Cæsa Christia-norum quinq; millia. eo prælio nostrorum v. millia, iij. peditum, reliqui equites, uulneratorũ
magnus numerus. Regium auxilium Apulorum totum fermè deletum,
nam maior pars eorum cum Musachio fuit, pręter agmina quędam, quę
Castriotus in monte secum habuit, & in re tam subita inutiles sclopi, et id
genus armorũ fuerat, quin ex nostris quoq; plurimi inermes, & sternen
tes equos, oppressi: uiui octuaginta capti. Illud tamen fœdissimum & te
terrimum fuit, quod hostes cupientes testimonium aliquod priuatę uir-
tutis secum habere, discurrentes per stragem nostrorũ palpitantia adhuc
Crudele iacen-tia cadauera capitibus pri-uare. cadauera, ubi cæteris rebus nudassent, capitibus quoq; (ut eorum mos
est) priuabant. Et quia tum propter longitudinem uiæ, tum calores æsti-
uos, eò quod subito putrescerent, incommodum id onus erat, excoriabãt
Cadauera ex-coriare, & cu-tem palea im-plere. ea, & cutem tantum acceptam, quę formam oris seruaret, palea implebãt.
De multis hoc factum, illis præsertim, quos uultus & habitus ipse, uel no
tiora nomina digniores eo odio fecerant. Musachij nõ caput tantũ omni
fœditati & iniuriæ destinatum, sed discerpta singula membra, & uelut ne
fariorum grassatorum regionatim sparsa. Alij quoq; trunci tracti per lo
ca, & ualles adiacentes, ne fœtore uexarentur oppidani, & feris auibusq;
relicti. Licuit impune omnia, & per securum ocium agere, nam Castrio-
tus longe aberat, & addito ad eas reliquias recenti milite loca quædam, &
saltus obsederat, ne irrumpere hostis, & penetrare interiora prouinciæ
posset. Sępe libido incessit nouũ aliquod ultionis genus tentare (ita quan
doq; instare periculo impetus est nobis) sed nunc immodicus, & uictor
hostis,

hostis, nunc longinquitas uiæ, & grauantia sociorum uulnera prohibe-
bant. Impleuit subito fama eius cladis uicina circunquaq; loca, ac prouin
ciam omnem, quin & longius progressa mœrorem ubiq;, & lachrymas
ingentes excitauit: nam dictum est à multis, exercitum nostrum omnem
deletum, & Scanderbegum ibi cęsum, uel coniectantibus ita hominibus, *Vulgi mos præclare mentiri.*
uel astruente libẽter (ut fit) uulgo pręclarũ aliquod, licet luctuosum men-
dacium. Alij eadem ipsa fortasse ratione abolitas copias oẽs affirmabant,
& solum eum pugnando prius egregie, deinde fuga seruatum. Plures (id
quod & uerũ erat, & propius uero uidebatur) magnum numerũ nostro
rum amissum, Scanderbegum uix credibilia diuini propè corporis, ac in-
uictæ uirtutis experimenta dedisse, & sola quasi sua dextera & animos &
uires hostium fregisse, ac demum eius prælij laudem è manibus uictorũ
extorsisse, & illæsum, inuiolatumq; cum reliquis esse non longe à Croia.
Cæterum luctus & ululatus plena ubiq; omnia uisebantur, sordidatę ma-
tronę, & domus oẽs in lachrymis ac squalore, licet nihil adhuc certi habe-
rent, quid dolerent, tamen funera iamiam sua, ueluti si ante oculos essent,
lugubriter expectabant. Mosis perfidiam, & occultam iampridem rebel
lionem, prospera Scanderbegi fortuna, & res secundę suspensam & du-
biam eousq; tenuere. Sed ubi audita exercitus clades, & cognita calami-
tas eius, tum demum cupita iamdiu occasione accepta uertit, & ipse scele-
rata arma in patriam, ac diripere cepit (ut aiunt) naufragij tabulas, quas *Moses perfi-dus arma uer-tit in patriam.*
& struxerat ipse olim, & sæpenumero seruauerat. Sed quia sordidũ sua-
pte natura factum eo fœdius Mosi uidebatur, quo nullum eius negocij
socium haberet, cupiens participes aliquos sceleris sui comparare, & mul
titudine quasi peccantũ, infamiam suam minuere, atq; maiore aliqua au-
ctoritate accedere ad Ottomanum, ne si solus uelut transfuga isset, perin-
de ut uilis contemneretur. Seduxit quosdã ex suis magis intimos, & quo
rum satis peruias aures eiusmodi consilijs credebat. Ac uelut dolens pri-
mo uicẽ Scanderbegi, & calamitatem Epiri tacite, & Mahumetis in se ani
mum, & quę ab eo multoties sibi oblata essent, illis aperuit, alliciens mul-
tis uerbis ad se sequendum homines, et ad eam perfidiam cõplectendam,
mutatam fortunam Epiri, ac coactos tandem, si nunc respuant quæ pro-
ponantur sordida, & infœlicia omnia subituros inquiens. Et reflexa de-
nicq; oratiõe, quid pręterea semper se sub Scãderbegi auspicijs uicturos?
& sanguine, ac sudoribus suis alienã gloriã aucturos, cũ alioquin tã certa
imperij spes, et ingẽtis materia laudis detur à Tyranno, multisq; subinde
cõfictis criminationibus in Castriotũ inuectus, animos illorũ ab eo aba-
lienauit. Solicitasset & alios fortasse Moses ad eã defectionẽ, & multitudi- *Herculi clauã extorquere. Iouifulmẽ eri-pere. Prouer-bium natũ ex Maronis Apo-phthegmate.*
nis, ac populorũ ingenia conciliare Turcis procurasset, sed ita singulorũ
mentibus hęrebat Castriotus, & tã infixũ oim pectoribus nomen, ac im
perũ uiri, ut facilius (quod aiũt) Herculi clauã eripere potuisset, q; à uulgi
affectibus Castrioti beneuolentiã amorẽq; demoliri, nãq; unà cũ corpo
ribus ipsis, nõ cũ ulla uariatiõe fortunę fides eorũ expiratura apparebat.

Quare non ſolum inanem eum laborem, ſed etiam periculũ aliquod ſibi ueritus Dibrenſis, nihil ulterius tentauit. Sed coniuratis ſuis contentus, & ordinatis omnibus, dato per noctem ſigno, Sfetigradum eos duxit, ut in deditionis à magiſtratu habitis, & libero per ignota hoſtium loca impetrato commeatu Conſtantinopolim ſecurus accederet. Neq; quippiam fruſtra à Sfetigradenſibus deſiderauit, ſed perbenigne ab omnibus acceptus, & literis adiutus eſt, & comitibus qui euntem ab iniurijs prouincialium ſeruarent. Sebalias aliquot dies cum oppidanis cõmoratus eſt, donec munimenta quædam inſtauraſſet, ac diſiectos ab hoſte muros aggeribus ſtipitibusq; ſolidaſſet, nam in ea celeritate non poterant apparari lapides, & alia ad renouanda mœnia demolita tormentis, ſed & hæc procurata, atq; ante eius diſceſſum ſummo ſtudio parari cepta, præter cætera tamen copiam ingentem frumenti, & reliquos affatim commeatus inuehi in urbem procurauit, quoniam ad uetus præſidium ſeptingenti amplius lectiſſimę & fideliſſimę operę uiri additi. Tormenta etiam quæ ablata noſtris fuere, omnia oppidanis conceſſa, præter machinas quaſdam minores, ſcorpiones, & ſclopos, quæ cum cæteris occiſorum ſpolijs ad ornandum triumphi ſui ſpectaculum ad Regem ferenda reſeruauit. Ita munita egregie urbe, ac obſidibus traditis Chriſtianis, laudatisq; publice omnibus, mœſtam admodum, & quaſi trepidam ciuitatem lætiſſimus ipſe reliquit. Sed neq; illis etiam deerat cauſa dolendi, quæ tam immodicam ſui lætitiam contunderet, & mancam redderet, licet inſuetis uincere hominibus nihil ea uictoria pulchrius, nihil præclarius uideretur, nam relicta ex ipſis quoq; ſub Belgrado tria paulominus occiſorum millia. Illi præterea duo uiri, quorum ſanguine, ſatis redempti Muſachij manes uidebantur, merito cum fœlicitate illa compenſari poterãt, factis tamen militariter foueis humati omnes, ne uicti forſan ad cladem recenſendam, & funera ſua accurrentes per laceratione inuiſorum corporum ultionem, & nouam quandam ſatisfactionem quærerent. In Dibra orta luce, ubi nuſq; uiſus Moſes, magnus tumultus, & mœror ſimul excitatus, præſertim inter amicos, & cõiunctiores uiri. Quæſitus eſt ſolicite multis locis, & expectatus uſq; ad noctem. Nonnulli occiſum, quidam tacite ad explorandum aliquid profectum, & aut captum ab hoſte, aut ſi id non eſſet, mox reuerſurum credidere. Plures coniectantes pridiana eius conſilia, & latentes ſeductiones quorundã, id quod in re erat, affirmabant, quæ ſententia ideo maxime recipiebatur, quod & ſuſpecti eius coniurationis nuſq; apparebant. Quamobrem trepidatum eſt multũ in Dibris, præſertim inter milites præſidij, qui & adhuc hoſtem uictorem in Epiro, & ſe ſine duce eſſe ſentiebant, proditumq; præſertim ab ijs quibus minime debebat Scanderbegum dolebant. Tamen militaribus pro tempore ſuffragijs, ac conſenſu inter ſe (ut fit) mox & ducem, & reliqua quæ opus erant, ſummo ſtudio ſtatuerunt. Erant inter cæteros nobiliores eius loci, & principes iuuentutis duo fratres ex uetuſta Beriſſiorum familia, Demetrius, & Nicolaus,

Sebalias munit Sfetigradũ

Moſes fugit ex Epiro.

Demetrius et Nicolaus ex Beriſſiorum familia.

colaus, quorum & præclara, & frequenti opera utebatur Scanderbegus, hi audientes tum fortunam exercitus noſtri, & Belgradenſis obſidionis euentum, tum defectionem ipſam, ac perfidiam Moſis nihil tardati, mox ad præſidium & imperij clauſtra aduolarunt, uerentes ne uel timore aliquo, uel licentia ſolueretur illa cuſtodia, & uacuis defenſore locus relinqueretur, præſertim quod Sebalias adhuc in Epiro eſſe nunciabatur. Summa itaq; ratione primum intentiſſima conquiſitione habita auxere id præſidium, & formauere uerbis, factisq; animos hominum, concilian tes illis omnibus modis Scanderbegum, & eius fortunam commiſeran tes, ac perfidiam Moſis deteſtantes, quem fortaſſe profectum ad introducendum illuc hoſtem, & mox affuturum dicebant. Credita facile omnia, ac redactus tutiore loco miles, & apparata ſingula, quaſi iamiam expectaretur hoſtis. His ordinatis Demetrius Matre ibi cũ præſidio relicto ipſe cum nobilibus quibuſdam Dibrenſium ad Scanderbegum magnis itineribus ire perrexit, ut illũ admoneret, quo in ſtatu in Dibris res eſſent. Interim Sebaliæ diſceſſus à Belgrado ac tota Epiro certis auctoribus & exploratoribus nunciatur. Scanderbegus uel domeſticæ calamitatis, uel ignominia fortè quadam commotus, fugiens tam fœdum & luctuoſum ſpectaculum, reuerti amplius ad inuiſum locum ad mala ſua ſpectanda, ac renouandas lachrymas noluit, & quos uiuos ſaluare non potuerat, neq; mortuos componere curabat. Sed quũ fremerent paſſim milites, & conſanguinei occiſorum, non defraudanda ſaltem tumulo oſſa ſuorum, & recentia adhuc cadauera feris, auibusq; relinquenda, ne uulgi uoluntatem offenderet, conceſſit illis omnia, inanem licet nõ ingratum eum ſepulchri honorem appellans. Cæterum ne qui ad beneficium alijs præſtandum contenderent iniqui ſibi ipſis forſitan eſſent, & augerent magis corporibus ſuis, cq; detraherent funera, ſi uel pauci, uel incõditi irent, ex eis copijs quas ſecum habebat, vij. amplius lectiſſimorum hominum millia ad eam rem elegit, qui illos tutos redderent ab iniurijs hoſtium, & eruptionibus oppidanorum. Tanuſio idipſum cupide petenti hoc munus cõmiſſum, ac exercitus cura tradita, qui præter cætera ſolicitus de corpore amici, & Muſachij reliquijs mox Scanderbego relicto Belgradum ſine ſignis, ſine ullo bellico ornamento conuertit iter. Caſtriotum Croiam cum cæteris euntẽ Demetrius eſt in ipſo quaſi ingreſſu urbis aſſecutus. Effuſa eſt paſſim ciuitas obuiam uenientibus, & licet à uarijs prius nuncijs, à ſaucijs præſertim, quos ſtatim poſt acceptã cladem præmiſerat Scanderbegus, mala ſua didiciſſent, uoluptas tamen quædam erat miſeris accuratius ſingula de uenientibus percontari, præſertim quod repugnantia multa, & incerta ab alijs dicta fuerant, uel quod mortuos etiam ſuſcitari ad uitam, & reſtitui ſibi per Scanderbegi præſentiam poſſe credebant. Fœminæ, uiri, ſenes q; nullo diſcrimine hi ueſtes, alij dexteras militum per oẽs gradus præſtantes miſerabili uoce fratres, uiros, & chariora filiorũ pignora repoſcebãt, & ab inuitis alij luctus & doloris ſui cauſam extorquebant.

Chriſtiani occiſi à Turcis ſepeliuntur.

Croienſes obuiam uadunt Scanderbego.

Cataſtrophe belli.

Alij in

Alij inſperato nuncio reſtituti gaudia ſua, ne cæterorum offenderent animos, celabant, & priuatam ac publicam mœſticiam imitabantur. Vix tamen ullus, niſi qui præſentia corpora ſuorum in oculis habebant, uero et ſtabili gaudio affectus eſt, nam reuerſio illa ad Belgradi oppidum continui timoris & doloris cauſa erat. Conqueſti ſunt primum Dibrenſes de uiciſſitudine rerum, & uarietate fortunæ, nunc appoſitis uerbis lachrymiſq; uelut transferentes eius in ſe dolorem, nunc ingẽtibus animis conſolantes uirum, & hoc documenti cuiuſdam loco computantes Epiro. *Scanderbeg dolet Moſis uicẽ & excuſat.* Statimq; in Moſen delapſa oratio, & tota circa eum cõſumpta, in eo præſertim quod dubitabatur, ne ad Sebaliam accerſendum, & inſtruendum de rebus Dibrenſibus ijſſet. Attonitus Caſtriotus primo, & uix cõpos ſui ueluti immobilis aliquandiu ſtetit, mox interrogando libẽtius, q̃ credendo, nonnihil temporis conſumpſit, magisq; tandem dolere de eo uiſus eſt, q̃ de tota Belgradenſi clade. Cæterum regia, ut conſueuerat, uoce, parcere ſe inquit haud grauate Moſi, quod ea fortuna illum ſibi abſtuliſſet, quę uel conſtantiſſimorũ quorumcunq; animos mutare poſſet, adeò ut quum legati ipſi, itemq; cæteri qui aderant (ſicut libenter & euentu iudicant, & interpretantur ſingula homines) ueteris, & iamdiu coctæ rebellionis illum accuſarent, & criminarentur. Ideo Sfetigradenſem oppugnationem diſſuaſiſſe, ideo fugiſſe Belgradenſem, ut hoc nefarium expleret conſilium, uelut indignatus plura de eo audire ſilentium iuſſerit dicens: Vtinam cũ Moſe perfidia omnis, & mala fortuna migrauerit ex Epiro. Cætera quæ de Sebalia introducendo non iniqua ratione dicebantur, nõ curata multũ, quod egreſſum omnes Epirotici imperij fines, & nuſq; interpellato itinere properare in Græciam audiuerat. Tamẽ quia res magni momenti erat, & ſedari eum timorem, uel ſuſpicionem hominũ oportebat, ac confirmare dubiam aliquantulum, & mœſtiorem prouinciam propter eam inſuetam cladem, uix ea nocte ibi moratus, mane cum Ameſa, & egregia equitum manu in Dibras conceſſit. *Scãderbeg ad Dibras concedit.* Tanuſius cum exercitu ab oppidanis uiſus, nonnihil priſtini timoris renouauerat, procurſum in muros, & ad priora miniſteria reditum ingenti feſtinatione, nam futura mox oppugnatio à multis credita, non id quod re ipſa erat. Sed poſtq; & paucitas ipſa, & inordinata agmina propius cognita, leuati metu animi, & ſedatæ mentes, noſtris ex fœdiſſimo ſuorum aſpectu ignauis eque, fortibusq; uis ingens lachrymarum euocata, præſertim quod audio fœminas nonnullas ex locis uicinis Tanuſium ſecutas, & ad diſquirenda ſua nera ſua progreſſas. *Fœminæ progreſſæ ad diſquirenda ſua funera.* Vix tamen ullibi certas figere lachrymas, aut domeſticum funus honorare alicui conceſſum eſt. Horum infames truncí, ac nuda cadauera, illorũ deformati, ac corrupti iam uultus, nedum certam illam & peculiarem, ſuisq; cognitam, ſed & humanam effigiem omnem amiſerant. Multa etiam iam dealbata oſſa à feris, uulturibusq; Flebant tñ miſeri ad quodcunq; oblatum cadauer, dum omnia ſua eſſe credũt. Non fœtor, non tabes ulla dimouere homines potuit ab amatis corporibus.

Demum

Demum ubi ſatis perfuncti officio ſuo oculi, ac lachrymis exaturatus dolor, inſtante Tanuſio factis circum crebris uelut tumulis terra terræ reddita, ac gemitus omnis repreſſus. *Terra terræ reddita.* Non potuit ulli melius hæc cura quàm Topiæ iniungi, nam ubi ea ſuis obſequia q̃ gratiſſime poterat, exoluit, ne ea tantum cauſa ueniſſe uideretur, & deriſus perinde ab oppidanis abiret, quærens qua ratione rabiem ſuam expleret, & dolendi aliquam cauſam hoſtibus relinqueret, primum in ſubiectos hoſtium oculis agros immiſſo milite ferroq; ſimul, igniq; non uitibus, non arboribus, non rei ulli parcens, luctuoſum incluſis ſpectaculum edidit. Deinde progreſſus pertinaciter ad muros, quod ſine periculo potuit, nihil damni, nihil ignominiæ in hoſtes omiſit. Exin dicunt nonnulli, & multorũ opinione affirmata res eſt, erupiſſe maximo impetu regios, & iniectũ in ſuburbia ignẽ tum tormentis, tum oppoſitione corporum ſuorum arcuiſſe, ac utrinq; acriter pugnatum fuiſſe, ſed noſtros facile uictores, & illos compulſos in urbem, atq; ita nihil ultra tentatum, uerentemq; Albanum, ne aliquis in ſe impetus ex locis uicinis appareretur, ſi diutius ibi manſiſſet, ſcelerata loca & noſtrorũ clade infamia multis deteſtationibus ac imprecationibus reliquiſſe. *Topiæ rabies in hoſtem.* In Dibris crebra concilia, & conuocationes ſeniorum à Scanderbego factæ. *Concilia habita in Dibris.* Et illud primum omnium quæſitum, ac perſcrutatũ ſumma ratione, an ullus alius ex coniuratis Moſis lateret in prouincia, & aliqua occulta perfidiæ ſuę ueſtigia reliquiſſet Dibrenſis. Neq; tacite tantũ hæc uerſata res, ſed palam per præcones acta, ac præmia ingentia delatoribus propoſita. Nihil tamen non ſolum perfidiæ, ſed ne ſuſpicionis quidem inuentum. Tunc actæ dibrenſibus gratiæ, & laudata honorifice fides, ac promiſſis, & munificentia etiam inſigni pellecta, Moſis bona publicata, & in fiſcum relata. *Moſis bona in fiſcum relata.* Cæteri qui cum eo defecerant, ſicut non ſatis notæ erant conditionis, ita tenuioris fortunæ, q̃ ut id publice curaretur. Stipendia, quæ Moſi iampridem ſtatuta à Caſtrioto fuerant, poſt eius rebellionem fiſco adiudicata, & inter priuatos diuiſa ſunt. Dignitas uero ipſa ad neminem translata, neque ulli collata fuit, ſed uacua atq; extincta permanſit, maximo conſenſu omnium, ac militũ uoluntate. Firmatis Dibrenſium rebus, ac preſidio ibi ualidiſſimo aſſignato, reuerſum Croiam. Tanuſius ibi cum exercitu inuentus, qui tradito Scanderbego milite domum mœſtiſſimus ac inuitus quaſi abijt. *Neniæ carmẽ laudandi gratia apud ueteres in defunctorum funeribus cantari adſolitũ. Eſt autem Nenia factitiũ nomen, à ſimilitudine uocis corũ quiquerunt & dolent.* Nouæ ibi lachrymæ, nouus luctus ex aduẽtu eius renouatus, atq; auctum magis hominibus Muſachij deſiderium. Mamiza conuocatis de more gentis multis matronis, exequias uiri in longo ſqualore, ac lachrymis, non interpellatis diebus, nocti busq; celebrauit. Id Neniam appellaſſe antiquos non iniqua ratione putauerim, nam inter flendum non uirtus defuncti ſolum, & fortia facta recenſeri, ſed & patrum res geſtæ, & omnes auitæ imagines, ac uetuſta familiæ ornamenta interſeri conſueuerant. Quæ res in tanto uſu olim apud multos Orientis populos fuit, ut ad id munus conducerentur doctæ fœminæ, quæ cantu geſtuq; flebili lachrymas inuitarẽt, ſed nunc ſicut cętera

multa

multa paulatim lachrymæ quoq; ipſæ in deſuetudinem abiere. Dimiſſo exercitu, Scanderbegus Apulos, qui ex clade ſuperfuerant, mittere cū legatis ad regem decreuit, qui fortunam ſuam nunciarent, & excuſarent. Sicq; quamprimum per incommoda uulneratorum integrum fuit, culti officioſiſſime, ac impoſiti nauigijs ſunt. His expeditis, ipſe ſtatim in Muſacheniam ad ſororē conceſſit, ſedaturus priuatas & publicas lachrymas, ac curam imperij in ea rerum mœſtitia, ac demiſſione animorum habitu rus. Tanuſius tutor nepotibus, & curator bonorum datus, qui ea fide ac diligentia per omne tempus res eorum adminiſtrauit, ut maiorē diligentiſſimus quiſq; paterfamilias adhibere nō poſſet. Nomen & dignitas imperij apud matrem fuit. Hęc ea moderatione, ac ingenij dexteritate in tractandis populorum animis uſa eſt, ut uix concordia maior ſubditorum unquam fuerit in prouincia, quod perraro contingit, obedientia inconditæ multitudinis, maxime tamē ex eo laudari prædarū quoddam huius fœminæ ingenium poteſt, quod in rebus agendis ſociam conſiliorum à Scanderbego adhibitam ſæpenumero audio. Vota alterius mariti, uel ſecundas nuptias nunq; appetijt, inſigni pudicitia atq; caſtitate defunctū uirum uſq; ad extremos cineres in honore habuit. Idipſum præter inſitā ingenio continentiam & grauitatem, illa etiam fortaſſe ratione, quod irreparabilis excelſi animi fœminæ Muſachij iactura uidebatur. Fuit enim ille (ut proprias uirorum uirtutes taceam, quas ſatis præclarus exitus eius declarauit) adeò grata quadam morum indole, & ingenij iucunditate, ut nemo facilius, melius q; ſingulorū animis illaberetur, pulchritudine præterea (quod proprium mulierum ſpectaculum eſt) ac uultus, membrorumq; decore maxime ad ea animæ ornamenta compoſito & accommodato. Verumenimuero dum tam ſolicite noſtra curamus, & ſingulorum lachrymas proſequimur, diſtulimus nimio plus fortaſſe Sebaliæ triumphum. Præceſſerat iam fama euntē de rebus bene geſtis in Epiro, ac multiplices nuncij regis animum inclinauerant aliquantiſper ad credendum, nam inſueta uſq; ad eam diem, & inſperata res minuebat uera dicentibus fidem. Moſis aduectus primum triumphi ſpectaculum, ac delibatio lęticiæ tam publicæ, q; priuatæ fuit, maturius hic aliquot diebus Conſtantinopolim uenit, q; Sebalias, quum & incommodior uia à Belgrado uenienti, & trahenti exercitum iter ſegnius agendum eſſet. Ab eo exactius expoſita omnia, ac credita à rege ſunt, neq; uix ulla gratior uictoria Mahumeti, q; Moſis præſentia, & mutata à Scanderbego uoluntas fuit. Non occurrit ſagaciſſimo Tyranno quod cum res Epiroticæ aduerſę ad ſe traxiſſent, eaſdemq; reſtitutas ſibi auferre denuo poſſe. Sebaliam ingens feſtiuitas populi, ac multitudinis clamores excepere, maioreq; lęticia hominum apparebat, q; expugnata nuper Græcia fuerat. Captiui uinctis poſt terga manibus primi oblati cū hoſtilibus ſignis. Tum reliqua ſpolia, ac bellica ornamenta expoſita, necnon capita occiſorum, quæ diximus, ubi uendita auro palea eſt, paſſim ad pedes uulgi proiecta, & iactata ioculariter à pueris

Mulier ſocia conſiliorum Scanderbego.

Muſachij dotes.

Triūphus Sebaliæ, quo uenit Conſtantinopolim.

ter à pueris ſunt. Seruorum Italicorum ſubhaſtatio facta, ac ueniere plures, præter paucos grauioris ætatis, ac iam emeritæ militiæ uiros, qui cū cæteris Epiroticis aut pallis (prȩacutę ſudes ſunt) infixi, aut ferreis uncis in altum attracti, ſociorum glorioſam ſub Belgrado mortem laudabant, & ignauiam ſuam, ac fœdam uitæ cupiditatem ſero deteſtabātur. De noſtris deformiora quoq; alia ſpectacula ædita, uixq; ullus à crudeli hoſte ſeruatus odio gentis & indignatione nimia fortaſſe, aut uictorię inſolentia. Vel potius, q; non maximopere Epiroticos ſeruos liceri ſolent Turcæ, nulla enim gens, nullum captiuorum genus (ut audio) difficilius emptorem inuenit, q; Epirotæ, & Hungari, utpotē quos minime ſeruitio aptos, & imperioſos nimis dicant, neq; unq; ex eis bonos Turcas fieri conſueſſe. Quæ de Scanderbego narrata ſunt, multum & admirationis, & doloris Tyranno extorſere, ita, ut uictum exercitum eius, uictorē eum diceret. Auctaq; magis ex eo prælio fama uiri, ac nomen apud hoſtes ampliatum eſt, q; ullo alio imperij ſui tempore. Diuinum omnes credere, dicereq; ac inuulnerabile corpus uiri, & nō ferro, non ulli humanę iniuriæ obnoxium. Sebaliæ facta ingentibus præmijs non defraudata, & ſolus aliquandiu in ore uulgi fuit. Quod primus Scanderbegum uinci poſſe docuiſſet. Moſes quoq; multo decore uerborum acceptus, ac decreta ei alimenta honorifica, ſtipendiaq;. Poſcenti tamē copias, & bellum aduerſus Epirum negauit Mahumetes, cauſatus hyemem in proximo eſſe, aut ea ipſa ratione, aut fortaſſe (ut cauti quandoq; iudices faciunt) non multum baptizato recenter ludæo credens. Ita nedum per Moſen quippiam aggrediendum, ſed neq; per alios quosq; curauit, immunis q; à belli Epirotici cura traducere id tempus ſtatuit. Ab Alphonſo interim Caſtrioti legatio reuerſa plenis (ut conſueuerat) manibus, alijsq; regijs legatis, qui introducti ad Scanderbegum, longa & appoſita oratione eius dolorem lenire conati ſunt, excuſaruntq; iacturam ſuorum communi (ut fit) Martis fortuna, & uiciſſitudine rerum, uſu id ſæpenumero euenire in belli diſcrimine dicentes, & maiora omnia, ſi opus foret, regis nomine offerentes. Caſtriotus gratijs actis, & inſignibus donis regiam liberalitatem ſuperare conatus honorifice à ſe dimiſit, opera eorū perinde atq; ſua, ſi res ferat, ſe uſurum ſine reſpectu dictitans. Non defuere ab alijs quoq; Italiæ principibus, & populis uicinis legationes cum prȩclaris muneribus, pro miſſisq;, ne animis caderet, & eam iacturam immoderatius doleret, non laboribus, non ſumptibus, non periculis ullis parſuros Chriſtianos pro eius ſalute, dignitateq;. Miratus eſt Scanderbegus eius rei famam, & magis tunc cladem & ignominiam ſuam cognouit, q; fumantibus adhuc uulneribus ſuorū ſenſerat. Inuicto itaq; animo, & præclara uoce negans eum eſſe pudorem, & ignauiam Epiri, quam homines cōcepiſſent, & ſat ſuas uires fore ſibi ad recuperādam fortunā, ac ſuperandam etiam omnē priorem laudem inquiens, lætiſſimos omnes domum remittebat. Partē eius hyemis ipſe Croiæ, partē in Dibris, atq; uarijs prouinciæ locis conſumpſit.

Tyranni uox de Scanderbego.

Vt tractatus Moſes à Tyranno.

Caſtrioti legatio redit ab Alphonſo.

Legationes principum ad Scanderbegū.

sumpsit. Præsidium Dibrense minuit, & ad solitum numerũ duũm millium equitum, mille peditum redegit. Custodias crebras statuit, ac explo ratores frequentes dimisit. Sed necꝙ excursionibus ullis per id tempus la cessitus hostis, nã & quæ in proximo stabant, corrupta iampridẽ omnia erant, & inferre interius arma, necꝙ immodica frigora, ac perennes quasi niues, necꝙ Scanderbegus consulto permisit, moliens altius quippiã animo, & ad præclarius ultionis genus sæuos seruans spiritus. Ita segnia ea hyberna trãsacta, ac in summa quiete fuerũt. Iam uer appetebat, & omnia cœlo terraꝙ temporis gratia mitescebant, quum Moses assiduus ante Tyranni fores stimulator, arma bellumꝙ cupidissime poscebat. Exigente tempore quoꝙ ipso, Mahumetes ad eum totus uersus, quæ petijt omnia propenso iampridem animo concessit. Nam per id spacium temporis (quod plusquam semestre fuit) acta singula, atꝙ consilia uiri exactissime scrutatus efficacia multa indicia constantiæ, & fidei pertinacissimę, ac abalienatissimi à Scanderbego animi deprehenderat. Virtus quoque quanta in pace potuit, conciliandi sibi regis causa satis multis indicijs demonstrata, & robustissimi pleraꝙ idemꝙ audacissimi corporis documenta expressa, adeò quod interrogasse ferunt Mahumetem (id quod referente postea Mose propalatum est, an plures tales uiros haberet Scanderbegus. Respondisse illum innumeros huiusmodi apud eum esse: laudassecꝙ Regem modestiam eius sermonis, tum (ut fit pleruncꝙ, quum laudare apertius nos detinet pudor, uelut ex obliquo per alienum contemptum latenter quem alijs detrahimus locũ, perstruimus nobis) paulatim prius per gradus cæterorum ad Scanderbegum ipsum dilapsum Dibrensem, atꝙ multis modis conatum minuere famam uiri. Et promisisse post multa Tyranno se omnino eo prælio, si copia adsit (id quod ex parte tentauit) periculum sui corporis cum illo facturum, fortunamꝙ tentaturum, militum ampliorem numerũ noluit, quàm quindecim millium equitum, quos ipse sua quasi manu delegisset, atꝙ ordinasset. Ottomanus sicut curam exercitus illi tradiderat, ita omnia ad arbitrium eius referebat. Miles & si ea paucitate aditum Epiri abhorreret, ingens tamen fiducia uiri bene fœliciterꝙ interpretari singula cogebat. Magna præterea Mosis autoritas apud suos, & consanguinitas in prouincia non ini qua ratione acuebat hominum animos, quod credebant ingentiora se auxilia ibi offensuros. Id quod & regi Dibrensis, & ipse fortasse sibi persuasserat, pollicitus collocutum se cum senioribus Dibrarum, & principibus quibusdam loci, latereꝙ ibi multos socios, & adiutores coniurationis, qui mox se uiso promptissima iuuentute conuolaturos, & arma uersuros in Scanderbegum. Sic omnibus paratis ad profectionem intercalario mense, quinto kalendas Martias Constantinopoli abijt, non qua Sebalias prius erat, sed usitatiori uia per Thraciam, indeꝙ Macedoniam in Dibras dirigens iter, in patriæ conspectu, uisceribusꝙ, sceleratũ ferrũ stricturus expediuerat. Castrioto quoꝙ iampridẽ arma tũ tẽpus ipsum tum fre-

De aduentu Moseos cõtra Scanderbegũ, cum exercitu.

Mahumetes inquirit Mosen de Scãderbego.

Moses in patriam stringit ferrum.

tum frequentes nuncij, & nihilo incertior fama, designatoꝙ pluribus locis, ac uelut ad manum habito milite, noui aduentum hostis mitiore, cũꝙ consueuerat, animo, & remissiore aliquantisper odio expectabat. Quod uix adhuc credebat Mosen hostilem in se animum induisse, & spectatam tot bellis annisꝙ fidem, tam leuissimæ rei momento tam cito mutatam. Illum forsitan ueluti stratagemate hoc usum, ad præclarũ aliquod facinus graui hostium mina posteris testandum, etiã & si uerus hostis patriæ ueniret, tamen ex aspectu natalis soli, & præsentia sociorũ paulatim subeuntem pietatem, iram omnem nominis, & nefarium propositũ demoliturã. Sed utcunꝙ esset, parato ipse ad omnes casus exercitu stabat, armatus omnino aut uoluntatem amici accepturus, aut acri indignatione contra illam pugnaturus, necꝙ cura eum ulla incessit per fraudem quippiam agere, aut insidijs præuertere uenientem, quod necꝙ immodicas copias eius audiebat, atꝙ militem suum & uirtute, & numero sat idoneum ad apertã uim iniuriamꝙ uidebat. Vel quod difficile forsan, & non satis tutũ erat, artificem quondam earundem insidiarum, & familiarem (ut aiunt) hostem suis captare laqueis. Ita liber ubiꝙ Moses, nuscꝙ interpellato itinere Dibram inferiorẽ intrauit, iuxtaꝙ planiciem multis prælijs, Mustaphea præsertim clade, notissimam in Epiro consedit, nihil quicquam mouens uel ad solicitandam, uel deuastandam prouinciam, nam & exercitus noster in propinquo esse nunciabatur, & cupienti singulari certamine pugnæ auspicia sumere, apertiore uirtute, & collatis potius signis, cũꝙ tumultuarie dimicandũ censebat. Non diu desideratus Scanderbegus, moxꝙ ordinata, ut operæprecium erat, acie, & stricto quasi ferro aduolauit, fremebat maxime uulgus, & infrendere dentibus miles audiebatur, uix præ uehementi indignatione, & animi ardore cõtinens se intra signa. Castrioto tus uelut anxius pater, quum insolentem ob oculos filium conspicit, quẽ nefaria regnandi libido, & impatiens iugi adolescentia armauit, contatur per singulos gradus, segnius promouet signa, & lenibus prius nequicꝙ uerbis depugnare cũ filio conatur, ac differt, quo impensius potest, chari supplicium capitis, & luctuosam proprij sanguinis uictoriã. Non secus ipse armatum, & frementem iam Mosen aspiciens ũrgente pietate multifariam animum eius interpretabatur. Cupiebat cominus alloqui, & pertractare aliquantisper assuetum amici ingenium, libenter legatis, libenter pijs consilijs ageret, sed necꝙ dignitas imperij, & rigor ipse militiæ, necꝙ militaris insolentia, & uibrantes iam gladios turmæ isthæc fieri patiebantur, dum cõfessionem potius sceleris Deo, cũꝙ timoris hosti dare malunt. Alia Mosis uoluntas, & diuersa maxime consilia erant, apparans nancꝙ se ad promissum Tyranno spectaculum, militem iam ad Scanderbegum prouocandum ire iubebat: sed interpellauit, distulitꝙ ducis factum priuata uirtus, & insignis Turcæ unius animus, Ahemaze nomen erat, qui progressus ad Dibrensem: Liceat, inquit, nobis egregie Imperator prius uiam tibi eam, quam dij dederint ad hanc præclaram gloriam aperire,

Moses uenit Dibram inferiorem.

Castriotus cũ Mose, uti pater cum insolenti filio agit.

Ahemazæ consilium.

quandoquidem indecorum neſcio quid,& prȩter ius uſumq; militię uidetur ad ſupremum acici robur,& caput ipſum belli decurrere, priuſq; leuiore opera auſpicia pugnę ſint tentata. Acceptus militis animus,& permiſſum ut arma caperet,nunciuſq; ab alia parte ad Scanderbegum miſſus,qui uoluntatem eius ſciſcitaretur,an ſinerent, ut priuſq; ad iactandã totã aleã deueniretur,eo modo uirtus utrinq;,& fortuna depromeretur. Viſo nuncio,Epirenſis mutatum (ut optabat) amici propoſitũ putauit, ſed audito demum,abire paulatim ex animo Moſes cepit. Quæ petita tamen omnia conceſſa. Quin quoſdam ex noſtris militibus reſpondiſſe audio,paratos ſe libenter,ſi mallent,eo dimicationis genere exercitus totos periculo exſoluere. Ita ſimul & nuncius ad ſuos remeabat, & conſurgens hinc impigre miles noſter Zacharias Groppa, ueritus fortaſſe, ne quis prior eam ſortem ferret,ad Ducem ingenti animo,ac turmalium clamore pergebat. Amplexatus maxime ab eo eſt, & laudata uirtus uiri. Socij inter armandum non robur maius,non animũ illi,non ferociorẽ dexteram,ſed fortunam tantum Manciſij à ſuperis peroptabant. Solitũ genus armorum acceptum,& alia ſupernæ ornamenta,quæ hoſti magis,quàm ipſi animos acuerent. Nulla re inferior Barbarus prior in medium proſiliens,quum uixdum inuentum ſibi crederet hoſtem,& armatum,& infeſta iam cuſpide in ſe properantem conſpexit,tum altiore uoce compellans uirum,& ſatis temporis ad mortem properantibus fore inquiens, peramice ad colloquium inuitauit. Quumq; & nomen, & officium militis ſciſcitatus eſſet,demum certamini conditiones ſubnectere pergebat, non abſimiles ab his,quas Paulus olim irriſerat. Identidem Zacharias ea uelut inania uerba prȩcidens: Optare ſe ait plura capita,quo (ſi ita ſtatuerit fortuna) animum eius cumulatius exaturare queat. His dictis frementes adinuicẽ,& toruis ſe metiti oculis diuerſi abeunt, elongatiq; aliquantũ,ut eo ncitari equorũ curſus ad ictus acriores poſſent,conuerſa utrinq; cuſpide effundunt habenas,equorumq; armos calcaribus ſodiunt. Neutrum ictus fefellit,effectus tamen utrinq; inanis fuit,nam lanceæ amborũ quum umbilicos ipſos ſcutorum,quos ferreæ laminæ tegunt, perſtrinxiſſent,ſine ullo hauſtu cruoris ſunt perfractæ. Ipſi quoq; eo impetus tenore corporibus ad inuicem colliſis,equi,uiriq; corruere. Mox illæſi bellatores equis relictis,ſtrictis cominus gladijs acriorem ineunt pugnam. Ornare multifariam fortuna id ſpectaculum ſtatuerat, nõ alteri iniquior magis q; alteri. Multis nequicq; ſine cruore ingeminatis ictibus ferrum ambobus è manibus collapſum eſt. Enſium id uitium fortaſſe, q; quum recurui,& graues equitibus potius parati ſorent,incommodiores ad pedeſtrem pugnam erant,aut per laſſitudinem forte uel imprudentiam immodica feriendi cupiditate excuſſi ſunt. Tum abiectis leua ſcutis, uelut Athletæ inermes conſertis manibus,quod ſuperĕrat uirium, exhauriũt. Spectant acies pari lance timoris ſpeiq;. Vbi uero aliquandiu luctati certamen interpellaſſent,neq; alter alterum loco mouere aut ſternere poſſet, ultimo

Zacharias Groppa.

Certamẽ Barbari, & Zachariæ Groppæ Albani.

ultimo conatu ad inuicem ſe tollentes,ambo eadem ruina corruere. Barbarus ſubter reſupinus,Albanus in os iacẽtis pronus incubuit,eductoq; impigre pugione,iugulum rimatus confodit,reſolutæ tum paulatim manus morientis. Liberq; uictor cum ingenti ſuorum clamore ſurgens lætus enſe apprehenſo,qui iuxta iacebat,caput ſpirantis adhuc hoſtis abſtulit,& ſimul eo,ſimul reliquis onuſtus ſpolijs, pedes ad progreſſos paſſim obuiam ſocios perexit,nam equi iampridem initio ipſo certaminis aufugerant,ambo tñ in noſtras ſtationes uenerant, quod lætis animis omen acceperat uulgus. Prȩmia eadem Zacharias quę Maneſius à Scanderbego tulit,laudes tamẽ ab exercitu longe maiores, quod difficultas pugnę, & uarietas ipſa rei augere uirtutem uiri, & ornare magis uictoriæ gloriam uidebãtur. Interea Moſes licet offendiſſet ſpectaculum feroces uiri ſpiritus,& dehortarentur ab ea re Ducem pauentes iam ex ſocij euentu turmæ,citato ocius equo,in fumantem adhuc ſanguine locũ prouolans, compellato uoce Scanderbego prouocationis ſignum dedit. Obſtupuere noſtri,ac horrore quodam inter homines orto,præ inſolentia tam ſcelerati facti nemo fermè uocem emiſit. Nondum omnis à Scanderbegõ abſceſſerat pietas,ac reluctatus pauliſper ſecum domeſtico fœdare ſanguine dexteram nolebat,ſed ubi pertinacius inſtantem, & probra etiam immodice ingerentem uidit,exploſum tum omne ius, faſq;,& fruſtra retinentibus ſuis,atq; transferre in ſe eam ultionem uolentibus plenius irarũ in expectantem fertur. Aufugit extemplo Moſes,& receptus ad ſuos,nihil prę uerecundia locutus,mouere totius exercitus ſigna, & apparare ad ultimam dimicationem exercitum cepit. Scanderbegus cum magna laude,& militum gratulatione reuerſus eſt in caſtra, neq; ingrata omnino ei Moſis fuga. Lætа tamen ualde regijs fuit, quod imparem cum maxime Caſtrioto palam dicerent,crederentq;. Ego ſi initium & inſolentiam prouocantis,contraq; fugientis ignauiam,ac exitum rei ſpectem, credere licet Dibrenſem uel promiſſionis illius pudore commotum exoluere ſe eo uelut alieno ære uoluiſſe,& præſenti periculo deterritũ terga dediſſe, uel temeraria & inani quadam æſtimatione id feciſſe putantem non egreſſurum Scanderbegum,id quod ipſe poſtea patriæ reſtitutus palam confeſſus eſt. Noſtra quoq; uexilla ſine mora ulla promota, & clamor undiq;, qualis à uictore exercitu ſolet ęditus. Caſtriotus licet & eximium militũ robur (ſex enim equitum,quatuor peditum millia fuere) & affuturã iam multiplici omine,ac certam quaſi uictoriam conſpiceret, nihil tamen uel in diſtinguendis exactiſſima cura copijs. uel inflammandis ingenti ardore ad pugnam militibus prætermiſit. Orationem eius inter redeundum in caſtra ab inani Moſis prouocatione,talem comperio fuiſſe:

Zacharias uictor.

Moſes prouocat Scanderbegum ad ſingulare certamen

Moſes fugit.

Oratio Scanderbegi ad ſuos, ante congreſſum cum Barbaris, & eius uictoria.

Procedite uos quoq; (quando exaturaturi adeouſq; hoc ſpectaculo ſtatuit fortuna) ad aliud utinam fortiſſimi milites. Traditum uobis ferrum,& ultrices poſcenti patriæ expedite dexteras, ac armatos ſequimini deos. Expellamus iam ocius quęſo,ſi nulla alia ratio,uel temporis,uel ho

ſtilis impatientiæ ſtudeat, ex oculis noſtris tam nefarium, cꝫ moleſtiſſimum ſpectaculum, ac paratiorem iam ad fugam, quàm ad pugnam hominem ex inſontis, atcꝫ nihil huiuſmodi meritæ patriæ conſpectu graui aliquo impoſterum documento tollam us. Ad audaciam, ad expectationem totius uictoriæ ſigna ſatis præclara oſtenſa, datacꝫ ſunt, dū pari uirtute atcꝫ iuſtitia progreſſus hoſtis, alter miſerabili cruore, ac capitis ſui precio, alter ſordidiore fuga expectatæ nobis hucuſcꝫ uictoriæ auſpicia dederunt. Pugnauimus ſatis pietate dum integrum fuit, inhibuimus publice priuatimcꝫ ardorem iſtum, ac iuſto imperauimus ferro. Nunc ſola hæc pietas relicta uobis patriam, liberos, uxores, ac caput hoc (quid proloqui reformidat animus?) libertati noſtrę, ocio quieti natū, dicatumcꝫ defendere, fidem, delubra, ſacra, deos ipſos, quæ omnia euertere, ac priſtinas ſordes inuehere in Epirum properat, inſignis patriæ ciuis. Vtinam audire potuiſſetis, quæ promiſſa, quàm ignauię & ignominiæ ueſtrę plena omnia præſtiterit Tyranno. Nullum accōmodatius hodie eſſet, nullum acrius adhortationis genus. An creditis quod alia ratione maiores copias necꝫ petijt, necꝫ acceperit? niſi uel uires, & uirtutem ueſtram contemnens, quū omnem priſtinam fortunam Epirotici nominis in ſe tantum poſitam fuiſſe dixerit, uel perfidiæ ueſtrę confidens, & ſperans noua ſe hic auxilia, nouos exercitus inuenturū? Et ob id ipſum Dibram hanc fortaſſe, ac locum iſtum Dibrenſes egregio facinori elegit, ut domeſtica ſaltem arma duci ſuo præſto eſſent, & armatum ſequeremini, quem inermem ſequi noluiſtis. Sequendus ſcilicet nūc maxime fortibus uiris, quū ad perfidiæ ad rebelliōis notā fugæ quocꝫ ignominia addita, cōtemnunt fugientem Dibrenſes. Abominantur inuiſum dijs, hominibuscꝫ proditoris caput. At ſequendus tñ, & perſequendus totis ſignis, animiscꝫ. Et aut ſcelerata ueſtigia penitus ab hoc ſolo abolenda, aut ingrata oſſa uictrici patriæ, & oppugnato nequicquam natali ſolo mature reddenda.

In maximo tumultu, & clamore militum, & cepta quaſi & expleta eſt oratio, moxcꝫ à concione itum eſt in hoſtem nihilo ſegnius obuiā prodeuntem. Exercitus noſter in cornua diuiſus fuit, ex quibus alterum Muſachius Angelinæ nuncupatus, alterum Giuriza Vladeni obtinuit. Scanderbegus aſſuetum locum medium non mutauit. Munita ibi acies haſtatorum robore, & quorundam equitum Italicorum, ſagittarij per cornua in fronte cū ſcorpionarijs, & reliquis id genus militibus diſtincti. Sicꝫ peditatus & equitatus tam circa ſigna ad primos impetus, quàm in poſtremis agminibus ad ſolita ſubſidia, & uariationē fortunæ diſtributus. Moſes unica tantū fronte in amplitudinem deducta quatuor fermè millia ſuorum ſub ipſis uexillis locauit, ac appoſuit hoſti. Totidem ponè millia, iuxtacꝫ hos lectiſſimorum uirorum corpora, ac nobiliſſimorū quorumcūcꝫ aſſignata, qui & timorem fugientium oppoſitione corporum ſuorum arcerent, & ſubuenirent feſſis, ac furorem hoſtilem reprimerent, donec ſubſidiarijs, & Moſi ipſi, cuius ſtatio non longe aberat, aut ad inuadendum

uadendum hoſtem, & reſtituendam, ſi opus eſſet, fortunam, aut ad conſulendum ſi quid durius incideret de fuga ſpacij aliquid eſſet. Dibrenſem ex maiori parte equites Epirotici generis cingebāt, ac latus ipſe ſuum eorum robore firmauerat. Quod lingua, & mores hominū notiores conſilia aptiora, & dare, & accipere poſſe uidebantur. Multicꝫ ex ijs ab eo ductores agminum conſtituti, atcꝫ uaria munia eius prælij commiſſa uiris, cæteris nihil recuſantibus, uel moleſte ferentibus, quū libera rerū omniū poteſtas Moſi data fuiſſet à Tyranno. Cæterum congreſſis utrincꝫ maximo ardore ijs qui in prima fuerant acie collocati, noſtriſcꝫ ualidam impreſſionem facientibus, iam primum hoſtium agmen pellebatur, & retrocedentibus ſenſim ſignis, noſtri mediam aciem pari timore atcꝫ periculo onerabant, fruſtra minantibus ſocijs, ac reuocantibus fugientes, quum equi uiriscꝫ immiſſis maxime ſclopis ingenti pauore perculſi repeterent caſtra, & paſſim ſternerentur. Nuſquam ocioſus Dibrenſis nunc hac, nunc illac maximo periculi, ac uitæ contemptu obequitabat, uerbis, factiscꝫ animans uiros, & reſtituens præſtantia ſua multis locis certamen, ac inſtaurans ordines ſuorum turbatos. Secundana acies nondum ſatis diſſipata, uel loco pulſa fuerat, propter robur uirorum (quod diximus) ponè ad cuſtodiam aſſignatum. Inſtante tamen ſine intermiſſione Scanderbego, deficiebāt uires, animicꝫ hominibus, & uia ad poſtremū agmē ac cardinem ipſum pugnæ aperiebatur noſtris. Quum non diutius moratus Moſes, impulſo, quem iuxta habebat, ſignifero, cū promptiſſimorum quorumcūcꝫ manu illuc accurrit, cruentioremcꝫ aliquantulum noſtris non incertiorem fecit uictoriam, nam ſecutę Scanderbegum reliquę turmæ, ac cornua utracꝫ ibi circunfuſa obſederant quaſi undicꝫ pugnantes. Fugientium nemo curam habuit, donec Moſes quocꝫ uerteretur in fugam, qui acri aliquādiu pertinacia, & indefeſſa dextera, licet magna ſuorum pernicie ſuſtinuit hoſtem. Scanderbego uiſo, atcꝫ in ſe irruenti nuſquam eſt cōgredi auſus, ſed uitabat quo magis poterat, aſpectum omnē, & uiri congreſſum, uim tamen omnem, ac robur ſuorū in illum urgens, atcꝫ impellens, ſi quo modo ſine periculo ſuo caderet, ſine quo res Albana cadere non poterat. Noſtri circa Turcarum latera, & ceruices intenti, non prius ad ducem conuertere animos, cꝫ primam legionē omnem ſuſtuliſſent, & perfregiſſent ſecundam multis ſignis ablatis, occiſiſcꝫ quibuſdam ductoribus exercitus. Tum eorū capita à uulgo (ut fit) lanceis fixa, ſatis latum timorem reliquis incuſſere. Nullus tamen memorem fugæ Dibrenſem conſpexit, antequam omni præſidio latus eius nudatum, & irreparabilis fortuna belli perito duci uiſa fuit. Sed colligens ardentiſſime circa ſe palantes, ac ignauiam hominum increpitans renouabat per omnis gradus ſudorē hoſti uictoriæcꝫ exitū anceps longumcꝫ faciebat. Miratus Scanderbegus tantā pertinaciam, ac rabiem potius quandā pugnantis. Vix ſe inquit pro ruēti ante oculos patria, & tractis ob ora filijs pari odio fuiſſe decertaturū, ſequentemcꝫ Tanuſio, Ameſa, & ambobus

Moſes non audet congredi Scanderbego.

Stresijs nepotibus integro animi ardore impetit uirum, compellantibus nostris quibusdam illum nomine, ut Epiroticum diadema paratum sibi expectaret. Sed neq; ming, neq; aspectus uenientium perterruit ferocem hominis animum. Verũ succedente circa eum postremo, ac subsidiario agmine primum nostrorum impetum egregie & sustinuit & repressit. Hic Barbarus quidam uir pari animo atq; uirtute procedentẽ Scanderbegum conspicatus effusis habenis, & cuspide directa ita uenientem excepit, ut resupinum sterneret super dorsum equi, clamoremq; suorum excitaret occisum credentium. Ea res tardioris aliquantisper fugæ, & maioris sanguinis causa fuit, nam & animi creuere cæteris: Et firmatum super equo Castriotum fœlix semel dextera uiri tanq; sibi debitum poposcit. Non passus est egregius dux ultionem ignominiæ suæ ab alio sibi, q; à se ipso exolui, ac uelut insuetum eum pudorẽ æquo animo ferre nõ posset, fremens fremẽti stricto gladio occurrit, illæsusq; penitus ipse, multis uulneribus confectum hostem deiecit ex equo. Tunc uerõ clamore ruentem humi prosecutus est Albanus, & furor omnis in Mosen uersus, qui profecto pro gloria saltem, si non pro uictoria stetisset, nisi socij & dies simul deseruissent pugnantem. Tunc sicut belli, ita ducem etiam fugæ miles est consecutus. Epirotica iuuentus per quinq; amplius stadia uestigia fugientis non reliquit, si quo modo uiuum, aut saltem mortuum habere posset, uel quod optare summopere nouerant Scanderbegum. Cæsi multi ex postremis sunt, ipse integer omnino manus eorum effugit, ac peritus locorum cum infamibus reliquijs uix quatuor hominum millibus, pariter labore atq; fame confectus, mox in tutum euasit, refectis ibi corporibus diem expectaturus. Nostrorum minus q; centum occisi, uulnerati lxxx. qui non labore, non uulneribus, nõ tenebris, tardati per noctem & tentoria, & spolia iacentium auidissime diripuere. Captorũ nemo notioris conditionis fuit, præter unum, qui multis deformatus uulneribus Zachariæ se tradiderat. Hic solus seruatus, & redẽptus postea est pulcherrimis pro eo missis donis. Cæteri partim ignorante, partim etiam nõ prohibente Scanderbego uarijs supplicijs ab exacerbatis Belgradensem eadem hominibus destinati, sicq; publice & priuatim ira exatiata, ac cõpensata (prout potuit) prior iactura. Ita expedita uictoria, ac tam suis, q; hostilibus uasis collectis, in antiqua castra reditum, ordinatoq; solito præsidio, paucos ibi moratum est dies, ac pridie nonas Apriles reuersum cum insigni triumpho Croiam. Tunc dolor ille, quem tempus iam ipsum (ut solet) paulatim mitigauerat, penitus fermè oblitteratus, & animi hominũ noua hac lætitia restituti, atq; erecti. In Dibris longiore festiuitate, atque excellẽtioribus ludis eius uictoriæ laus celebrata, q; ullo alio belli successu & habito ex hoste triumpho alias factum fuerit. Quod ignominiã uelut quandam suam aliena contractam culpa expurgasse, & certiora pignora ac documenta suspectæ prius aliquantisper fidei suæ Castrioto dedisse uiderẽtur. In Appuliam legatio missa cũ insignibus nouæ uictoriæ spolijs,

Scanderbeg sternitur à Barbaro.

Moses ut belli ita et fugæ dux

Victoria Scanderbegi & triumphus.

quibus

quibus & Belgradensis ignominiæ, & domesticæ perfidiæ ultio cupidissimo regi testata redderetur. Accepta est & remissa ab Alphonso honoratior longe, & q; accesserat opulentior eadem legatio, licet & ipse recenti Florentino bello, ac irrita Plumbini oppidi obsidione, & pecunijs, & uiribus exhaustus maxime foret. Sub idem tempus Moses cum socijs non lõge ab Epiro per aliquot uagatus dies, haud satis animi certus erat, quo uerteret iter, nanq; tanta ignominia, cladeq; accepta Constantinopolis aditum, & Tyranni conspectum abhorrebat, moliri aliud cõtra hostem, ad excusandum saltem, si non expurgandum fortunæ prioris euentum, neq; paucitas copiarũ, neq; demissi militum animi patiebantur. Tentare tamen apud suos eam rem, quũ ingentes sibi spiritus non deficerent, statuit omnino. Exorsusq; furore, & casu quodam multa interdum perfici solere, quæ nulla ratione aut uirtute effici posse sint credita, ac unicam tantum illam salutem relictam uictis, ut nullam deinceps nisi uicerit, sperare possint, aut uita celebri, aut glorioſa morte quærendam fortibus uiris tantæ abolitionẽ ignominiæ, sat multis uerbis in hanc sententiam disseruit, pollicitus præterea se propter peritiam locorum, & regionis illius, uel die, uel nocte malint, usq; ad ipsa hostium castra incruentos ducturum, quũ exercitum nostrum mox Croiam rediisse affirmaret, & præsidium ad custodiam prouinciæ relictum minime sibi uel uirtute, uel numero militũ parem. Nihil persuasum hominibus, sed clamoribus & crepitu ipso armorum exibilata sententia Mosis, arripereq; iam in Græciam iter, damnato sine uariatione ducis consilio cepit miles. Necesse fuit omnium uoluntati parere Dibrensem, suppressaq; reliqua uoce pari silentio atq; mœrore tanq; ad supplicium aliquod raperetur, quam semel uoluntaria perfidia deseruerat, denuo cogente fortuna, tacitis nequicq; suspirijs, dulcem infœlix patriam reliquit. Inter discessum eius ex Byzantio, & reditũ, duo paulominus menses interceſſere. Quare nihil certi affirmante fama multa secus ac erant Tyrannum tam diutina absentia eius credere cogebat. Nunc cum toto exercitu internitione cæsum, nunc saluum illum & proditos suos putauit. Aut ipso singulari certamine (ut præfixerat) Scanderbego congresso, & illius manibus occiso, reliquas copias eandem fortunam subijsse, uel præ timore dedisse se hosti (nunc id quod quũ maxime optaretur, hominum more magis ad animum transibat) uictorem ex eo bello Dibrensem in reliquæ prouinciæ deuastatione captiuitate ire procliuem, uictoriam persequi, & promissum sibi sceptrum apparare, libenter credidit. Sed absimilis ab omni expectatione aduentus, & sordidissimum uenientium spectaculum nedum subirati animum regis, sed populi quoq; oculos summopere offendit, laceratusq; tacite Moses est. Quod cum hominũ florẽ uel perfidia sua, uel imprudenti audacia amisisset, & incentes hostium animos ex Belgradensi clade tam propere erexisset. Albanus tam fortunæ calamitate, q; fugæ illius suæ pudore atq; memoria, nõ linguas, non oculos hominum ferre poterat. Conciliabant tamen illum

Moses post cladem à Castrioto acceptã, in contemptu ab Ottomano habitus, pœnitentia ductus, ad Epirensem rediit.

Sententiæ uariæ Tyranni de Mose.

Laceratus tacite Moses.

multorum

multorum animis, infamiam simul propriam propulsantes non ingratæ militum uoces. Quum in prælio & militis & imperatoris officio functũ exactissime dicerent, neminemq; illo pertinacius instaurare iam cõcidentem belli fortunam contendisse, & prouocationis illius ignominiam inuicta Scanderbegi uirtute, ac humanæ fragilitatis obtentu excusarent. Ita sibi militaria studia comitas, & populare ingeniũ uiri, sed magis insignis dextera, ac præstans bello uirtus deuinxerat, quæ præcipue ornamenta amare in hoste quoq; consueuere Turcæ, adeò, ut quum (uelut fit) captiuum sibi fortem uirum sors belli tradit, plerunq; aliquid de solitis supplicijs remittant, seueriores longe ignauis, quos uelut ali indignos, & consumendis frugibus tantum obnoxios perire utile quasi ducunt. Tyrannus nullla satis ratione adduci potuit, ut eius iacturæ, & doloris sui ultionem ab insonte & afflicto aliquo modo non exigeret, non aures, non animũ regium ueniam poscenti, & culpam oẽm eius facti in se reijcienti præbere usq; uoluit. Quin fatiscens insolentissimi odium Tyranni (licet nihil ferè in eo præter fortunam reprehendi posset) in caput ipsum, & supplicium uiri erupisset, nisi purpurati quidam, & magis intimi pœnam eius alienationem cæterorum omnium imposterum fore dicentes, sanioribus consilijs regis iram demoliti essent. Sic uenia Mosi exorata, & quæstio omnis de capite eius abolita, tamen in eo contemptu relictus adeò despectui habitus, ut uix alimentorum illius ratio à Tyranno haberetur. Eodem ad omnia uultu Dibrensis dissimulabat singula, lacerans intus uarijs curis animum, & non cibi, non somni capax, quum hinc periculi, inde infamiæ suæ magnitudinem non iniquus pristini erroris iudex sedula accusatione metiretur, inops quid ageret, quo uerteret studia, quam degendæ uitæ eligeret rationem. Tandem in optimum longe in ea re consilij genus nõ inanis cogitatio euasit, Mahumete relicto, qui ex euentu, non ex consilio iudicare nosset, offensæ adeousq; patriæ denuo se tradere, & quam male promeruerat fidem suorum sequi dulce piumq; desiderium insedit. Ita et scelus suum saltem, si non infamiam sceleris ea se pœnitentia aboliturum, & alioquin de ingrato Tyranno ultionem sumpturum se sperans, præsertim quod clementiam Scanderbegi longo interuallo delicti sui magnitudinem uincere sciebat. Sedato itaq; ea deliberatione animo, indies modũ aliquem & facultatem fugiendi captabat, nox maximè fuit ad eam rem (prout factum est) adhibẽda. Sic egressus in exitu diei ignaris custodijs, integram noctem cum die sequente (nusq; ferè interpellata progressus contentione) itineri adiecit, donec eam regionem Thraciæ, quæ Macedones contingit, intrauit. Tum tranquilliore animo reliquam uiam est prosequutus, sicq; paucis diebus ingressus Epirum, recta ad præsidium in claustris imperij nostri positum perrexit, inde ad Scanderbegũ transiturus. Cæterum uiso eo, Dibrenses demolitis sola quasi aspectus mœstitia animis, desiderium ueteris ducis cum pristinæ consuetudinis cura incessit, oblitteratoq; quod patriæ, quod sociorum & sanguinis sui proditor sas,

Dolus Mosis.

Discrimẽ Turcarum in captiuos.

Moses cõtemptissimus apud Tyrannum.

Moses cogitat de patria adeunda.

tor, fas iusq; omne generis humani prœuertisset, non sine lachrymis illum excepere, & sic inter longos militum amplexus, magnam partẽ eius diei consumpsit. Admonitusq; ab his Scanderbegum non longe abesse, mutato proposito Croiam eundi, ad illum ire perrexit. Secuti sunt plures ex præsidio hominem, ut honoratior iret, & facilius ueniam promereretur. Parum restabat diei, quum cingulo de more gentis circa collum conuoluto progressus, obambulantem ante tentoria Scanderbegum inuenit, atq; mœstissimus ante eius genua prouolutus, supplex, ut nõ aliquo eius merito, sed ipse sua liberalitate, animiq; humanitate ignosceret sibi, incolumemq; uellet profusis lachrymis poposcit. Non abstinuere eo officio cæteri qui cum illo erant. Castriotus manu prehensum hominẽ surgere illico iussit, & non segnis ad ignoscendum, perbenigne allocutus, multiplici amplexu, osculoq; reconciliatũ illi animũ suum satis aperte ostendit. Non multum admiror in Scanderbego, quod Mosis pœnitentiam tam cito admiserit, licet & id quoq; non sine summa esset admiratione pensitandum, quũ tot publica & priuata odia, iniuriasq; in eum euomuisset, in caput ipsius, in libertatẽ patriæ tam nefaria coniurasset. Sed quod tam cito, tam facile ignouerit, ut uix uisum, uix auditum adeò insigni liberalitate, & diuina quadam uerius q; humana clementia sibi ipse conciliaret, quum nondum nuper occisorum dolor, nondum sparsus suorũ cruor, & recentia uulnera coaluissent uiris. Neq; multos post dies quæ ablata Mosi, aut fisco adiudicata, aut diuisa inter priuatos fuerant, reddi omnia curauit. Pristinamq; dignitatem uiro secundo uulgi fauore in integrum restituit, eaq; animi moderatione & sibi gloriam ingentem peperit, & culpam illius, infamiamq; leuauit, atq; omnem flagitij memoriam de hominum mentibus aboleuit.

Mos gẽtis cingulo circa collum cõuoluto.

Moses redit in gratiam cum Scanderbego.

Clemẽtia quæ dã diuina Scãderbegi in Mosen.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Nonus.

IMVLET HINC IMMEMOR INIVRIARVM PAtria ducis sui modestiam imitata uario gratulationũ genere restitutum sibi Mosen gaudebat. Edicto etiã per Scanderbegum lato, ne quis eius facti mentionẽ uel publice, uel priuatim moueret. Et inde ereptum sibi hominem Tyrannus acrius excandescens non sine molestia maxima ferebat, præsertim posteaquam redijsse denuo in Epirum audiuit, atq; tunc demum nõ fortunam hominis in illo prælio, & clade suorum, sed perfidiam tantum accusans, fugam eius & de

Quantũ Epirus in Moseos reditu in patriã lætata esset, tantum Mahumetes fugæ illius exanduit.

eius & defectionem illam tam impudenter à se creditã Scanderbegi strata gema fuisse dictitabat. Cæterum de ratione gerendi belli, secp ulciscendi & rebus Epiroticis ex multis sententijs illa præualuit, quæ abstinendum omnino ab armis per eum annum censebat. Et aut occasionem aliquam expectandam, aut totis Turcarum uiribus cum ea gente bellandum. Recepta eo libentius ea sententia, quod nõ satis belli rumores ex Asia & Persida nunciabantur. Missum tamen presidium ad finium custodiam, licet non satis ualidum, quod à populationibus assuetis nostrorum saltem insolentiam compesceret. Et si opus foret Sfetigradensibus, & locis uicinis usui esse posset. Castriotus quocp cognitis tum ex Mose, tum recentibus exploratoribus consilijs Tyranni, belli curam, & ipse paulisper remisit. Audito tamen aduentu noui præsidij contracta, haud satis ampla manu suorum in insidijs per aliquot latuit dies, sed regijs iuxta Alchriam consedentibus inanis expectatio eius fuit. Quamobrem multis procuratis, ac relicto ibi Mose, ipse ad locum quendam maritimum qui Redoni dicebatur, ad reliquum æstatis cum uxore transigendum concessit, ibicp uenationibus, atcp alijs id genus studijs magnam autumni partẽ consumpsit.

Laus Scanderbegi à cõtinentia exẽplo Scipiõis Africani

Non tacebo hoc loco de eo, quod maxime in claris ducibus exigere solitus est imperatorum omnium facile imperator Scipio Affricanus, continentiã certe admirabilem, nedum in alterius fœminæ, sed propriç quocp uxoris nimia frequentia uitanda, quum nullum maiorem hostem & animi, & corporis uiribus, cp fœminam esse diceret. Sicćp proprio exemplo & milites suos crebro domos reuisentes damnabat, assiduis uigilijs, ac duris laborum thoris castigandum corpus inquiens, ad omnes libidinũ

Castra Scãderbegi à scortis immunia.

æstus facile extinguendos. Non scorta militaria, non aliquod (ut fit) eius lasciuiæ uestigium in castris uncp Scanderbegi uisum, sed uetus quędam disciplina inter homines, ac religio uerbis, factisćp mirũ in modum conseruata. His fortasse artibus seruatum est, & auctum per tot annos tanta gloria atcp fœlicitate imperiũ. His conciliati superi & animos & gladios hominum tantopere ãcuebant. Interea temporis Moses intentus maxime quatenus & ignominiæ suæ maculam recenti aliquo facinore abstergeret, & Tyranni simul ingratitudinem plecteret, aucto præsidio, ac duplicato ferè numero militum, totos dies in deuastandis hostium agris, ad lacessendas nouas Turcarum custodias consumebat, nunc interdiu cum paucis, nunc per noctem latenter sequente multitudine progressus, occisus aliquis uel exceptus inter pabulandum, uel in eiuscemodi ministerijs, tamen nõ audentibus progredi regijs nihil dignum memoratu gestum.

Mosis studiũ, ignominiã suam insigni aliquo facto abstergere.

Hinc Dibrensis ad infamiam suam abolendam manibus, pedibus cp (ut aiunt) acriter contendebat. Inde Amesam uelut tantæ perfidiæ hęredem nescio quis dæmon, & fata sua depromebant. Multa scribentem hoc loco deterrent, & ad silentium quasi me inuitant, quod ea domestica scelera ac ingratitudinem mortalium sicut meminisse, ita referre horret animus. Illud uero magis, quod nihil certi affert fama de hominis fuga. Varij uaria inter-

ria interserunt mendacia, & plura fermè absćp similitudine aliqua uerí. Quare ea tancp necp utilia ad historiam, necp legentibus placitura instar pictoris penicillo oblinito contegam. Pristinam tantum rationem illam in Amesæ defectione secutus, quam in Mose quocp solicitando corrum pendocp adhibitam retulimus, per nuncios scilicet, & magistratus uicinos locorum, præsertim quod non difficile colloqui sæpius cum Amesa hosti erat, & occultis agere nuncijs, nam regionem quandam Epiri non ignobilem ad Turcarum fines uergentem patrui beneficio possidebat, ægreferentis quod tamdiu apud se priuatus ageret. Tyrannum uero (ut diximus) Asiaticis rebus occupatum illa quocp non imprudens ratio de homine solicitando & accersendo mouit. Quod quum & de principum sanguine esset, & gratia ingenti polleret apud populorũ animos, admissuros lõge facilius imperium eius Epirotas, si uel parua periculi uis urgeat, cp in Mose facturi fuissent, non ab re credidit) Et hæc eadem cum Amesa per nuncios agitata, multumćp ad fidẽ promerendam ualuere. Ita nedum perfidos, sed credulos plus nimio homines regnandi uesana cupiditas facit. Sed callidi uir ingenij, utpote quem alienæ fortunæ euentus satis de omnibus instruxerat, ne cum aliqua perfidię suspicione, & capitis sui periculo iret ad Ottomanum, uxorẽ quocp, & paruulos liberos secum eius sceleris socios duxit, traditurus hosti uelut non inefficax fidei suę pignus, & uinculum. Maximum in prouincia tumultum & stuporem quendam hominum fuga eius excitauit, mirantibus singulis, & sciscitantibus causam rebellionis, quum ad id quod nepos Scanderbegi, socius etiã, ac collega quasi imperij esset. Patruus re audita maxime ægreferens, atcp ingemiscens: Hoc, inquit, deerat mihi ad tot labores molestias cp, ut domesticis etiam, & intestinis armis oppugnarer. Ita ne inuisum hoc caput? Ita male merita patria? An tam preciosum potius Epirotici diadematis decus? Inuidit Amesa Mosi, inuidebit iterum, si me Dij, si ius, fascp generis humani, si uirtus, & fides uestra non fallit. Intrauerat iam hyems, & nuda pabulis tellus, ac temporum incommoda satis per se hostium apparatus, atcp aduentum prohibitura uidebantur. Quare Scanderbegus nõ inani ratione credens Amesam ad noua consilia uernam temperiem expectaturum reducta Croiam familia necp ad delectũ habendum, necp ad ullum bellicum apparatum per id temporis animum intendit, solum crebro Dibrense præsidium reuisens, & custodijs, ac exploratoribus assuetis prępa rans se ad fatiscentia pericula hyemem transmisit.

De fuga Amesæ ad Turcã.

Ottomanum non tam uisus Amesa cp auditus postea mouit, quum uerbis, atcp prudẽtia, & grauitate consiliorum uirtus, & peritia uiri in rebus bellicis satis cognita & perspecta fuit, nam breui statura fuit, & non ea membrorum, ac oris uenerationę, quod idoneũ esset ad occulta animi bona, & latentes intus uirtutes indicium. Ingentis uero supra modum animi, & tam callidi, quàm excelsi ingenij, ocij unus impatientissimus, & qui primi, ad gloriam, ac conciliandos mortaliũ animos cupidis imperij uiris gradus esse solent,

Statura Amesæ & dotes.

humanitate, atq; liberalitate pari. Quicquid uel dextera ipſe ſua, & ſorte belli, uel patrui beneficio habuiſſet militibus, & amicis erogabat. Facilis ad alloquium & officioſus, neq; ineptus ſimulator, diſſimulatorq;, ubi res poſcebat. Ita iſs artibus multum ſibi auctoritatis, & beniuolentiæ peperat apud omnium animos, ut primus à Scanderbego in amore & ueneratione populi eſſet. Neq; deſunt qui dicant, ut ſuſpectum id uiri ingenium haberet patruo quoſdam ex ſuis multotiens inſinuaſſe, ſed ſicut non credita, ita minime curata res, tamen quum rebellio demum, & fuga eius nunciata fuiſſet, facilius credidiſſe Scanderbegum audio, quàm de Moſe fecerat, non immemor ingenij prudentius ab alijs quàm à ſe cogniti. Cæterum non ille inanibus pollicitis, & inſolenti audacia Moſis exemplo regias aures impleuit, ſed unica fermè ratione defectionem ſuam excuſans, ut neque leuis, neque conficta notaretur oratio, ſic loquutus fertur:

Oratio Ameſæ, qua defectionem ſuam excuſat apud Ottomanum.

Si ueterum in uos iniuriarum, & antiqui erroris noſtri memoriam repetere licet Mahumetes, ad ſupplicium potius nunc ad te, quàm ad ullam uel gloriæ, uel imperij ſpem ueniſſe uideremur. Quid enim grauius in Ottomanum imperium committi potuit, quàm à nobis olim Hungarici belli tempore fœdo magis & ſcelerato, quàm hoſtili animo commiſſum uidiſtis? quum eodem perfidiæ tenore me conſiliorum omnium adiutore & ſocio (neq; enim defenſio eſt ulla nobis, ſed pœnitentia quærenda) & proditus apud Morauam exercitus ueſter, & Epirus tam nefaria fraude è manibus ablata, atq; tot inde malorum, tanti cruoris cauſæ exortæ. Sed uanus hic profecto timor, inani ſuſpicio apud prudentiſſimum & clementiſſimũ Regem, præſertim quod & ætas me tunc forſan, ac prona in malum ſuum adoleſcentia, neq; ſatis proprijs ſubſiſtens conſilijs animus decepit. Credidimus patruo, multa etiam ignari credidimus, atq; allecti (qui proprius eſt eius ætatis morbus) regnandi libidine, uobis relictis nimio plus creduli fidem illius ſumus ſecuti. Cognouimus paulatim creſcente cum annis cõſilio, & patrui tacitam perfidiam, & defectionem illam meam à uobis iniquiorem ipſi mihi, quàm alij cuipiam fuiſſe. Recuperauit, auxit imperium Scanderbegus non ſine multo labore & opera noſtra. Expectauimus diu, ſi non auiti, & paterni iuris portionem, ſaltem ut mercedem aliquam ſudoris, & periculorum tantorum nobis daret. Ducta eſt non multo poſt uxor illi, quæſitus, & ſuſceptus nouus hæres, nouus imperij ſucceſſor. Nobis præ pudore quodã hominum, ne priuati omnino degeremus, aſſignatus uilis quidam Epiri angulus, ubi (illo cætera obtinente) infamem traheremus uitam. Vix poteram animo imperare, neq; unq; ſatis eam cõcoquere ignominiam. Coëgit tamen temporis ratio, & inſolens ingenium uiri cælare omnia, diſſimulareq;, ne ſuſpicionem aliquam cauſatus me circumueniret, ut nuper Georgio Streſio ſororis ſuæ filio fecit, quem confictis criminationibus inſimulatũ omni fermè imperio nudauit. Confugiſſem libẽter ad te,

Georgius Streſius ſororis Scanderbegi filius.

reliquiſſem

reliquiſſem ingratum Patruum cum infamis ſordibus imperij, ſed priſtinæ illius rebellionis, & tot iniuriarum memoria deterrebat, donec nunc tandem agentibus Diis, promiſſa, & fidem tuam ſecutus, lætiſſimus acceſſi. Vix innuiſti, uix inuitaſti quod iamdiu ad idipſum intentus, effuſiſſimo curſu aduolaui. Non tardaui, non expectaui, uel aduerſas Scanderbegi res, uel tuas ſecundas, ueluti nuper Moſes, ut præ timore aliquo, uel uicinitate periculi mihi ipſi potius conſulere, q; uoluntatem tuam amplexari merito uideri poſſim. Cæterum neq; uel ſuſpitioni apud te locum ullum, uel reuertendi cauſam reliquimus in Epiro. Adſunt ſatis ualida animi noſtri uincula, & perpetuæ pignora fidei. En noſtrum habes Mahumetes, quicquid charum, iucundumq; hominibus natura in uniuerſa uita dare potuit. Hæc ad te attulimus, quæ aufferri debuerunt ab hoſte, & quibus dubia aliquantiſper fides obſtringenda fuit. Reliquum nihil aduentum, neq; enim in ea celeritate rei, & tam occulta fuga, ſarcinularũ ratio ulla haberi potuit à nobis, & ſi colligere omnia per ſecurum ocium licuiſſet. Turpe tamen neſcio quid putaſſemus ullas ueteris fortunæ ſordes ad te præſertim tam opulentiſſimum regem deferre. Fides tantũ præſtanda tibi eſt, maius aliud quippiam certe non poſſumus. Et ſi certius aliquod cupis uinculum à nobis, nihil recuſo quod ſtatuas, quod decernas ipſe: non enim leges huc daturi uenimus, ſed accepturi, non debellare cũ patruo, & Epiroticam frangere inſolentiam quindecim hominũ milibus pollicemur, Documento eſt tum Alybaſſę tũ cæterorum fortuna, & Sebaliç nuper rara, neq; incruenta uictoria. In nobis certe diligentem, & fidelem operam non deſiderabis. De cęteris quę ad euentum huius rei, & ultionem tuarum iniuriarum attinent, neq; principes à ſeruo, neq; ſolertiſſimus belli artifex ab imperito homine conſiliũ expectes.

Non potuit ſimulata Ameſę oratio uideri Ottomano, quum & uera multa dicerentur, & re ipſa dictorũ fides diluceret, adducta in conſpectu Tyranni cũ ignaris filijs uxore. Quidam deceptam eam dicunt à marito, & inuitam tractam ex Epiro, quidã uoluntariam ſe comitẽ fugienti addixiſſe, quũ promiſſum ſibi Epiroticũ imperiũ à Tyranno, clam aperuiſſet. Ita cõmunis eſt utriuſq; ſexus regnandi libido. Quare accepta, & lauda ta hominis uoluntate Barbarus primũ omniũ honorifica illi alimenta decreuit. De belli ratione nihil tum reſpõſum donec adhibitis purpuratis ea res de more decerneretur, nam recens Belgradenſis ruina multũ fregerat & animos, & uires hominũ. Mahumetis quoq; ex nulla unq; clade par mœſtitia uiſa, quum & ultionis cupiditate dies, noctesq; inſolens ſpiritus uexaretur, & ſemel male tentatã fortunam anxius timeret, Facile itaq; omnium ſententijs ab Hungaricis rebus ſuperſeſſum, & eius ignominiç ultionem ex Epiro quęrendam decretũ, nam neq; ſimul utriuſq; belli ratio haberi poterat, quum & hinc inſigni exercitu opus eſſe Ameſa diceret, & inde Hungaricæ uires, ac experta totiens populoũ ferotia ingentes exigeret apparatus, neq; differenda occaſio ab Ameſa data uide

Communis regnandi libido utriuſq; ſexus.

batur. Eo ipſo igitur omnium fermè conſiliorum ſocio, ac moderatore adhibito, latum & propalatum edictum de quinquaginta equitum millibus cogendis. Non negaſſet etiam plures Ottomanus ſi petiti fuiſſent, cupiens aliquando uel ulciſci tot ſuas, & ſuorum iniurias, uel Epiroticis rebus aliquem finem imponere. In eo apparatu uer abijt, & iam æſtiui calores militum corpora laxaturi properabant. Quū paratis omnibus Tyrannus & Ameſa aſſidue inſtante, multis allectos promiſſis homines, & conſilijs inſtructos à ſe dimiſit. Baſſæ nouæ Romæ, cui Iſaac nomē erat, præcipua exercitus cura, ac ſumma rei demandata nihil moleſte ferente Ameſa. Huic tamen ne ſine aliqua dignitate & imperio iret, quinq; hominum millia ex eo numero aſſignata. Non ſine moleſtia quadam, & trepidatione noſtrorum præſertim præſidij Dibrenſis fama eius apparatus fuit, multis q; militaribus (ut fit) conſilijs uerſata res. Qua ratione uel expectandus, uel coërcendus tantus hoſtis eſſet? An inſidijs, an collatis ſignis? An per ludificationē aliquam eius belli euentus quærendus foret? Augebat & illud magis timorem, quod & rumorē inde magis quotidie increbeſcere, & hinc à ſuis nō exercitum adhuc, non auxilij quippiam ad tam fatiſcens malum, ac proximum quaſi periculum apparari uidebant. Scanderbegum nanq; non ſatis primo ea fama mouit, illa potiſſimum ratione, quod nunq; conuerſo in Epirum odio Hungaricam ignominiam omiſſurum credidit Mahumetem, tñ ſolicitus exploratoribus immiſſis ueritatem, quam in eo rerū tumultu poterat elicere ad noua conſilia mutanda diligentiſſime procurabat. Vbi uero multis modis, aduentu præſertim transfugarum affirmata, ac propalata res, & de numero, & qualitate uenientium nunciatum illudq; imprimis Ameſam cū eo exercitu eſſe, & commendatum honorifice à Tyranno Iſaac Baſſæ, ut cū Epirotici imperij faſcibus inſigniret, nihil moratus amplius egregium hincinde militem uelut dato ſigno aduocauit. Accerſiti ſunt eo ipſo ex omnibus locis purpurati armatorum ſocij, optimates, Dibrenſes quidam & adiutores conſiliorum. Conuenere omnes in Dibra inferiore in ſolitis caſtris. Ibi quoq; Moſes cū quibuſdā optimatibus & nobilioribus præſidij affuit, ut decretum eius rei audiret. Accurrebant & alij pleriq; uoluntarij, atq; iuuentus armata ex omnibus locis ſolo prædę (ut aſſolet) ſtudio, atq; ſic confectus extemplo eſt non ignobilis exercitus, par fortaſſe hoſtili, ſi uirtutem, impar ſi numerum ſpectes. Iamq; audax uulgus, & inania militū deſideria deuicto hoſte inter ſe laudem ſimul, ac prędam diuidebant, atq; palam quiſq; uirtutem & fidem ſuam extollere, pollicerī, dolere nimis tardare hoſtem, dicereq; mouenda ſigna, & aduentum illorum acriter præueniendum. Non militum numerus, & fama uenientium, nō formidandum Baſſæ nomen deterrebat. Exciderat Sebalias, euanuerant uix adhuc coalitæ cicatrices uiris. Ira aut recens nuper de Moſe uictoria, aut (quod magis crediderim) illorum apud Belgradum Hungaricū nunq; reticenda clades, ac ignominia hominū animos erexerat, alterumq; Belgradum alterum

Edictū de cogēdis quinquaginta equitum millibus.

Baſſa Iſaac ſupremus Capitaneus exercitus Turcicī.

Comitia Scanderbegi, & purpuratorū, in Dibra inferiore.

alterum oblitterauerat. Pendere tamen omnes ab ore, & conſilio Ducis, qui cohibendum omnino ratus ardorem illum ſuorum defixis aliquantulum humi oculis, & pleraq; uultu ipſo ſimulans, uelut altum quippiam moliretur animo conſilium ſimul & uires ipſe ſuas, & periculi magnitudinem ante oculos hominum in hanc ſententiam propoſuit.

Inter cætera omnia, quæ ad uexandos, & angendos mortaliū animos in tanta rerum humanarum uarietate reliquere Dij, duo hęc maxima cernimus milites, ſpem, & timorem, lætius illud, ac excelſioris cuiuſdam, ne dicam leuioris ingenij. Prudentius hoc, & incruentius, quod & ſi protrahere aliquantiſper deſideria hominum, curare tamen demum, & condire pulcherrime ſolet. Hinc audire licet ueteres imperatores magis uincere ſe conſueſſe omnia timentes, q; qui nihil timerent. Hinc Pœnus ille Quintum Fabium ſegnem ſuis, & nimio plus timidum uiſum grauem ſibi hoſtem, Terentium Varronem grauiorem patriæ, & populo Romano appellabat. Sed quorſum tam inſolenter, & tam ſordide timorē nuncupauimus, quod propriore conſilij nomine appellare debueramus? At quoquo modo uocitetis ipſi, haud in magno diſcrimine pono. Vnum illud negare nemo poterit, inde ueteres diſciplinas, inde antiquum militiæ rigorem emanaſſe. Hoc ſpem quoq; ipſam fouet, alitq;, nihil perperam agit, à fronte, à tergo, à lateribus gerit oculos, & pari lance futura, ac præſentia metitur. Iam ſatis intelligere poteſtis, quo tendat tam caſtigata & tam appoſita oratio noſtra. Volui prius colloqui uobiſcum, & diſquirere uoluntatem ſingulorum, q; aliquid de belli huius ratione innouarem, Vt aut ipſe in ueſtram, aut uos in meam (quæ ſemper omnium patientia fuit) ſententiam iretis. Auditis, auditis iam auribus ueſtris, qui rerū, qui bellorū motus parentur in nos quotidie. Pulſat en fores Baſſa nouę Romæ cum omni Europæ flore, & robore Ottomani imperij. Non deeſt animus mihi (ut neq; unq; defuit) fortunam omnem cum eo, neq; inglorijs uobis experiri. Sed prudentia magis, conſilioq; aduerſus tantum hoſtem utendum, q; ſolito impetu, & ardore animorū ſatius duco. Suadet memorabilis illa Alybaſſę clades, ſuadent tot inſignes ad hunc uſq; diem uictoriarum cumuli, tot rebus ſecundis parta, & confirmata audacia, pares ad uim apertam, & animos, & uires adeſſe nobis. Sed inſtabiles bellorum uices, & nunq; ſatis cognitum ingenium fortunæ omnia hæc prudentes uiros cum obliuiſci, tum etiam timere facit. Nulli peculiare, nulli hæreditarium fuit ſemper uincere, ſemper ad noua conſilia, noua ratione eſt opus. Neq; quod uiceris heri, ideo captiua ſpolia hodie ſpōdeas tibi. Hoſpes eſt uictoria, huc & illuc uergit, nullum propriū domicilium habens. Licet uirtute, conſilioq; maxime & paretur, & retineatur, plerunq; tamen ubi diligenter omnia, prudenterq; egeris, multum adhuc momenti fortuna, multū caſus quidā ſibi uendicare ſolent. Exigebam (memini) uirtutem ſolam in militibus ſpreta omni extranea cauſa, & cuncta fortunæ obſequia, ſi uos feroces animos promiſiſſetis, uobis conſtantiſſime

Oratio Scanderbegi ad cōgregatū exercitum.

Ab exēplo ueterum Imp.

Fortunæ ingenium nunquā ſatis cognitum

Hoſpes eſt uictoria.

omnia pollicebar. Sed clades illa noſtra Belgradenſis cuius memoriã ſem per horret, et horrebit animus, multũ cogitatus meos mutauit, et aliũ lon ge æſtimatorem rerum humanarum, ac uarietatis fortunæ fecit. Quid ſi aut longior ille dies, aut magis animi Sebaliæ fuiſſet, an nõ funditus euer ti res Epirotica potuit? Saluati ſumus magis à ſuperis, q̃ nos ipſi noſmet tunc ſaluauimus. Diſſipati, uulnerati, feſſi, famæ etiam, & ſiti nouiſſima confecti eramus. Quid ſupererat aliud, niſi ut ſegnes victori uinciendas dexteras traderemus? Tutata eſt nox, tutatus in primis deus, qui & men tem illis, ac uires abſtulit, & nobis copiã ad effugium, ac reſpirandũ con ceſſit. Opportuna iniuriarum erat multis locis prouincia, ac paſſim ſpar ſi agreſtes ignari fortunæ noſtræ. Expectabat fermè præda victorem, ni hil abſtulit, nihil abduxit, nimio plus parti decoris ſtudioſus, & timens forſitan eos, à quibus maxime timebatur. Non refero idcirco hæc, ut quempiam ueſtrum deterream, ſed admoneam potius, & conſultem uo biſcum, quomodo ſint nobis tanti conatus uel eludendi, uel conterendi, quomodo quærenda inſignis aliqua ſine precio ſanguinis, & rerum ue ſtrarũ victoria. Hoſtiũ ingens eſt numerus, atq̃ nunc̃p̃ ad hunc uſq̃ diẽ, niſi urbium oppugnatio ſit quæſita, maior uiſus nobis in Epiro. Si fixis ſignis apertis iñ campis expectetur, dubius eſt euentus belli. Age age fœ liciter nobis, & ex uoto res cedat. Cadetis profecto, cadetis multi (utinã falſus ſim uates) priuſq̃ uel terga, uel inermes dexteras, & ſupremam uo bis confeſſionem tantus exercitus tradat. Mixta cum lachrymis victoria, & non multum diſpar victoris, ac victi mœſtitia erit. An pauci apud Bel gradum cecidimus? Itáne ea iactura reſarcienda? Quanta ibi militaris ætas uix multis recuperanda annis? quot fortiſſimorum uirorũ corpo ra cæſa? Euacuetur cito Epirus, ſi tam audaci propoſito glorioſas ſolum victorias quæramus neceſſe eſt? Belligerandum igitur ita eſt nobis ho die, ut cras etiam belligerare poſſimus. Neq̃ par eſt hac in re noſtri & ho ſtium ratio, minor eſt iactura Tyranno, minus æſtimantur cæſa quadra ginta & quinquaginta millia, q̃ mihi centum ex uobis. Pauci ſumus, id circo maximo ſtudio ſeruandi. Et ſi cauſa noſtra id nõ facere curaremus, uxorum ſaltem & liberorum faciamus, quorum ſalus & libertas omnis à ſolo ſpiritu ueſtro pendet. Noſco numerum, noſco uultus ueſtros, & no mina ſingulorum. Hoc quoq̃ magis ſtudioſum facit, maxis anxium ſa lutis ueſtræ, non tamen negarem ipſe fortunam omnẽ huius certaminis apertiſſime ſubeundam, ſi depugnare cum Ottomanis hoc ſolo prælio poſſemus. Si finem aliquem laborum in poſterum, & erumnarum ſpera remus, exponerem libenter caput ipſe meum cum corporibus ueſtris ad perpetuam quietem, & pacem poſteris parandam. Sed nouus ſemper ho ſtis exoritur, noua ſemper bella nos manent. Iſaac exitũ, alter ſubito Iſaac excipiet, fatigabimur ſemper recentibus armis, circũdabimur recentibus periculis. Ad hoc deſtinata eſt (ut uidere uideor mihi) Epirus, ad hoc na tæ ceruices, & capita noſtra. Colligẽdi itaq̃ cogitatus, diſpenſandę uires,

Iactura apud Belgradum.

partiendum

partiendum ita patrimoniũ, ut quotidie emergentibus creditoribus ſol uendo eſſe poſſimus. Dabit tamen Deus his quoq̃ finẽ, neq̃ bona, neq̃ mala diuturna homini eſſe poſſunt. Reſpirabitis aliq̃n & ipſi, exaturabi tur hoſtis tot uanis conatibus, atq̃ deponet tandẽ perpetua odia iſta, iu uabitq̃ olim uos tot laborũ, tot periculorũ memoria. Nunc (quod ad rem attinet) reliquã ſententiã meã ſequor. Dixi uictorię incommoda, da mnaq̃. Quid ſi uincimur? Vbi reliqua præſidij ſpes? ubi auxilij erit mo dus? An cruentus hoſtis, & uictoria tumens expectabit, donec uires in ſtauremus, & noua illi occurramus acie? Inſtabit, urgebit, donec quippi am ſupererit reliquiarũ, & nobis expugnatis in oppida demũ noſtra, & patentẽ iniurię prouinciã reliquũ furoris ſui profundet. Inſidijs excipien dum aduentũ illorũ, nõ aperto Marte quiſpiam ueſtrum forſan dicet, no ſtra quoq̃ nõ diſpar omnino ſententia eſt. De tempore tñ diſſentio à uo bis, fallendos tunc puto, quũ falli ſe nõ crederit, quũ in poſſeſſiõe quadã uictorię laſciuientibus præ licentia animis, fraudẽ nullam metuent. Nunc tot alienis documẽtis, tot ſuis exemplis inſtructi hac aſſidua ſuſpicione, et intentis iampridẽ oculis ex Conſtantinopoli ueniunt. Habẽt præterea ſe cum ſceleratũ nepotem, et domeſticã peſtẽ noſtrã, qui quas nobiſcũ olim ſtruxit inſidias, præuidere, & cauere peropportune docebit. Euadendum igitur eſt in arcem ingentis alicuius ac ſupremi conſilij. Qualiter & extra periculũ prouinciã ſeruemus, & inſigni aliqua, ſimul ac incruenta (quod raro contingit) uictoria ueterem gloriam, & tantã ad hunc uſq̃ diẽ famã tot rerũ geſtarũ retineamus, ampliemus q̃. Dabit tñ tempus dieſq̃, ac ui ſus oculis hoſtis conſiliũ hoc. Nunc (ut peruenĭat tandẽ quo noſtra ten dit oratio) primũ omniũ tollenda eſt omnis materia ſæuitiæ ac uictoriæ hoſti, reducenda omnis ętas ſexus q̃ ex campis in loca tuta. Præſidijs etiã cõmeatuq̃, ad omnẽ uariationẽ fortunę munienda oppida. Quis ſcit præ terea occulta Tyrãni cõſilia? An ipſe quoq̃ iampridẽ huiuſce ultionis, & Epirotici ſanguinis auidus Baſſę iter ſequatur? Credo fortaſſe, & timeo plura, q̃p̃ par eſt. Bonum eſt timere omnia, ut nihil timeamus. Si hoc mo do prouincia curabitur à nobis, ſi nihil erit in campis, in oppidis quod di tet, alat, quod formidet hoſtẽ, quod curã, & animos noſtros ab huiuſce contemplatione rei auocet, uictores proculdubio erimus, & per ſecurum poſthac ociũ, ſi ad uoluntatẽ meã cõſilia & arma ueſtra accõmodabitis, cę dendũ uobis hoſtẽ in mœnibus tradã, & formidabilius, iuuantibus dijs, hodie Turcarũ genti nomẽ, atq̃ ingeniũ Epiroticũ efficiã, q̃p̃ ulla forſan auorũ noſtrorũ memoria ſit auditum. Non fallo ipſe me, nõ fallo uos. Si polliceri quippiã poteſt in rebus humanis, iſthęc polliceor, & in me reci pio. Melius tñ fieri hæc, q̃p̃ dici uolo. Interim ne tempus cupiditate iſta lo quendi, & inanibus fabulis conteramus; qua nulla maior iactura militi. Singuli ſingula, muniendę prouinciæ, ac hoſtis expectandi munia capia mus, nihil impero ipſe alijs, quod mihi ipſi nõ imperem. Nihil recuſo, uel ſordidum duco, quod è dignitate & utilitate omnium cenſeatur futurũ.

Quãdo fallendus hoſtis.

Occulta tyranni conſilia.

Bonum eſt timere omnia, ut nihil timeamus.

Procurata per uniuersam prouinciam.

Hanc orationem maximo omniũ silentio, atq; attentione peroratam Tanusius & Vranacontes iampridem intenti assurgentes summis publice laudibus excepere, ita rerum singularum exactissimam rationem habitam à Scanderbego dicentes, ita diuinum hominis ingenium, prudentiamq; omnia exhausisse, ut neq; cogitadi, neq; tentandi quippiam, quod ad publicũ uel priuatum cõmodum spectaret, locus alicui esset relictus. Vulgi quoq; ardor omnis resedit, & ab audacia animi ad cautum quendam timorẽ traducti. Poscere nonnulli palam, & obsecrare ducẽ, ut consilia sua aperiret, qua ratione debellare cũ eo hoste statuisset. Contra subridere ille, dicereq; sat sibi esse si ei crederent, se una cum eis in eadem causa esse, neq; ualere sponsionem suam ullam in tanto fortunæ iure, atq; potestate. Interim partita prouincia, diuisisq; ministeriis purpurati, decernẽte Scanderbego, hac illac maximo studio atq; celeritate discurrunt. Nunc præsidia tradita sibi disponentes per oppida, nunc conuehentes cõmeatum, & alimenta uiris. Ea res causa morę cuiusdam fuit, quod nondũ totum frumentum demessum in campis erat. Igitur ingruente indiem fama de hostium aduentu, quum res pręcipiti quadam festinatione indigerẽt, agrestes promiscue, milites q; ad id negociũ transmissi, partim demessum & expurgatum, partim cũ aristis & palea ipsa conduxere omne intra munirorum munimenta. Ita prouisum ubiq; commodissime, & de propugnatoribus, & de multorum mensium annona. Scanderbegus Mose ad custodiam reliqui exercitus relicto triduum amplius Croię in rerum diuersarum procuratione consumpsit, præsertim in reducenda à Petralba uxore, familiaq;. Inde Dibrã reuersus, erectis (ut aiunt) auribus, curaq; pernigili hostium aduentum expectare dies, noctesq; cepit. Cæterum superata maxima parte Macedoniæ, iam Epirum hostilis intrabat exercitus, præeuntibus undiq; exploratoribus, ac scrutantibus singula, ne insidijs solitis apparatis ab hoste incautus miles circumueniretur, ac turbaretur exercitus. Quin audio hac consilij ratione Amesam semper ferè nocturnum iter prohibuisse, dicentem patruum nunq; uel luce, uel ui aperta tantum hostem expectaturum, sed noctis simul, fraudisq; auxilio assuetũ belligenus tentaturũ. Scanderbegus licet parasset iampridem omnia (si ex re sibi uideretur) ad fugam, tamen pedem non mouit inde, priusq; satis propinquum hostem audisset, & strepitum quasi ac puluerẽ notasset uenientium. Tunc conuersis signis, omnibusq; collectis, cessit hosti, ita ut conspici quasi terga cedentium à sequentibus possent. Abstinuit ab insequendo Barbarus propter difficultatem ac laborem uiæ, & insidiarũ metum, tamen missi nonnulli equites, qui & illos infestarent, & quantum fieri posset, illorũ iter obseruarent. Ingressus itaq; Dibram superiorẽ exercitus per uiam Alchriæ perlustrare adhuc eodem tenore cuncta, ac longa indagine perscrutari curauit. Vbi tuta omnia, & sine aduersario inuenta, ingenti festiuitate circumlata sunt hincinde signa, & inani insultatione uacua defensore loca possessa. Sed quantũ incruentę id uictoriq; genus lętis animis

De annona multorũ mensium.

Exercitus Turcicus.

Scanderbegus cedit hosti.

animis tumidus miles accepit, tantum cupidus indoluit, nulla præda in campis, nulla re ad exaturandam libidinem, auariciam q; reperta. Quinta erat hora diei, quare tum ut equites suos Scanderbegum sequutos expectarent, & ab illis iter eius noscerent, tum ut suas reficerent uires, longis simul laboribus & caloribus defectas leniter mouentes agmen non procul ab Oronicheo (loci id est nomen) in eadem Dibra consedere prope locum, qui castrorum aliás nostrorum esse consueuit, ibiq; erectis tentorijs consultabundi quod per reditum exploratorum licuit, temporis transegere, cibi capiendi, & curandorum corporum haud multa uiris cura incessit: nam in ortu ipso auroræ eius rei ratio egregie habita fuerat, & pransi omnes commodissime fuerant, consilio Imperatoris uerentis, ne si decertandum cũ hoste eo mane esset differens in longum (ut fieri interdum solet) contentionem fortuna belli cum fame etiam fessis decertandũ esset. Iuuat interim curiosos militum animos inuisere loca castrorum, & assuetas hostium stationes, atq; hincinde perequitare, sed non sine metu aliquo, & periculi respectu, nusq; arma deponentibus uiris, nusq; custodias omittentibus, ac maior fermè pars militum circa tentoria disposita in equis stetit. Ita duæ paulo minus horę in pari quiete & suspicione abiere, donec explorator reuersus, quæ uiderat, ducibus aperuit, Scanderbegum maritimam oram à regione, qua Lyssum oppidum iacet, cũ omnibus copijs petiuisse. De copiarum numero interrogati dixere, æstimare se uix unam militum legionem adimplere. Tamen noster exercitus undecim (ut audio) hominum millia excessit, sex equitum, reliqui pedites erant. Sed inde (ut arbitror) processit error, quod nostri quum essent in Dibris, peditatum omnem cum impedimentis leni incessu præmisere, uerentes, ne si expectaretur in propinquo hostis, & ad celeriorem pręmeret fugam, ad expeditum citumq; usq; ad tuta iter non sufficerent. Postea eques paulatim (ut dictũ est) in ipso quasi conspectu hostium est secutus, ideo prima peditum agmina à spectatoribus (ut par est) non fuere uisa. Quæret quispiam hic studiosus rerum, quæ ratio, quæ utilitas propositi huius Castrioti fuerit, ut tum demũ hosti cesserit, quũ illum quasi afflantem sibi terga uidisset, & magis Lyssum uersus, quàm alia loca, sed quo genere rationis satis mihi facio, ipse non uerebor alienis quoq; auribus pro uirili satisfacere, pręsertim quod nec diuersa in hoc sententia illorum est, quorum maxime diligentiam & fidem in totius contextu operis probauimus, & libenter sumus secuti. Et ipsi quoq; effectus rerum si diligenter ad inuicem conferantur, istuc ipsum haud dubie ostendere possunt. Castrioti primum stratagema in expectando tam propè hoste fuisse, simulantis congrediendi animo se expectasse, sed multitudine uisa, & præsenti magnitudine periculi perterritum tum demum cogitasse de fuga, ut animi simul & licentiæ aliquid inijceret Barbaris, interpretatus eius est timor, quod sine suspicione ingenti fieri haud quaquam potuisset, si plus spacij inter fugam horum, & illorum aduentum intercessisset.

Oronicheũ, locus in Dibra.

Quæstio de Scanderbegi cessione.

Stratagema Castrioti.

Lyssum

Lyſſum uerò uerſus potius quàm alio inclinata fuga, tum quod pauorẽ ſimulantibus hominibus tanc̃ aptior ea uia, quia tutior erat, electa uideretur, ne ſi inter aſſuetos ſaltus, & cõfragoſa montium aufugiſſet, & metum ſuum minorem indicaret, & latentium ſuſpicionem inſidiarum inijceret hoſti. Tum illo fortaſſe eleganti propoſito (quod effectus poſtea non inefficax teſtis expectato ſucceſſu propalauit) ut credulum, ac ignarum hoſtem eo pacto deciperet, adoriretuŕc̃ ab ea parte, quam nec̃ fugæ ueſtigia, nec̃ ratio ipſa locorum ſpectatam ullatenus faciebat. Non enim uel ab inani, uel imprudenti ratione tam prudentiſſimorũ ducum conſilia illa inita fateri licet. Ameſa quoc̃ non diſſimilis omnino interpres eius rei fuiſſe dicitur: nam quum Baſſa fluctuatus aliquantũ animo ex inſueta, atc̃ tam pertinaci fuga uiri, mentem illius ſciſcitaretur. Moſis, inquit, copias expectabat patruus, ideo ſolito & tumultuario agmine collecto, ueterem uincendi ſpem eouſc̃ aluit, donec inani opinione fruſtratus, & uiſis tam crebris ac ingentibus ſignis, coactus demum eſt uerã ad fugam, nec̃ tutam ſibi moram ullam ad reſiſtendum nobis in prouincia ſua cognoſcens, Lyſſum ad petenda à uicinis atc̃ Venetis auxilia confugit. Probabilis maxime ratio accepta, nec̃ alia ullius ſententia fuit. Licet altius deſcendentibus ingenijs, atc̃ cõſilijs (ut par erat) collectis, prꝛceps ſaltem ſi non uana Ameſę interpretatio uideri potuerit, nam nõ eam pau citatem hominum, qualis cum Moſe uenerat, à Scanderbego creditam, nec̃ non cognitam, atc̃ formidatam eam uim periculi illud ſummopere augebat, quod procurata omnia per Dibras, ſicut in regio aduentu conſueuere apparebant. Non precioſi quippiam, non ullum animantis genus relictum in campis, ſatis apertũ præcipui cuiuſdam timoris, atc̃ elaborati conſilij indicium. Niſi fortuna, fatac̃, ubi ſemel funeſtum aliquid miſeris mortalibus deſtinauere, mentẽ quoc̃ ac ſenſum, quaſi ipſum corporis robur & columen adimerent. Suberat oculis ipſis tam promptum hoſtilium conſiliorum documentũ, nec̃ cernebatur, niſi fortaſſe in ipſo ſtatim apparatu fugæ. Procuratum de hoc quoc̃ agreſtium, & prouincialium ſtatu in Dibris putauit Barbarus. Sed agedum, quãdo in Aemathiam ſuperato Tumeniſto monte deſcẽdentes, ac Croienſes fermè campos præterlati, parem ubic̃ rationem prouiſionis inuenere, cur ab ea credulitate non diſceſſum eſt? In uiri præterea fama, nonne multũ momenti ponendum fuit? ut nunc̃ tam ſupinũ crederent Scanderbegũ, quod eum apparatum, & magnitudinem copiarum non ſenſerit. Nolo tamen diutius hanc hominum credulitatem accuſare, quæ tam inſignis uictorię nobis, & perpetuæ materiam gloriæ tribuit. Regius itac̃ ubi per fugam noſtrorum negatam ſibi eo die bellicam laudem omnem cognouit, collectis optimatibus, ac principibus exercitus, poſt cibum laute captum, ad conſilia non ſatis opportuno tempore delabitur. Illud unum multis ſententijs uerſatum, an eo die mouenda inde caſtra eſſent, & hoſtis quibus locis, quibus rationibus perſequendus, expectaturus, an ibi quod de illo certiora

Sententia Ameſæ de Scanderbego uana.

Conſilium de mouendis caſtris.

certiora ſcirent, eſt morandum. Ameſa, & pauci nihil innouandum, ſed diem, ſequentem ibi expectandum dixere. Tamen maior pars meliorem uicit, & illorũ prævaluit ſententia, qui affirmantes ad eos apparatus quęrendi ſubſidij, & reditum Scanderbegi quatriduum uix ſufficere. Tempore interim atc̃ occaſione utendum dicebant. Progrediendum in deuaſtanda, & depopulanda reliqua prouincia, nec̃ expectandum, donec omnis colonus, & multitudo agreſtis ea fama territa fugiens in loca tuta, nudam tantum tellurem, inanesc̃ caſas, ac uacua ouilia tarde progreſſus militibus relinquat. Signum itac̃ datum à duce, ut exercitus omnis illico in procinctu eſſet ad ſe ſequẽdum, propalatac̃ ea ſententia eſt in uulgus, atc̃ aperta ratio nouorum conſiliorum. Paruit impiger miles eo nuncio ſupra modum erectus, & clamore (quo cętera ſolet) eam rem maxime approbauit, extulitc̃. Proinde dicto citius tentorijs, ac uaſis collectis, ſtetit parata acies, atc̃ omnia ad manum fuere. Ameſa quoc̃ ipſe uultu ad omnia hilari libenter paſſus eſt in eam ſententiam ſe trahi, non negans & ille tutos ſe ea die, & ſequenti etiam fortaſſe à Scanderbegi incurſu fore, tamen ſibi in rebus bellicis timidiora, cautioracꝰ cõſilia ſemper placuiſſe, ita in minimo errore multum eſſe momenti. Ideoc̃ monere Baſſam, ut maximo ordine, prudentiac̃ in ea re ageret, ne propter immodicam libi dinem militarem ſordida præda ſibi & ſuis etiam luctuoſa efficiatur, horum nihil omiſſum. Partita igitur egregie agmina, ac graui edicto diſpoſita, ne quis ordinem & aſſignatum locum inconſulto Imperatore mutaret, etiam ſi omnis Epirotica gaza ante pedes obijceretur, quum tempus fuerit permiſſurum ſe libenter quæ illis uſui forent pollicitus & prædę & cęterarum rerum hoſtilium ſat uberem copiam, nihil tunc negatum à milite, donec oculis ſubiecta, quæ prohibebãtur, aſpectu ipſo auidas manus inuitaſſent. Priuſc̃ tamẽ mouerentur ſigna, atc̃ incedere cepiſſent agmina, Baſſa Deos precatus, ut ſe Epiroticæ inſolentiæ domitorem facerent, atc̃ Scanderbegi tot annorum triumphos, & faſces uictoriarum ſibi donarent accitum ad ſe Ameſam agentem curam ſuorum, laudatumc̃ publice multo decore uerborum ſalutari (ut fit) militari uoce in Epiroticũ regem fecit, Scanderbegi omnia longa, ſed inani deteſtatione inſectatus. Accepit omẽ nepos. Quare promptior ad omnia, lætiorc̃ obire diligentius ſingula, & ambire uerbis factisc̃ impenſius fauorem popularem cepit. Inter hęc agenda mota ſunt ſigna, exploratoribus tamen longe latec̃ præmiſſis, & impedimentis partim præcedentibus, partim ſequentibus. Petita eſt primũ (Ameſa ducente) ea regio Epiri, quę ab Oriente Croiam reſpicit, & lxxx. millia paſſuum ab ea diſtat, quod quũ magis deſerta eſſet uiris, cultior, & aptior ad prædam uidebatur. Præterea paulatim appropinquantibus copijs ad muros non deerat animus, ſi occaſio daretur, urbe quoc̃ potiundi. Deſinentibus tamen immodicis caloribus perexigum itineris eo die emenſum, nullo etiã tam parui laboris præmio in campis inuento, ſic deſerta omnia, ac uaſta ubic̃ apparebat ſolitudo. Augebat ea

In rebus bellicis timidiora et cautiora cõſilia probãtur.

Ameſa fit rex Epiroticus per Baſſam.

bat ea res magis timorem,ac ſuſpicionem Barbaro,& plus exinde Scanderbegi ingenium,atq; inſidiæ timebantur. Moleſtum præterea id erat cupido laudis homini,quod ſi ille uel abſentia, uel aſſiduis ludificationibus copiam ſui non feciſſet,reuertendum ſibi inglorio omnino Conſtantinopolim eſſet. Nam neq; prædę materia ulla,quæ in parte uictoriæ cõputari conſueuit,neq; modus aderat ſine operibus per oppugnationem urbium laudis ullius quærendæ,Deuaſtatio uero ſegetum,arborum inciſiones,& uillarum incendia,atq; cętera id genus in ultimo odio differri conſueuere,quum furorem,ac rabiem uerius quandam, q̃ ultionis commodum ullum oſtendant. Præſertim quod alebat ſpes neſcio quæ homines debellandi cum Scanderbego poſſe, ſi manus conſeruiſſet,& totius prouincię extorquendę. Ideo forſan aliquantiſper ab ea ſæuitia deſitũ eſt. Contractis iam paulatim radijs uergente ad occaſum ſole ſuccedens tacite multis locis umbra feſſa itinere & calore,atq; perennibus exhauſta ſudoribus,militum corpora ceperat inſtaurare. Quum propter eam copiã reſpirandi accelerantes iter homines, & inferentes prõptius ſigna Baſſa ſiſtere iuſſit,ueritus progredi ulterius propter uicinitatem noctis, atque Ameſa prius cum nonnullis equitibus ad contemplandam commoditatem loci præmiſſo,collem quendam proximum,qui à ſiniſtro latere imminebat cum parte copiarum conſcendit ipſe. Pars in ualle ſuppoſita, & alijs,quibus tutius potuit locis,collocata eſt, cuſtodijs tam per patentes campos,q̃ uicinorum montium cacumina ſumma ratione diſpoſitis, ab ea prȩcipue parte,qua periculum à Lyſſo timebat. Ita nocte ibi tranſacta Aemathia craſtino itineri omnium ſententijs deſtinata. Interſerunt hic quidam captos nonnullos ex noſtris colonis,dum incauti ex ſaltibus uicinis deſcendentes,fuiſſent oppreſſi,metu mortis, atq; ſuppliciorum adactos,multa hoſtibus Caſtrioti conſilia aperuiſſe. Sunt enim quidã montes Epirotici adeò ſaltuoſi,atq; difficilis acceſſus, ut tutiorem ſe penè ibi, q̃ in munitiſſimis oppidis eſſe cõfidat habitator, neq; ulla ſatis hoſtium & periculi magnitudine ea loca deſerat. Addunt illud quoq;, teansfugas hac ipſa nocte iſſe ad Scanderbegum,interceptosq; à quibuſdam cuſtodijs noſtris exploratores, creditos in ea incertitudine noctis occiſos. Vnum caſum ſeruatum,miſſumq; ad Caſtriotum accingentem ſe craſtinis laboribus,multaq; ab eodem conſilia illum didiciſſe,& eius uictoriæ noſtrorum quæ mox ſequuta eſt,præcipuum hunc auctorem,& adiutorem fuiſſe,non difficile creditu id eſt. Nobis tamen ſine probatione aliqua ueri,uel impugnatione mendacij iſtuc ſic retuliſſe ſatis, præſertim q̃ res noſtræ iampridem in hoſtium aduentu ipſo relictæ me ad ſe ſolicite accerſunt & reuocant. Cæterũ Scanderbegi fuga illa Lyſſum uerſus non eiuſmodi fuit,ut credidit hoſtis. Sed ubi multis millibus paſſuum ex oculis illorum cuentus deuenit in loca quædam in limitibus ipſis fui imperij, unde multæ in prouinciam uiæ ad hoſtem ex improuiſo inuadendum patebãt,fixis ſignis caſtra per eum diem ibi metatus eſt. Et ipſe uſq;

Deuaſtatio ſegetum, incendium &c. rabies ueritus, quàm ultionis commodum.

Capti quidam conſilia Scanderbegi aperuerunt.

ad occaſum

ad occaſum fermè ſolis cum exercitu manſit, tunc demũ copijs ibi relictis cum paucis admodũ equitibus in montes quoſdam peruenit. Vnde nõ iniquus erat in Aemathiam proſpectus,atq; per iuga,& ſummitates (nõ aſpernatus ea,quæ à transfuga illo audiuerat) cuſtodias cum ſolitis faſciculis diſpoſuit,admonitos prius ut erectos illos tenerent,& qua parte cõ ſedentem uiderent hoſtem,ab eadem uelut in præceps eoſdem faſciculos darent. Hoc tantum diurnum ſignum ordinatum,de ignibus,cæteris q̃ cuſtodijs nocturnis nihil procuratum inuenio. Relicti tamen ad eam cuſtodiã ſunt milites ex toto fermè exercitu maxime inſignis & fidelis operæ,unaq; cum eis Peicus Emanuel, pari uir conſilio atq; audacia,nam totius rei momentum in ea cuſtodia erat. His ſic procuratis intempeſta nocte rediit in caſtra,& maiore eius parte ibi per quietẽ tranſacta, ſilenti admodum agmine ſuſtulit ſigna,atq; nõ diu oberrans in ualle quadam nõ procul à cuſtodijs,quas diximus,latuit,pedem inde nõ moturus, donec per faſciculorum indicia agendorum conſilia accepiſſet. Lux uix exorta, Baſſam cũ omni exercitu è caſtris eduxit cupientem ante meridianos calores interiora Aemathiæ penetrare,ubi reſiduorum aliquid ad prædam relictum,& minus timoris, ac negligentiæ magis audiebat. Itum igitur nuſq; interpellato itinere,& madentibus adhuc rore matutino herbis, celebres Romano quondã ſanguine campi,ac infamis tellus noui iam cruoris auida infœlici preſſa pede. Et ne ſine præſagio (ut aſſolet) aliquo tanta res tranſiret. Affirmant multi,ſigniferum maceria quadã diruta, offenſo equo (ut multa ſunt eius generis apud nos fines terminantia prędiorũ) humi præcipitem cum uexillo corruiſſe,ac exanimatum ferè ſublatũ manibus ſociorum impoſitum in equo. Rem tamen minime curatam ab hominibus,ſignũ tantummodo acceptũ, ut cautius cęteri irent,& uitarent eum locũ,id quod & nobis fortaſſe magis credere licet, q̃ uaniſſima eius caſus indicia in mera arbitrij libertate,ac tantis fidei Chriſtianæ documẽtis ſequi. Sed in alieno,neſcio qua ratione diſſentiam à cæteris, quod per eos dies uulturum,ac cęterarum id genus uolucrum, quæ ſordes cadauerum appetunt,tantã multitudinem in ea loca uelut præſagam futuri cruoris aduolaſſe narrant,ut operiri cœlũ uideretur. An & illud contemni debuit? quod hoc ipſo anno in exitu ueris ſanguine pluiſſe à multis qui uiderunt,propalatum obliti omiſeramus, quorũ neutrum hominis facto ullo proceſſit,neq; aliquid in prudentia,aut conſilio noſtro fuit momenti,ut præuideri,uel præcaueri poſſet. Fluunt multa ignaris mortalibus occultis quibuſdam rerum cauſis,& mala bonaq; agentibus aſtris nobis ſępenumero patent,ſed dum obſeruare piget,omnia caſum facimus,neq; prudentiæ miniſterio, & induſtria conſiliorum,uel propenſa numina in uitamus,uel minantis rabiem poli excludimus. Cur nanq; uel eos auium uolatus,uel cœleſtem ſanguinem,magis hoſtium, q̃ noſtrã cladem portendiſſe dicamus? niſi longis ducis conſilijs,ingenijq; dexteritate, & expugnata aſtra,& exorata à ſuperis tanta uictoria fuiſſet. Potuit (ni fallor)

Peicus Emanuel.

Signifer cum equo collapſus.

Sanguinem pluit.

Aſtra patent bona malaq; agentibus.

uulturum fames eludi: potuit ſolo ſanguine cœleſti exaturari tellus, ſi tra
hentia fata pertinax humanorum prudentia pectorum ad ſe traxiſſet. Si
enim nihil momenti eſt in nobis, nihil iuris habemus in his, quę agimus,
& neceſſarius ea indicia effectus ſequitur. Quid fruſtra monere & iube
re arma, ſi inanis omnis tutela noſtra eſt futura? Quid ſaltem adeouſq;
onerare genus humanum, & tam longas miſeris mortalibus uelut condi
cere lachrymas? aſpectatores mali ſui tantum non affuturi facere oculos.
Lætiores profecto abiremus alente ſpe animos uſq; ad ultimum uitæ ſpi
ritum, quæ mortem quoq; ipſam minus formidatam cõdiret. Licet illud
ſit in ore ferè omnium, præuiſa mala lenius offendere conſueſſe. Fatebi
mur fortaſſe in eo genere malorum, quæ præparare animos non demit
tere ſolent, ſed nulla quidẽ funeſtior cogitatio, cũq; quæ uitæ ac mortis tem
pus æqua ui lachrymarum, ac rabie doloris aſpergit. Veruntamen dum
Philoſophum neſcio quem ago, nimio plus fortaſſe hiſtoricum exui, ho
ſtium ingreſſum in ea loca ſtatim crepitus tormentorum ex caſtellis uici
nis excepit reuocantium quoſdam ex ſuis, qui pabulatum cum armentis
exiuerant. Nemo tardatus propius periculum expectauit, quin ſtudio fu
gæ qui longius progreſſi fuerant, incommoditate agendi gregis pauxil
lum prædę hoſti reliquere. Simul & faſciculi noſtri ex montibus excuſſi,
Scanderbegi ocium excuſſere. Qui optima ratione facile cõiectatus quó
tenderet Barbarus, cuſtodijs reuocatis, & iunctis ordinibus latenter per
ſecretas ualles, & montium receſſus mouens agmen ignarũ hoſtem à lon
ge eſt ſecutus. Et quum ſatis itineris emenſum uiſum eſt, ratione cuſtodia
rum ibi quoq; exactiſſime diſpoſita, iuxta collem quendam, quem Tu
meniſtiolum accolæ dicunt, uſq; ad occaſum ſolis cum omni ferè exerci
tu quieuit. Regius interim non primam ſolum partem diei, ſed integram
ferè eam lucem in quærenda præda, & excurſionibus aſſiduis cõſumpſit,
contemptu quodam, ac licentia paulatim inter homines orta, quum ni
hil uſquam obſtaculi appareret. Non latuit quippiam Scanderbegum,
ſed neq; cum ea paucitate ſuorũ per latam planiciem inſequi palantes, aut
cum aliquo diſcrimine pugnare decreuerat, & creſcere magis licentiam il
lorum uolebat. Eodem igitur tenore per totam noctem illos ſequutus à
caſtris eorum abſtinuit, cum propter incommoda locorũ, quod uix du
ci agmen in tenebris per eos inuios ſaltus poterat, tum quia animũ inten
diſſet ad conceptũ iampridem ſtratagema illud de tubicinibus, cornicini
buſq; (de quo ſuo loco dicemus) ad diuinũ ſe certamẽ ſeruabat. Tranſe
git itaq; id noctis Barbarus multa feſtiuitate, atq; militaribus iocis, Ame
ſa quoq; nihil recuſans, circumlatus per caſtra, manibus ſociorũ, atq; in
cõditis uulgi carminibus uelut iam totius dominium Epiri nactus eſſet,
nimium prępoſtere celebratus eſt. Non quod liberi iam forent à ſuſpitio
ne, timoreq; animi hominũ, ſed quia deſideriũ noſtrũ ſæpenumero fidẽ
quoq; ipſam ſecũ trahit, ut quũ ita uelimus, ita credamus, & triduana ea
ceſſatio uelut uictoria quędam inanẽ profecto licentiã mẽtibus iniecerat.

Iacula præuiſa minus feriunt.

Autor philoſophatur.

Ameſa celebratur rex Epiri.

Inde omnia

Inde omnia ad negligentiam proniora, & miniſteria cuſtodiarum ſegni
us procurata, ab ea tantũ parte uigiles diſpoſiti, qua hoſtium iter & redi
tus à Lyſſo timebatur. Ita nocte ſuperata, dies quoq; aduenies excurſio
nibus deſignatus. Sublata igitur cum luce ſigna, & quod ſupererat loco
rum ingenti impetu atq; inſultatione peragratum. Caſtra etiam mota cũ
omnibus impedimentis, & in planicie quadam inter Mathiam fluuium,
& aquas, quas Albulas accolæ appellant, translata non diſſimili ſerie cu
ſtodiarum Lyſſum uerſus ordinata, & ad radices Tumeniſti montis, qui
patentes campos ab Occidente ſpectabat, armati quidam cuſtodiam ha
bere iuſſi, cæteris rebus ſtationes egregie munitę, ac dimidium ferè rebus
exercitus ibi retentum. Nam Baſſam cum multis purpuratis in eis man
ſiſſe inuenio. Ameſam tamen ut peritum regionis copias ad deuaſtandã
prouinciam ductitaſſe. Procurſum igitur eodem tenore uſq; ad ſuffadas
maritimas, & littorales partes. Colonus obnoxia iniuriæ quædam reli
quit, pręſertim quod non ſatis credidit Scanderbegum tam diutinam eo
rum licentiam paſſurum. Potuit omnino tunc quoq; egregium aliquid
nauare Epirenſis, ſi impetũ in caſtra diuiſis ſic uiribus hoſtilibus feciſſet,
ſed non adhuc ita in propinquo ſurrepſerat, ut in procinctu ea aggreſſu
ra eſſet, & expediretur antequam reliquus populator reuocatus medios
intercluderet homines. Reditũ eſt in caſtra, reuocante fame, caloribusq;,
ac infamis præda inter milites diuiſa, quæ famem inuitaret magis, cũq; pel
leret. Subduxerat interim noſtri copias, ac inſidias oẽs, & ardentia ora,
gladijq; iam ſtringebantur in hoſtem. Caſtriotus uelut ſolicitus hoſpes,
quum prędlarum aliquod conuiuium, & lautiores ſolito epulas parat, nõ
familiarium, non ſeruorum, nõ fide manibus uxoris, & experto ingenio
fidens, omnia ipſe ordinat, omnia diſponit, diſquirit ſingula anxius, & in
omni parte menſę in cunctis cibarijs pallidus hęret, præſertim ſi propter
tenuiorem fortunam uiri parcior apparatus eſt, cũq; pro numero conuiua
rum. Ampliat quęq; docta artificis manus ad oculos ſaltem accumben
tium fallendos, ſi manus & dentes non poteſt. Sic pererrans ille per mon
tes & colles uicinos, nuſquã quieſcit, hinc Moſen, hinc Tanuſium, hinc
Streſios, cæteroſq; ſingulos ſingulis miniſterijs addicit, monet, inſtituit,
nullius tamen ſatis ingenio in tanto rerum molimine fretus, nunc præit,
nunc ſequitur uiros, ubiq; teſtes ſuos ipſe oculos, teſtes manus adhibet,
uerſat, reuoluit cuncta ſimul, & loca hominibus, & homines locis aſſi
gnans. Partitur ita ordines, uiresq; ſuorum, ne uiolet, ne exhauriat, for
midandum undiq; ignaro hoſti ſpectaculum parans, nam ſingulis agmi
nibus tubicines, cornicinesq;, ac cætera id genus bellica inſtrumenta,
quę numeroſiora ſolito apparauerat, ſumma ratione locauit. Peditem ue
ro, equitemq;, prout qualitas locorum patiebatur, & numerus copiarũ
diſpoſuit, nam maiorem exercitus partem, quatuor equitum, totidem pe
ditum millia ſibi ſeruauit. Atq; nihil moratus Tumeniſtum raptim con
ſcendens occupauit. Regij præſertim qui à populando feſſi redierant, ad

Mathia fluuius & Albula aqua.

De cæde Barbarorũ, & triumpho Caſtrioti Epirenſium.

Pulcherrimum ſimile de inſtitutore belli et conuiuij.

Tubicines cornicines, bellica inſtrumenta.

Scanderbeg Tumeniſtũ occupat.

quietem ſuam equorumq́ dilapſi ſe toto paſſim ſparſerant campo, equis nõ ſtratis, nõ infrenatis habitis, paucis etiam ad arma, & ordines relictis. Pars ſub umbra cruenta ueſcentes præda, pars ſumpto cibo ſomno etiam ſtrati, quidam luſibus uarijs, laſciuiaq́ militari uix ægra corpora ſuſtinebant: nam & anni, & diei intemperatiſſimum tempus erat, propter flagrantiſſimos Iulij calores, ac ſtationem ipſam ſolis, uix medium cœlum relinquentis. Quapropter & cæterarum cuſtodiarum non abſimilis ferè negligentia fuit. Ibi quoque ad ocium & corpora curanda uerſa multitudo, non armis, non equis ad manus habitis, cum timore ipſo rationem ordinum ex magna parte abiecerat. Baſſa tamen cum purpuratis

Ameſa angitur.

& Ameſa conſultore, cuius præcipue res agebatur, ſub tentorijs peruigili cura angebatur, quó iam uertendum iter: unde quærenda materia alicuius laudis foret. Duabus (ut debebat) ſententijs ea conſultatio conſtaſſe

Cõſultatio conſtans duabus ſententijs.

dicitur. Altera ferro, igniq́ per omnem prouinciam immiſſo, & abſumptis caſis, arboribus, ſegetibusq́, ac omnibus ſolo æquatis, ea ſaltem uictorum ueſtigia relinquenda cenſebat. Altera Ameſa auctore Croiam eundum, & tentandos oppidanorum animos, an nepotis imperium admitterent, & dedere ſe uellent. Subijciendumq́ id ad terrorem hominũ, ni poſtulata ex æquo acciperent, ſordidiſſimum iugum omnino coactos ſubituros præter perpetuam obſidionem, & calamitatem, ac ruinam prouinciæ, neq́ ſerum Scanderbegi auxilium expectarent, inania conſilia hominum, qui uel ſibi, uel alijs diuturniorem abſentiam uiri ſuadere poterant. Facile tamen hac ſententia recepta de altera ſuperſeſſum eſt. Id tantum ad mouenda caſtra, donec æſtus ille, & laſſitudo corporũ reſediſſet, expectabatur. Sed non expectauit Caſtriotus iampridem ex Tumeniſto eo ſpectaculo paſcens ſimul, & inſtruens oculos, atq́ animans, & componens militem, qua ratione ſe ſequeretur, qua perterrefaceret, & qua parte præmeret hoſtem. Tamen primum omnium contemplatus cuſtodiam illam ad radices montis, ſenſim ab altero latere deſcendens ipſe ante alios cum octo non amplius equitibus dormientes nonnullos, alios ex improuiſo oppreſſos trucidauit, præter unum, quem fuga, equusq́ ſaluauit. Eoq́ modo reliqua agmina noſtra decurrere in planum ignaro hoſte, quum ſubita eius cuſtodiæ oppreſſio ſignum ullum dare prohibuiſſet. Cæterum ille effuſo curſu perlatus in caſtra horribili clamore cuncta repleuit, Scanderbegum adeſſe, trucidatos cuſtodes, uniuerſas hoſtium copias mox affuturas. Haud credita quaſi res foret, ni ſatis certa indicia, & pauoris ipſe ſui, & ſanguinis ſociorum dediſſent. Nam neq́ periculum ab ea parte, neq́ tam improuiſus aduentus eorum timebatur. Ameſæ facile omnia credita, quare confeſtim prouolans ad ſuos, & arma omnibus, & magnos ad uincendum animos ſuadere conatur. Somnũ multis partim ſocij, partim hoſtes aduenientes excuſſere. Nam Caſtriotus ubi proditas iam aperto campo inſidias ſuas uidit, peditibus quantũ accelerare poſſent, ſequi iuſſis effuſiſſimis habenis accingentes ſe

Caſtriotus improuiſos obruit.

ad prælium

ad prælium turmas inuadit, clamore ab omnibus ex compoſito ſublato, ac tubarũ clangore ędito, ut et magni exercitus exiſtimatione perterrerẽt hoſtem, & ſignum montanis, ac circumdiſpoſitis inſidijs darent. Primũ impetum illorum Ameſa, cum milite ſuo, ac cuſtodijs quibuſdam fortiter excepit. Pedites quoq́ multi occurrere, quum in ea celeritate fulciendorum tam cito equorum facultas non adeſſet. Trepidatio, ac tumultus ingens omnibus locis exorta, cadentibus quaſi maxima conſternatione ad aſpectum hoſtium uiris. Baſſa è ſtatione ſua neq́ pedem, neq́ ſignum mouit, donec inſtructam egregie multitudinem uidiſſet, & latus undecunq́ triplicato robore armatorum cinxiſſet. Sed inter hæc apparanda iam cœlum undiq́, & terra miſceri uiſa, propter nouos inexpectatosq́ tumultus, & horrendos latentium inſidiarum clangores & ſtrepitus. Reſonare paſſim colles, uallesq́ uicinæ, nunc clamoribus humanis, nunc tubarum ſonitu, augentibus pauorem animis ſimul & auribus innumeris ſclopis. Quare exanimati regij credentes totius Epiri, & Dalmatiæ inſuper uicinæ uires adeſſe, priuſq́ Moſes cum ſocijs deſcendiſſet in planiciem, arripere iam ex omni parte quam poterant fugam cepere, quæ etiam haud quaq́ tuta uidebatur, obſeſſo undiq́ quaſi omni aditu ab hoſte. Equi etiã ipſi territi multis locis, excuſſis & abruptis uinculis, è manibus ſternentium fugiebant. Sed Ameſa non ignarus fraudis, & coniectatus facile patrui ingenium uociferans paſſim nihil timẽdos eos inanes tumultus, talia eſſe ſolere paucitatis præſidia, atq́ artes, & congreſſus hoſtium cominus expectandos, non uanos clamores, & tinnitus æris, non appoſitas timidorum uoces, & imbelles latratus uſq́adeo formidandos, multos per ſingulos gradus reuocabat pari incertitudine fugæ, atq́ certaminis, nam neq́ illa ſtante Imperatore, & integris quaſi omnibus honeſta apparebat. Neq́ ad hoc ſufficiebant uires perculſis in re ſubita tanta conſternatione animis, ut uix reſtitui in integrum per longum interuallum poſſent. Baſſa quoq́ agmine ſuorum ſtipatus, eductis multo impetu ſignis, pugnam non detrectauit. Properantem ad ferendum Ameſæ auxilium, & opprimendũ aduentu ſuo Scanderbegum Moſes, ac deinde cæteri ſubſequentes in planum facile reuocarunt. Sed effundere multũ habenas equitem non eſt paſſus Dibrenſis, donec Tanuſius, & Emanuel, qui peditum, ac ſcloporum agmen trahebant, ad primos perueniſſent. His ſuccedentibus furor cuiq́ ſuus permiſſus, ac equeſtris procella ab omni latere non tardata ruebat. Quare compulſus eſt quaſi iterum in tentoria Baſſa, & peditatus noſter abiectis poſt terga arcubus ſclopiſq́, gladio commodius in propinquos ac inconditos paſſim & inordinatos hoſtes agere cepit. Multa clades per omnes ſtationes ædita, multus & fugientium, & reſiſtentiũ cruor effuſus. Sed alia mali ſpecies, alia funeſtiſſimæ fortunæ ſpectacula ab alia parte fiebant. Alijs ſanguinis profluuijs humectebatur tellus, qua Scanderbegus cũ copijs ingruerat, nam & maior inde numerus noſtrorum ingentiora poterat ędere opera, & hoſtes

Ameſa animat fugientes.

Fuga inhoneſta ſtante Imperatore.

Tellus ſanguinis profluuijs humida.

magis incauti, ac inermes ferè, & strati somno multi oppressi patentiora iniuriæ corpora, ac expeditiorem ferro uiam præbebant. Hic quoq; peditatus non absimili modo usu sagittarum, ac cæterorum id genus missilium abiecto, strictis tantũ ensibus, & uerutis, ac spiculis Epiroticis nunc timidorum ac fugientium terga feriebant, nunc confodientes equorum ilia, sessores passim humi præcipites deturbabant. Fuga hominum, & audacia omnis ab Amesa manifesto pendebat, qui obnixiore semper uultu sustinebat hostem, & nunc uoce, nunc gladio socios compellabat, ut adessent tantum, sustinerentq; dum primi Epirotici impetus frangerentur; expeditam postea uictoriam, ac incruentam sibi futuram. Paucitatem nihil præter primum furorem habere, simul cum eo & uires cadere, & animos, & sic non iniqua ratione protrahebat certamẽ, donec reliqua agmina, quæ sparsa late per campos erant, concurrissent ad arma. Tamen inanior semper eius auxilij expectatio erat, nam multi ab immisso equite nostro obruti, dum arma expediunt, multi inter ueniendum intercepti, reliquis fugam suaserat timor. Ita paucis Turcarum copijs legitime concursum, ac maior pars iumentorum more trucidata. Moses ea occasione cupidissime ad abolendam ueterem ignominiam accepta, cum robore suorum Bassam nusq; respirare patiebatur, clamans (ut impatientis ingenij erat) ad omnes ictus & motus oculorũ: adeste, inferte gradum socij, nõ insignis castrorum forma, non uos ingentia Bassæ nomina deterreant, infames reliquiæ sunt Belgradensis Hungaricæ cladis, timore præterea, somno, ac recentibus crapulis obruti, urgete, impellite inanes custodias, exaturate sanguine dexteras, postea præclara prẽda, ac ingentibus spolijs exaturaturi. Mouebant facile cum hæc dicta uiros, tum illud multo magis, quod tam preciosa uictorię præmia oculis quasi ipsis cernebãtur. Tamen circunfusa undiq; Turcarum agmina, peditum etiam quorundam non contemnenda manus, penetrari se non patiebantur. Scanderbegus interim nepotem, quum occidere prohibuisset, conuersum in fugam, ac equite post terga fugientis immisso uiuum ceperat, & expedita ab ea parte uictoria, ad stationem Bassæ cum mille ferè peditibus, & paucis equitibus properabat. Nam cæteri ceptam semel uictoriam neq; in fuga hostium intermisere) Sed & ibi perfractum robur omne castrorum fucrat, immissis à Mose sclopis, ac imperator cum omnibus conuersus in fugã. Pedites qui ibi fuere, nisi quis in eo tumultu raptim equum uel suum, uel alienum conscendens, se subduxisset, omnes cæsi, & uiui in potestatem uenere. Scanderbegus Bassæ iter ac uestigia nusq; reliquit, donec ille in tutum peruenit, seruauit nanq; dominum pernicitas equi. Capti tamen ex comitibus eius fugæ plures, & inter cæteros Sanzachus unus, cui Messi nomen erat. Dibrensis quoq; ac cæteri, dum carpendi & lacerandi terga facultas fuit, nunquã prædę memores fuere. Sponte se dedentium ubiq; sessa, ac ignaua agmina uinciebantur. Pugnatum est tamdiu hoc modo, donec dies quasi ipse cum hoste deseruisset uictores. Non ingens lassitudo, non

Moses fortissime exhortatur suos.

Amesa nepos Scanderbegi capitur uiuus.

Bassa pernicitate equi aufugit.

do, non properantes tenebræ ab assuetis laborum, & uictoriæ præmijs militares manus detinuere. Palpitantia adhuc cadauera expoliata, & multi etiam tunc occisi, in quibus reliquum adhuc sanguinis inuisum spiritũ seruabat. Signa militaria præcipuę magnitudinis & formæ uiginti capta, homines uiui mille quingenti, equorum ac reliquarum rerum incredibilis præda fuit. De numero occisorũ uariq; afferuntur: qui enim plus, triginta millia cæsa referunt, qui uero minus, uiginti commemorant. De nostris sexaginta solummodo, aut paulo minus desideratos fuisse narrãt. Tam amplam uictoriam sic exiguo precio stetisse, sed nec ipse mirabilem nego, dummodo audientium aures (rara hæc res) omnino non offendat. At si uetera multa Romana, exteraq; eius generis exempla inspiciamus, facile hoc ipsum quoq; credulitatem inueniet. Tentoria multa erecta inuenta sunt, à suis locis per eam noctem non mota, sed destinata passim uictoribus, quibus fessa, humentiaq; mixto sudore ac sanguine corpora à cœlo nocturno defenderentur, ubi etiam accensis circum ignibus eam lætitiam celebrarent. O lepidos fortunæ lusus, & ridiculum rerum humanarum statum. Bassæ prætorium Scanderbegus obtinet, atq; alij demum alias non ea mente paratas possident stationes, stratas inueniunt multis locis mensas, atq; sparsis passim abutuntur cibis. Credere exin ueteri prouerbio satis licet: Multis (ut sic dicam) millibus passuum os ab offa distare. Equi plures strati, ac infrenati reperti, qui dum ascenso rem dominum uelut expectarent, cęsum sub oculis, ac pedibus ipsis ignari conspiciebant. Amesa tamen præcipuum eius rei spectaculum, ac documentum uarietatis humanæ cernebatur, modo insolens Aemathiam percurrebat, nunc momentaneus Rex erectis (ut aiunt) cristis militum manibus, clamoribusq; circumferebatur per castra, uinctis post terga manibus, sine uoce, sine uultu ad Patruum trahitur, & accurrenti undiq; multitudini, ac turbæ uictrici offertur, pietatem ferè omnibus, lachrymas etiam quibusdam eliciens. Aduenięte die Scanderbegus ueritus, ne tot simul cadauera eis præsertim caloribus corrupta fœtore suo aërem corrumperent, quæ ultima tribui poterat, pietatem hostibus sed non uolutariam impendit. Humati sunt equi simul, dominiq; pluribus locis, ac iumentorum, & hominum cadauera confusa. Plura ad ripas uicinorum fluuiorum, & Albularum inuenta, prout fuga homines, timorq; passim incertos tulerat. Licet potuerint satis eo die propter tantam sparsi copiam, & inundationem sanguinis Albulæ mutare nomen. Aemathijs campis ad ueterem famam multum quoq; nominis & celebritatis est additum. Consumpta est in eo opere, atq; agendis soueis magna pars diei. Ita uulturum, de quo supra retulimus, inanis aduentus, & expectatio fuit. Expeditis omnibus (nam neque onustis præda uiris depopulandi alia cura incessit, quum & ager hostilis procul esset) neque integri omnes eo prælio excesserant, Croiam uersus conuersa signa. Cæterum in mouendis tentorijs rixa quædam inter duos turmales orta,

O lepidos fortunæ lusus.

Prouerb. latinũ à cibo apud Gellium, ex oratione quadam Catonis, Inter os & offam, sicut illud Græcanicũ à ποὺ μετὰ ξὺ πέλει κύλικος νῦ χεῖλεος ἄκρου.

Multa cadunt inter calicẽ supremaq; labra.

Inundatio sanguinis Albulæ nomen mutauit.

diſtulit aliquantiſper diſceſſum Caſtrioti. Hiſ quũ ſuperiori prælio contracta ſocietate totius fortunæ, atq; prædę, multa accumulaſſent hoſtium ſpolia, in diuidendis demum eis rebus, diſſenſio (ut ſolet) orta eſt, atq; eò mutuis iurgiſs & conuitiſs protracta, ut gladiſs etiam arreptis prouocantes ſe ad inuicem ferro decernere uellent, uter dominus eorũ appareret, quæ diſſidij cauſam dederant. Caſtriotus re audita, uocatos ad ſe homines, quum interrogaſſet an pranſi eſſent, & pranſos ſe reſpondiſſent, ſubridens (ut faceti, & popularis erat ingenij) Bachus, inquit, litem excitauit, Bacchus dirimat, non Mars, uel ullus alius deorum, hominumq;. Deinde obiurgatos ſeuerius homines à ſe dimiſit, Vranaconte ſuppoſito, qui eos motus ſedaret, & rem ad ęqualitatẽ redigeret. Euntibus Croiam noſtris, multitudo ubiq; agreſtium, & cæterorum, qui uſq; ad exitum eius rei per ſaltus uicinos latitauerant, & oppidanorum etiam occurrit, atq; tanta feſtiuitate, clamoribusq; hominum ſimul & inſtrumentorum uentum ad urbem, ut uix ſpecioſior triumphus, uel pompa maior omnium rerum eſſe potuerit, nam integris copijs ſtructum exercitum ſequi ſe ad ornandum magis id ſpectaculum uſq; in ſuburbia Caſtriotus fecit. Nemo fermè erat, qui equum captiuum ingentibus ſpoliſs atq; præda onuſtum ante ſe non ageret. Captiui etiam longo ordine uinctis poſt terga manibus Scanderbegum prȩeuntes augebant magis id ſpectaculum, prȩſertim quod ſigna capta quibuſdam ex illis ferenda fuerant tradita ad egregiam quandam uictoriæ confeſſionem. Velamenta Baſſæ tentorij, quippe quæ color ipſe purpureus mirum in modum ornabat, à nonnullis militibus noſtris ex compoſito diffuſa, ac erecta quaſi ferebantur non nihil addentia cæteris rebus decoris. Ameſa patruum quum enixe rogaſſet, ne ſe tam ſordida, & miſerabili ſpecie ſeruitutis, Croiam duceret, cum Sanzacho illo captiuo liber, & habitu cultiori, quàm captiuum deceret, ſequebatur. Ibi itaq; ante portas ipſas Croienſes ſoluti, ordines & miles domum lætiſſimus dimiſſus. Præter prædam, equos, & ſpolia omnis generis, captiui etiam multi, prout petierant inter illos priuatim diuiſi. Signa militaria, & cætera publica ornamenta quæ Scanderbego ceſſerant, ab accurrente multitudine, populoq; lata pulchris clamoribus intra muros. Sanzachus, Ameſaq; cuſtodiri iuſſi, donec iudicium de eis ferretur. Lætiçiam Epiroticam, & eius uictoriæ celebritatem per multos dies non intermiſſam, ad externa conuertens animum, aures q; haud grauate omittam. Tanta fama eius rei omnes uicinas regiones, & interiora etiam Italiæ, atq; cæteros Chriſtianos principatus peruaſit, quanta uix de uicto Amurathe, aut alia ulla fœliciter geſta re excitari potuiſſet, & ingenium uiri iugi ab omnibus admiratione proſecutum. Id quod hodie quoq; illa res non inani documento oſtendit, quod inter præclaras ueterum res geſtas, & maiorum laudes, quæ cani à noſtris in conuiuijs ex more antiquo & non contemnendo fortaſſe conſueuere, hoc maxime facinus non ingrata poſteritas ſtudioſiſſime inſeruit. Gratulationes, munera undiq;

Rixa inter duos milites propter prædam

Bachus litẽ excitauit Bachus dirimat,

Triũphus Caſtrioti euntis Croiam.

nera undiq;, & conuiuæ frequentes, ac perennes epulæ quaſi de conſuetudine gentis non defuere. Oblitterauerat iam Alybaſſam, & tot Muſtapheas clades, ac omnes uetuſtas, & recentes laudes præſens uictoria. Belgradenſes clades tanta ultione compenſatæ exhilarauerant cunctorũ animos, ac ſqualor omnis ex ea mœſtitia contractus, & ſordidæ ueſtes depoſitæ. Iuuat notos ignotosq; procurſare paſſim in uictrices campos, ac ſpumantem adhuc ſanguine tellurem inuiſere. Iuuat perluſtrare, & ſciſcitari ſingula, quo quiſq; latuiſſet loco, qua parte inuaſiſſet hoſtem. Cæterum neq; Mahumetes ipſe eam rem minore admiratione excoluit, atque Epiroticam uictoriam ſordidiſſima timoris ſui cõfeſſione paulopoſt approbauit: nam quum fractas eouſq; copias ſuas uidiſſet, & ſeriem omnẽ pugnandi, ac rationem cladis à Baſſa audiuiſſet, licet multa eſſent fortaſſe in quibus & Imperator, & exercitus reprehendi merito poſſent, tamen non ulteriori accuſatione fortunam hominum inſectatus inſueto & mœſto admodum ſilentio dolorem ſuum ſuppreſſit. Procurandum erat de captiuis redimendis, Sanzacho præſertim, cuius ſeruitus dolorem maximum, & pudorem quendam omnibus iniecerat, propter & dignitatem ſummam, & uirtutem uiri. Decretum itaq; de eius redemptione & nobiliorum quorundam, cæterorum iactura non curata, atq; pecuniæ ad id à conſanguineis, & ex publico etiam (ut ſolet) paratæ. Illud tantum expectabatur, & ſummæ ratio aliqua ſtatueretur à Scanderbego, & nuncius ueniret ex Epiro, qui tutum ituris iter polliceretur. Aduenere duo ex magis intimis Sanzachi à Caſtrioto, eodem poſtulante dimiſſi, atque quindecim aureorum millia pro eius libertate, & quadraginta ferè cæterorum petita, neq; negata. Priuſquam tamen ea uelut legatio iſſet in Epirum, Ottomanus fractus magis tot cladibus, quàm caſtigatus multis nequicquam curis ægrum animum ſolicitabat, diſtrahentibus etiam hinc inde mentem auidam conſiliorum uariſs purpuratorum ſententijs. Superſedendum quidam de omni ratione belli Epirotici cenſebant, donec Tyrannus ipſe cum ſolitis uiribus & robore imperij ad euerſionem eius gentis ab omnibus aliſs liber & expeditum ire potuiſſet, nam tunc propter recentes Hungaricas iniurias, & nouos ex Myſſia tumultus ut id facere poſſet integrum illi non erat. Alij ab hac ſententia non diſcedentes mittendum tamen ad fines imperij ualidum præſidium ſuadebant, quod nunquam uel ſponte ſua, uel laceſſitum innouaret aliquid cõtra hoſtem, tantum finium tutandorum curam ageret. Multis eadem ratione externorum bellorum inducias aliquot annorum petendas eſſe à Scanderbego non ab re uiſum eſt. Interim & reſpiraturum aliquantiſper tot incommodis imperium, & meliorem forte occaſionem affore ad iugum homini imponendum, nam ſecundo loco dicta ſententia ea de cauſa non recipiebatur, quod minime tutũ futurũ præſidiũ apud eas prȩſertim inſidias & ingentia hoſtiũ dicebatur, ſi modicũ mitteretur. Magnũ aũt in tot bellorũ motibus, & tanta rerũ nouitate, niſi incõmodiſſime mitti nõ poſſe.

De aduentu legatorũ ex Cõſtantinopoli ad Scanderbegum pro Sanzacho, cæterisq; captiuis redimendis.

Vtilis

Vtilis ratio licet inhoneſtior & ſordida aliquantum nimis multos ad ſe trahebat. Cæterum Tyranni aures q̃uis id non mediocriter offenderet fugientis diu tantam ignauię confeſſionem, quia tamen omnia ſtantibus tot hoſtibus expediri commode nõ poterant, nihil pudendum, nihil ſordidum in ea præſertim ratione rerum inſolentiſſimo Regi uiſum. Quare accito ad ſe uno ex his, qui pecunias pro redemptione ſociorum acceperant, animum ſuum omnem homini aperuit, & mandauit, ut Sanzacho captiuo id oneris nomine ſuo imponeret, qui poſtea referret ad Scanderbegum. Literis quoq; regijs de hoc ipſo actum cum Sanzacho, quæ in manus noſtrorũ poſtea uenere, ut in conciliando ſibi hoſte, & eo fœdere quærendo maximã rationem regij decoris, & honoris imperij haberet, ne ſi multum enixe, & ſordida quadam demiſſione id genus pacis poſceretur, poſtulata cum petentibus ipſis ab elato hoſte perinde cõtemnerentur. Lætior longe nuncius hoc mandato diſceſſit, q̃ ſpe illa, quã propter acceptam pecuniam redimendi ſanguinis ſui & ſociorũ habebat. Quod ſublatum iam ſibi per aliquod tempus Epiroticum hoſtem, & reſpiraturos aliquantiſper à tot cladibus Turcas credidit, tamen fefellit facile ſpes hominem, & Tyrannum etiam ipſum, ut & eundem olim, atq; Amurathem patrem fefellerat. Nam quum Meſſit allatis ex Conſtantinopoli pecunijs, inter numerandũ ferè multa interſeruiſſet Scanderbego de mandatis, & uoluntate Tyranni, ille quidem pecunias libenter accepit, cætera uero poſtulata ita reſpuit, ut prędicens his uerbis ſermonem hominis minime diutiorem eius orationem expectârit.

Scanderbeg reſpuit patem cum Turca.

Non ea, inquit, ratione toties aduerſis etiam meis rebus fœdera à uobis petita contempſi, ut nunc ſecundis acciperem. Sed neq; ita oblitũ me conditionis humanæ, ac inconſtantiæ ſuæ hæc qualiſcunq; eſt, proſpera certe fortuna mea eò prouexit, ac inanes tanta ſpe inflauit ſpiritus, ut uel perpetuam eius poſſeſſionem ſpondere audeam mihi, uel tam inſolentẽ amicitiæ ueſtræ contemptorem futurum ſemper confidam. Mutare poterit hæc fallaces uultus, & petitores nos forſan ſordidioris apud uos pacis efficere. Tamen quicquid occulta rerum ſemina, & abſtruſus fatorũ ordo homini paret, non ideo quicq; hodie ex priſtina pertinacia animorum mutamus. Fœdiſſimũ omne amicitiæ genus uobiſcum reputamus ſtantibus tam undiq; Chriſtianorum iniurijs, tot cladibus, ac ſanguine adhuc recenti, quo Græcia iam omnis ac Hungaricum ſolum madet. Sic ne Peloponneſiaci imperij iacturam hodierna pace cõpenſabimus? Sic & nouam Belgradenſem uictoriam, ac Hungaricam, gloria ignauis uobiſcum inducijs dehoneſtabimus? Habeat quæ poteſt ipſe Mahumetes fœdera, nos armis, ferroq; ceptam ſemel pacem, & ocium quęremus, præſertim quod nõ ſolę nos iniuriæ, ac perfidia ueſtra, ſed natura potius quędam hoſtes uobis fecit, ſempiternisq; contra ſe inuicem armauit odijs. Gentiles uobiſcum ipſe, ac hæreditarias quaſi inimicitias exerceo, & domeſtici potius ſanguinis, ac meę ſimul & Epiroticæ ſeruitutis ultionẽ q̃

nouam

nouam gloriam ullam de uobis quæro, nunquam ſatis finem laboribus hiſce, & periculis facturus, donec uel priſtinum ciuibus meis ſtatum, uel inuiſum uobis ſpiritum tradam. Non deſtitit ideo Sanzachus, ſed multis callide conſilijs & præcibus admixtis familiaritate quadam trahere ad ſe animum hominis conabatur, commemorans uices bellorum, & ſubijciens multa eius generis per omnia ſecula exempla. Non defuturũ poſtea tempus ad arma, ſi tantum momenti in bello ponat. Interim (decennales enim inducię petebantur) reparari melius uires Epiroticas, animos quæ ad nouam gloriam & uindictam poſſe. Vincebatur paulatim Scanderbegus, & deſcendens aliquantum ab arce illius ſententiæ leuiores aures poſtulatis hoſtium præbere uidebatur, tamẽ nunq; adduci potuit ab homine, ut uel menſtruas inducias faceret, niſi Sfetigradum, & Belgradũ in præmium eius rei accepiſſet. Ita re infecta, Meſſit cum ſocijs abijt ex prouincia, impetrata tamen pace à Scanderbego, donec ipſe retuliſſet ad regem, quæ ab illo pro inducijs fiendis conditiones petebantur. Dimiſſi ſunt & alij plures cum Sanzacho, præter illos xl. quibus Scanderbegus gratis, & magni animi affectu quodam libertatem ſimul, & patriam conceſſit. Cæteri quoq; ſoluti uinculis, quidam nouos, & Chriſtianos homines induentes, domicilium fixere in Epiro. Cęteri ad uarios, & omnes ferè paſſim Chriſtianorum reges deſtinati, tum Hiſpaniæ, tum regi Gallorum præter captiuorum ſat magnum numerum, equi & ſpolia omnis generis miſſa, atq; ad alios identidem alia. Vrbs Roma fere ſicut fama, ita ornamentis eius uictoriæ repleta. Ita ſtatuerat pro uirili Scanderbegus totum penè orbem eleganti ea liberalitate ſibi deuincere. Adiunxit præterea his donis legatos, & frequentes adhortationes ad concordiam, ac preces ſedulas, ut iam ex diutino ſomno expergiſcerentur, & libertatẽ tandem Chriſtianam è tot ſordibus, ac imperio Turcarum emergere facerent, atq; creſcentem ſibi in uiſceribus peſtem, paulatim ad cor ipſum ſubire non paterentur. Dona in Apuliam (ut neq; hoc omittamus) ad ſuum Alphonſum decreta ſpecioſi triumphi cuiuſdam formam præ ſe tulere. Ameſa etiam Neapolim ductus in carceribus iuſſu Patrui in magna cuſtodia habendus, nam neq; de eius redemptione curatum à Tyranno eſt, neq; ſi petitus fuiſſet, Scanderbegus ullo ſatis auri argentiúe põdere hominẽ erat dimiſſurus, perpetuis uinculis illi ad perpetuam infamiã, & ſupplicium decretis & conſtitutis. Relatum eſt interea ad Ottomanum de uoluntate Scanderbegi, & conditionibus inducíarum, qui licet ingentibus undiq; curis præmeretur, tum propter recentes Hungaricas iniurias, cum illa re maxime, quod Chriſtianorum conciliabula contra ſe quotidie fieri agente Romanorum Pontifice audiebat, tamen (ut magni erat animi) rem minime reſponſo dignam ratus, præſidium inſigne decernit in Epirum ad cuſtodiam prouinciæ, id quod nuper uarijs ſententijs actum retulimus. Hamur, & Sinam, duobus peritis militiæ uiris ea res demandata, atque decem equitum, quatuor peditum

millia

Conditiones inducíarũ referendarũ ad regem.

Spolia omnis generis miſſa regibus Chriſtianis.

Ameſa iuſſu patrui ad Alphõſum in carcere ſub arcta cuſtodia habẽ dus mittitur.

millia cuicp eorum ad id muneris assignata. Sat idoneus uisus est numerus, qui arma Epirotica fatigaret, & nonnihil terroris uictori etiã, ac fortissimo hosti adueheret. Tamen eque prohibitus utercp moliri quippiã contra hostem, etiam si egregia occasio affulsisset, nisi pro finium, & assignati sibi loci tutela. Aestate omni in eis ultro citrocp rebus consumpta. Dimidium ferè autumni erat, quum ex Constantinopoli his copijs discessum, & fama simul eius rei iter hominum præcedens ad Scanderbegũ peruenit, ignarum omnium, quod Sanzachi fidem secutus, expectabat audire de ratione induciarum, quid scilicet de postulatis suis spretum fuisset, quid acceptum. Quamobrem Croia subito relicta, atcp ingenti festinatione peruolatũ in Dibras. Collectus ibi exercitus, ac copijs momento temporis renouatis, expectatus auidissime hostis. Qui non diu tardatus, paucis post diebus aduenit, sed decem amplius millibus passuũ procul à stationibus Castrioti, fixis signis, nostrorum fines nõ est ingressus. Epirensis nihil mouit, sed quũ appropinquare audisset, ordinatis, & habitis solum ad signum expectandum legionibus, in castris se continuit. Nam quum ea multitudo hostium aduentare diceretur, credidit in ea loca, & ad se opprimendũ facile transgressuros. Sed ubi per custodias montanas, & id spectatorum genus, fixisse sub Alchria tentoria, & omnibus impedimentis ibi collocatis resedisse cognouit, ratus die sequenti resocillatis corporibus castra moturos, & prodituros ad bellum. Per noctem magno silentio saltus quosdam, & ualles uicinas impleuit armatis, ut medios occluderet, & improuisos eis exciperet insidijs, si ibi res gesta fuisset, & collata (ut putabat) signa. Mansum in ea inani expectatione duobus penè diebus, noctibuscp integris, sed nuscp miles uisus, aut tumultus aliquis auditus. Scanderbegus itacp impatiens moræ, die sequente mouere in eos signa, & petere ultro hostem statuit. Quum nunciatum est exercitum in duas partes diuisum, & Hamur cũ dimidio copiarum ibi remansisse, Sinam cum reliquis campestria pologi Mocreas uersus petijsse, unde aditus in Dibram superiorẽ atcp Modrissam erat: nam Alchria, quã Hamur obtinuerat, Dibram inferiorẽ, atcp Sfetigradum oppidũ ipsum quocp hostile spectat. Ita summo consilio partiti sunt Dibras, ut perenni custodia hostẽ utrincp solicitũ tenerent. xxx. amplius millia passuũ inter ea præsidia interiacebant, nam à Sfetigrado ad Modrissam totidem computantur. Epirensis itacp collectis extemplo, & reuocatis insidijs, quas hincinde sparserat, ac reductis omnibus in castra, nouum cõsilium cepit augendi exercitus, ut commode ubicp partiti, & prospici ad utruncp periculum possent. Procurata recte sunt omnia, & mira celeritate ampliatæ copiæ, mille quingentis fermè peditibus additis, nam eques non ita facile comparari poterat. Mox & hic miles diuisus, sed nõ æquis partibus Tanusius, & unus ex Stresijs nepotibus, atcp Peicus Emanuel in Dibram inferiorem cum tertia non amplius militum parte missi ad Synam, impetus, si opus foret, excipiendos: nam minus inde periculi, & difficilior ingressus

Tentoria sub Alchria.

Castriotas mouet signa in hostem.

Consilium augendi exercitus Scanderbego.

gressus in fines nostrorum erat propter difficultatem locorum naturali munimento, & Mocreas ualles crebris undicp montibus disterminatas, quæ cum Dibra ipsa superiore censentur, tamen Epiroticum imperium ab hostium agris distinguunt. Sed mandatum Tanusio, socijscp, ne pedem extra assignatos limites efferrẽt, uel quippiam nisi pro sui suorumcp defensione molirentur. Ipse reliquas copias cum Mose in Dibra superiore retinuit. Idcirco maiore militum, præsertim equitum numero sibi seruato, quod et liberior aditus hosti in prouinciam, atcp patientiora omnia ab ea parte erant. Et lacessere ipse ad certamen uiros, atcp fortunam belli experiri statuerat, necp diu segnes dies noctesue in ea deliberatione consumpsit, præsertim quod hyems iã bellis inimica in procinctu quasi erat, sed pulsis uix ea die tenebris, relictis castris, ipse cum mille amplius equitibus Alchriam petijt, ducto cautissime per saltus quosdã & incõmoda locorum milite, ne ab hoste medius inter Sfetigradum & stationes eorũ occludi posset. Et quum aliquantũ itineris intempesta nocte emensus esset, nõ multis millibus passuũ procul ab oppido dispositio hincinde atcp abscondito in insidijs milite, reuersus est in castra. Ibi nullo interuallo ad quietem dato, quum in ortu diei esset, expediri signa, & copias omnes cũ cibarijs tantũ eius diei iubet. Nam impedimenta, & tentoria ipsa (ut erecta stabant) inde non mota, sed egregia (ut consueuerat) armatorum manus ad custodiam eorum relicta. Totum fermè matutinum tempus in ea expeditione, & in ipso itinere abijt, donec deuentum mille paulominus passibus propè loca insidiarum, quum & corporibus consulendum erat, & noua ratio aliqua ordiendi certaminis, atcp euocandi hostis capienda. Illud facile, & pari ab omnibus peritia expeditum. Ad hoc magis erat ingenij, consilijcp adhibendum. Mosi id ultro petenti munus non negatũ, & uix cuipiam ex nostris ad lacessendum, & fallendum hostem aptior in ueniri eo homine poterat. Sexcentos equites accepit, ne si cum pauciorib⁹ isset, procliuior foret hostibus suspicio fraudis. Tamen æque frustra tentata res, & cõsumpta inani ludificatione magna parte eius diei, reditũ ad Scanderbegum. Vix noui consilij quippiam restabat, nam ire uniuersis copijs uscp ad stationes hostiles, & difficultates locorum, & superemines urbs, sub qua castrametatus fuerat Hamur, ingentis certitudine periculi prohibebant. Tamen deductis in colle quodam uicino copijs ibi expectata nox, & per noctem datum insidijs signum, ut ad socios se reciperent. Mane cum omni exercitu procursationibus, quo magis fieri potuit, uastatũ id agri, quod ab ea parte iacebat, ut id saltem spectaculum rei indignitate moueret hostem, sed modicæ rei periculosam tutelam eodem tenore aspernatus regius, tenuit se intra stationes. Audio tamen, quum factus finis eius excursionis esset, & uasa iam colligerentur à nostris, nunciũ à Barbaro ad Castriotũ missum declarantẽ uoluntatẽ Tyranni, & dicentẽ insuper, ne hostem, ne se ipsum inutili eo ultionis genere fatigaret, sua se potius cp aliena deuastare, quippe quæ ipse indefensa relinquat.

Moses aptissimus ad fallendos hostes.

Nuncius Barbari ad Castriotum.

a Respondisse

Respondisse Epirensem, differri fortunam eorum posse, tolli non posse. Decreuisse se omnino ad bellum homines pedibus si oporteat trahere, atq; ita utrinq; discessum. Nam instantibus iam frigoribus, differri in aliud tempus ea consilia usum est. Quare Mose ad custodiam prouincię cum solito robore militum dimisso, & reliquo exercitu ex maiore parte soluto, ipse cum paucis Dibram inferiorem, quam Tanusius obtinebat, inuisit. Inde quoq; renouatis insidijs aucupatus hostis, & frustra tentata re, uno ex Stresijs cum modico prędidio ibi relicto, Croiam ipse cum cęteris in hyberna reuersus est. Moses interea inquietam hostibus hyemem fecit, sed magis oculos hominum mouit, quàm arma. Id quoque tum ipse, tum Modrisseum prędidium sępe frustra tentatum iussu Scanderbegi omisit, prędertim quod nuncijs actum inuenio à regijs (ut antea fecerant) orantibus, ne se hostes tam pertinaciter quærere uellent, quos habere nequirent. Sic neque negando satis, neque concedendo quippiam, res in uernum tempus protracta. Collecto tum exercitu Castriotus ad euocanda perenni ludificatione hostium arma perrexit. Illatis q; multa audacia signis, quum die quodam perrumpere interiora agri Alchrienses usq; ad ipsa Barbarorum statiua uellet, oppositi illorum robore facile prohibitus est, quum in locis etiam ipsis multum ad defensionem momenti esset. Epirensis licet eo proposito per eam diem frustratus, non tamen destitutus animo, augere uires, & numerum militum ad eam rem exactius tentandam statuit, sed segnius id procuratum, quum minimum commodi, laudisq; sperareturr, & id ipsum non sine periculo aliquo. Illa tantum ratione, ne assueti armis, uelut proprio aliquo opere uiri ocio marcescerent, cura eius rei non omissa. Dum ea utrinq; frigide ageretur Hamur, non utile solum prouincialibus, sed laudi quoque sibi apud regem fore ratus, si Scanderbegum aliquo modo allectum abstraxisset ab armis, impetrata per nuncios ab eo colloquij facultate, in Dibram ad illum in tentorijs commorantem uenit pulcherrimis donis aduectis, orsusq; à commodis pacis, & his, quæ antea egerat, longiore sermone expugnare hominis ingenium conatus est, non solum priuatæ cum eo amicitiæ desiderium suum apperiens, sed & publici cum Mahumete fœderis mentionem insinuans. Accepit dona Castriotus, & liberalitatem uiri amplexus, mox alijs muneribus illa nihilo humiliore animo recompensauit. Ad ea uero quæ de fœderibus Tyranni narrata fuerant, uelut ira accensus:

Castriotus euocat hostium arma.

Castriotus respuit Tyranni fœdera.

Non ea inquit Mahumetis uel fides, uel officia in nos sunt, ut audire quippiam de amicitia eius æquis auribus possimus. Accepta est à nobis nuper legatio, postulata eius audita, & quibus usum est mihi conditionibus pro honore, & utilitate Epirotici imperij appositis, ad eum remissa. Responsum expectauimus (neq; enim quod ad alia attinet) cogi cuiusquam uoluntas potest. Arma interea deposuimus, quousq; ea quæsita hincinde fœdera in suspenso starent, sed contempti ita ab illo fuimus, ut neq;

ut neque responso saltem, quale hostem oporteret, dignos esse censuerit. Quare quo ad publicæ concordiæ iura nihil diutius te referente sumus aduturi, tibi, si quid in tot communibus odijs polliceri hosti potest, fides à nobis, qualem ipse promeueris, nõ est defutura. Tamen quod pertinet ad compescendam lasciuiam militarem, & assuetas prouincialiũ nostrorum incursiones, nihil ipse polliceor tibi, uel rei ullius periculum in me suscipio. Neq; enim genus ullum publici fœderis uobiscum, quod se mel contemptus contempsi, admittit animus. Ardor dumtaxat ille ultionis tui comitate ingenij fermè restinctus resedit. Publico odio nihil adimitur, tibi priuata hæc necessitudo, si quid forte uel temporum, uel fortunæ uarietas parauerit, multum est & decoris fortasse, & cõmodi allatura.

Hamur eo responso neq; lætus, neq; mœstus omnino, osculata de more gentis simul hostis, simul amici manu, discessit. Isdem ferè blanditijs & Synam pergenti ad eam partem Scanderbego occurrit, neq; difficiliores aures uiri postulatis suis inuenit, nam & uulgus ipsum, ac maior pars militum nostrorum tamdiu quæsitam pacem, & tot hostium uota nõ aspernati haud ægre ascensuri uoluntati illorum uidebantur. Quare paulatim traiectis ad ocium animis, & prędidia nostra utrinq; aliquantum diminuta, & quieta ea æstiua, uel segnia magis transiere. Scanderbegum ad ciuilia munera, & reliqua id genus ornamenta prouinciæ conuersum, Alphonsi regis molestissima mors per eam æstatẽ nunciata ita rebus singulis publicis, & priuatis auertit, ac dolore penè confecit, ut recentis uictoriæ memoria penitus oblitterata, ac hostium cura omissa, eam iacturam publico mœrore ac squalore per multos dies prosequeretur. Et fuit profecto nõ indignus Alphonsus, qui nedum Epiri, & sociorum, sed totius orbis terrarũ longas querelas, atq; apertas lachrymas secum ferret. Mœstissimum ęque omne cum eruditorum, tum militarium uirorum genus reliquit optimus optimorum omnium Mœcenas. Extincta æque cũ eo sunt sua litteris, sua armis præmia, ac studiorum cunctorum ornamenta uix longo fortasse postliminio reuersura. Ita nullus (pace omnium posteritatis præsertim dictum sit) illo melior uel uirtutis, uel meriti humani æstimator multis seculis effulsit. Regiam præterea comitatem, ac tantum in rebus facetis, quantum in grauibus ingenij, & omnium (ut ita dixerim) horarum iudicium uiri quis non appositissimis semper præconijs excoluerit? Variante fortuna, & nunc secunda (ut fit) nunc aduersa maxima ubiq; gloria parta. Adhæc in tanta clementia & liberalitate uix ullus regum eius ætatis tantas opes, & adeò locupletes thesauros reliquisse narratur. Debuit itaq; non iniuria flere Epirensis tam fidum & potentem defunctum amicum, ex quo illi, si uel fortunã inspexisses, uel uoluntatem, licebat omnia ad honestatem æque, ac utilitatem, tanquam ex thesauro quopiam peculiari depromere. Illud tantum aliquantisper mœrentis molestiam minuebat, quod senex iam admodum Alphonsus ereptus sibi non iniquo iure naturæ uidebatur. Quod supererat in ea re officij, &

Colloquium Scanderbegi cum Hamur & Synam.

De morte Alphonsi regis Arragonum, optimorũ omnium Mœcenatis.

Alphonsus senex moritur

pietatis ſumma celeritate, atq; prudentia perſolutũ. Legati ad Ferdinandum filium nouum Regem miſſi, & patris caſum deploraturi, & de noui auſpicijs regni de more congratulaturi, ac commemoratione paternorum officiorum, & Epiroticæ amicitiæ deuincturi, aucturiq; animũ adoleſcentis. Ornauere munera quoq; ſolita eam legationẽ, et cõmiſſum legatis, ut Ameſam ducerent in Epirũ, conantẽ tamdiu tum propriæ fortunę miſericordia, auctoritate, & gratia amicorum, patruum ſibi reconciliare, qui adhuc in carceribus ſub cuſtodia erat: nam licet in ea mutatione rerum, & nouæ Ferdinandi faſtigio fortunæ mutata multa eſſent, & ſolutа fermè uincula cunctorum in tam publica lætitia fuiſſent, Ameſa tamen ne animus Scanderbegi in eo liberando offenderetur, ſemper eodem cuſtodiæ tenore tanquam certũ patruo depoſitum ſeruari iuſſus eſt. Suſcepta eſt, prout potuit magis honorifice legatio noſtra, in eo præſertim tumultu rerũ, quũ confuſa undiq; oĩa, & nihil adhuc pacati in nouo regno eſſet, turbata maxime propter mortẽ Alphonſi pace Italiæ. Ameſa Croiã ductus, iterum à patruo ſub cuſtodia habendus ſtatuitur, ſed minus duris carceribus. Hoc quoq; ipſum quod ſupererat ſeueritatis, & odij paulatim aſſiduæ nepotis querelę, & mixtæ precibus lachrymę expugnarũt, atq; paterno animo Scanderbegus mox uitam homini cũ libertate atque dignitate omni donauit. Sed Ameſa nõ immemor pignoris, quod apud Ottomanum reliquerat, & timens uxori, liberiſq; ſuæ libertate & clementia patrui uteretur, actis illi maxima ueneratione gratijs.

Ameſa in Epirũ remittitur.

Sermo Ameſæ ad Scanderbegũ, de uxore & liberis.

Salutis tu, inquit, noſtræ rationem, nullo meo merito, ſed ſola patientia tua habuiſti, æquum eſt me quoq; uitæ parcere aliorum, ne dum nimio ſalutis & dignitatis meæ ſtudio liberalitatem amplector tuam, hodie hoc beneficio tuo illos perdam omnino, quos ſatis olim perfidia mea perdidi. Eſt infœlix atq; innoxia uxor apud Mahumetem, ſunt paruuli, atque ignari liberi noſtri, uiuunt tamdiu hi, uiuentq;, donec ſuum me apud te uincere Tyrannus credet, quum abalienatum tibi præſenti beneficio, & uitæ liberalitatisq; munere ſentiet. Diſcindet protinus, diſtrahet ferus creditor inane fidei noſtræ pignus, & dabit innocens ſanguis paterni ſceleris pœnas. Fallendus eſt igitur arte aliqua Ottomanus nobis, ut ſeruem interim id pignus, donec redimere prorſus poſtea oblata occaſione poſſim. Arripiam fugam ego hac nocte ex Croia, uelut fractis, te inuito atque ignaro, carceribus, confugiamq; ad Mahumetem omni ſimulatione, atq; diſſimulatione ueteris in eum animi, fideiq;, nihil omittens uel in audiendo, uel in dicendo de tuis rebus apud credulum Regem, quæ antea meliore noſtra apud eum fortuna conſueueram, ut adempta illi omni ſuſpicione, ſi quam propter captiuitatem meam, & diuturniorem apud te moram contraxiſſet, auſugere denicq; ab eo cum tota familia poſſim. Adiuuabis tu quoq; multum hanc rem, ſi grauem moleſtiam quandam ex ea fuga noſtra publice oſtendes, atque culpam eius, cuſtodibus carcerum, (ut ſolet) appoſita criminatione obijcies.

Conſilium de liberanda uxore & liberis.

Interea

Interea tamen temporis donec apud Tyrannum ſtabimus in expectanda reditus noſtri occaſione, exploratoris, ſpectatoris loco erimus tibi, nihil molietur, nihil apparabit aduerſus te hoſtis ſcientibus nobis, quod aures, quod iudicium tuum lateat.

Nihil negauit patruus, ſed quũ uitam, inquit, & reliqua uitam ornantia conceſſerimus Ameſa tibi, nihil prohibemus, qua utiliore poſſis eam ratione accipere, atq; ſeruare ſimul eos, qui te ſalutis, ac libertatis ſuæ debitorem non iniuria poſſunt per omnia ſecula poſcere. I, perge, accipe rempus, rationemq;, quę potior uidetur tibi, & corrige teipſum tandem, donec ſatis & ad emendandum & corrigendum ſupereſt temporis. Nos omnia credimus tibi, & probamus hoc cõſilij genus, neminẽ falles Ameſa, decipies neminem præter teipſum, ſi Barbari fidem & conſuetudinem diutius ſequeris, quum par ibi diſcrimen corporis, & animę tuæ, & tuorum uerſetur. Quandocũq; uenies, gratius es nihil facturus, & idem erit apud nos tibi fortunæ & dignitatis locus.

Scanderbeg annuit Ameſæ

Facta æque omnia ac dicta, pari quoq; fermè celeritate eadem nocte Ameſa procurante tacite patruo, à carceribus ſimul & Croia abijt. Mane fuga eius propalata, & caſtigata multis uerbis ignauia cuſtodum, ille ad Tyrannum ea ſimulatione, atq; rumore fugæ perlatus facile quæ propoſuerat, & maiora alia perſuaſit homini. Dignitas tamen priſtina ei non ſi dei ſuſpicione, ſed fortunæ potius fortaſſe culpa non uſquequaq; reſtituta. De reditu ſuo in Epirum aut non curauerit, aut fugiendi facultas illi non affulſerit, inanis pollicitatio omnis fuit, quin parum poſt temporis mortuum in Conſtantinopoli narrant, relicta ibi uxore, liberiſq;. Et multi à Mahumete ueneno ſublatum credunt indignitate eum uelut autorem quendam memorabilis illius Aemathiæ cladis diutius ob oculos uerſari ſibi. Ita unde minime timebat ultorem perfidiæ ſuæ inuenit. Et is finis uiri fuit non indigni ſanè memoratu, ſi temperatiores ſpiritus ad regnandi libidinem ingentibus animis inſereret natura. Scanderbegus per id tempus nuſquam turbata Hamur, & Sinam pace, niſi quid inconſulto eo priuatim militaris licentia innouaſſet, nunc Dibras, nunc reliqua prouinciæ loca inuiſens, multa & ad utilitatem, & ornamenta prouincialium conſtruxit, ampliauitq;, in Aemathia præſertim, ubi multa ueterum monumenta reſtauranda iacebant. Non deſtitit interea Ottomanus per Hamur & Synam tentatam toties fruſtra rem cum Scanderbego agere, ſpe concepta reconciliati ſibi animi, propter id ocium noſtrorum. Tamen nihil unquam exoratum quo ad publicum fœdus. Priuata amicitia cum regijs ſeruata. Et ſic paulatim allectis eo ocio populorum animis, hoſtilia utrinq; odia reſederant, ac prætèr nomen ſolum effectus omnis publicæ pacis uigebat.

De Ameſæ profectione ad Ottomanũ annuente patruo

Ameſa cõſtantinopoli uenено ſublatus.

Pax inter Turcam & Scanderbegum.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Decimus.

Varij rerum motus & successus, diuersiq; bellorum euentus, atq; mutationes status regni Neapolitani.

VM IS ESSET RERVM EPIROTICARVM STAtus, Scanderbegum interim fata ad nouam gloriam, & nouum hostem in Appuliam euocabant. Quæ regio Italiæ iamdiu maximum porrò exemplum rerum humanarum, ac inconstantiæ fortunę documentum, nullius satis imperio tuta, ab externis semper armis, atq; ducibus uexabatur. Venerat eò nanq; sub id tempus ex Gallia Iohannes dux, Renati Regis filius, cum ingenti exercitu, quod id regnum hæreditario quodam ad se iure deuolui poscebat. Recenti itaq; excitato bello, coq; fortunæ fauore usus, breui cuncta fermè armis uendicauerat, quum ius omne penè uniuersum, ac spem omnem imperij Ferdinando Regi turpiter obsesso è manibus extorsisset. Sed ne in obscuro sit eius belli initium, & ratio tot simultatum, quæ & suspensam aliquandiu Italiam, & maximos Christianorũ Principes per multos annos solicitos habuerit, altius est hoc loco exordiendũ mihi, & res ab ouo quodammodo repetenda.

Iohannes dux Renati filius.

Schisma Vrbani sexti et Clementis Papæ.

Tempore quo Vrbanus sextus Pontifex summus cathedram & sedẽ beati Petri regebat, Iohanna quædam huius nominis prima (ut fertur) natione Epirotica, patria Dyrrachina, Neapolitanum regnũ possidebat. Quæ Clementis pseudopapæ, qui neq; Catholice, neq; rite ad summum Sacerdotium electus fuerat, ex quo schisma in Ecclesia Dei maximum ortum, partes secuta, plurimum ei præstabat fauorem. Quamobrem Vrbanus contra eam Carolum Hungariæ Regem cum copijs in auxilium accersiuit, qui ualido exercitu in Italiam trajciens, Iohannam regno, uitaq; priuauit. Quo facto, Carolum firmato Apostolica sibi autoritate, paccatoq; eo regno, in Hungariam mox reuersum, ueneno perijsse ferũt. Cui Vladislaus eius filius armis clarus atq; strenuus in regnũ successit. Qui postq; in Hungaria atq; imperio paterno pedem fixit, in Appulię regnũ cum exercitu transuolauit. Quo obtento, diu quiete pacificeq; uixit, atq; regnauit. Sed ut est mens hominum uacua atq; mutabilis, elatus fortunę afflatu, non contentus eo tantum regno, & statu (erat enim imperij ualde cupidus) ad altiora mente prouolauit. Proposuerat nanq; sibi atq; decreuerat, Romæ, totiusq; Italiæ imperium occupare. Ex quo primo populum Romanum ad seditionem contra Bonifacium nonum urbis Præsulem excitauit. Qui ex urbe fugatus, Viterbium se recepit, sed tamen non propterea tunc urbem ingredi, nec ea (ut iam animo conceperat) potiri ualuit, quoniam maior populi pars ei aduersata est. Verum postea tempore Gregorij xij. per Pontificis absentiam maiori usus populi fauore, facto in

Carolus Hungarie rex contra Iohannã.

Seditio populi Romani contra Bonifacium nonum Pont.

facto in urbem impetu, eam occupauit. Mox ulterius progressus, Florentiam subiugare contendens. Florentini, qui in libertate uiuere soliti erãt, nec seruitutis iugum ullatenus pati uolebant, procuratione cuiusdam uirginis, & adolescentulæ, cum qua ipse rex Vladislaus consuetudinem habebat, ueneno illum de medio sustulerunt, ex quo seipsos, & Italiam oẽm à metu & tyrannide liberarunt. Vladislao itaq; rege, qui & Lancilagus uulgo dictus est, sine liberis uita functo, qui per annos xxix. in regno Appuliæ imperitarat, Iohanna soror succedens post mortem eius, regnum obtinuit. Quæ Principũ quorundam consilijs, & adhortationibus amicorum impulsa, Iacobo Picenno comiti nupsit. Is quum minime ex eius uoluntate regni curam ageret, repudiatus ab ea, atq; regno est deiectus. Susceptum itaq; regni onus ipsa aliquandiu tenuit, donec principes idẽ, & duces regni, utpote quibus iniquum muliebre imperium, & indignũ uidebatur sine rege esse, maximo studio orantes petũt, eligeret uirum aliquẽ, quem è Republica censeret, & cuius eos imperij pœnitere nõ posset, filiumq; sibi adoptaret. Aliorum uota ad Alphonsum Arragonię regem id rei deferebant, ab alijs Ludouicus Andagauensium dux, non minori fauore excipiebatur. Dum hæc iactantur, interea, & in quascunq; sententias trahuntur ea diuersitate animorum. Alphonsus uir summus quidẽ ingenio, & nominatissimus ea ætate princeps, re præterea cognita ad id maxime edoctus instructusq;, prior in Appuliam aduolat, priori enim (ut aiunt) potior solet esse conditio, sicq; sine ullo certamine à regina adoptatur. Veruntamen uergente tempore (ut est rerum humanarum status inquietus) simultates primum inter eos oriri ceptæ, eó deinceps creuerunt, ut maioribus indies odijs inter se certantes maximos æstus, atq; motus excitarent. Alphonsus tamen utpote, quem tum ira iustior, tum maior populi fauor armabant, quum tot indignitates ferre nequisset, obsedit tandem eam in Neapolitana urbe. Regina cum in eo statu res suas uideret, ut appareret uicti finem imperij, & summæ rerum adesse, legatos repente cum literis in Galliam mittit, ad accersendum Renatum Regem, Ludouici fratrem, ut maximis itineribus cum copijs ad eam obsidionem soluendam properaret, cui etiam adoptionis iure Appuliæ imperium promittebat. Facto igitur ingenti exercitu & maximis Gallorum copijs, confestim Renatus in Siciliam & Appuliam irrupit, regina facile ab obsidione defensa. Mox ab ea (Alphonso tamen prius tanquam ingrato è familia dejecto) adoptatus est, & uniuersi regni hæres institutus. Non multo post temporis, quum Alphonsus & reginam mortuam, & Renatum regno se immiscuisse aduerteret, ingens bellum, quod annorũ quatuor spacio diductũ est, aduersus eum excitauit, quem tandẽ eadem uariante fortuna uicit, regnoq; exuit. In quo quũ ipse postea per duos & uiginti annos uixisset, moriens postremo, Ferdinandum unicum filium, (licet non legitimum, neq; populo acceptũ, regulisq; charum) & bellicis rebus maxime insignẽ hęredẽ ex testamẽto cauit. Quẽ & Pius Pontifex

Vladislaus rex, dictus Lãcilagus, ueneno sublatus.

Iacobo Picẽno nubit Iohanna.

Alfonsus princeps in appuliam uenit, & à regina adoptatur.

Renatus Gallus adoptatur post hunc.

Alphonsus superat Renatũ

Alphõsus moritur, Ferdinandus succedit.

maximus Apoſtolica autoritate in imperio confirmauit. Eo cognito, Iohannes Renati filius, & Ludouici regis Francorum cõſanguineus, tum Andagauenſium dux, ingenti mox coacto exercitu, & maximo copiarũ numero Appuliam, infeſtis ſignis petit. Sequebatur eũ pluribus copijs, ac mercenario milite, & Iacobus Piceninus comes, ſagaciſſimi ingenij, & bellicis artibus ea ætate factisq; clarus, cui totius exercitus ſumma cõmiſſa erat, ubi cum omnia repente uario tumultu ac metu impleſſet, regnum fermè totum breui in fidem ſuam recepit. Defecerant nanq; ad eum Tarentinus, Veſignanus, Ruſanus, Soranus, Atteus, Salernusq; Princeps. Ad hoc Dux Venuſinus, Marchio Crotonenſis, comes Campi Baſſi, cęteriq; ferè omnes Sicilię, atq; Dauniæ optimates, uerſis in Regem armis. Ferdinandum autẽ dux Dandi, cum duce Melfæ, comes Fundi cũ Ariano comite, Matalunaq;. Item Caraphi, Diamedi nobiles Neapolitani, & alij pauci ferè ſunt ſecuti. Qui quum omnes hinc & inde ad bellum præparati, inſtructiq; eſſent, agrum Sarnianum ſibi ad pugnam elegerunt. Quó itum, diſpoſitis ex utraq; parte aciebus, ordinatisq;, cõcurſum eſt, certamenq; ingẽs atq; acerrimum cõmiſſum, in multam diem proceſſit. Multi utrinq; deſiderati ſunt. Victoria tandem penes Gallos, ad comitẽ Iacobum ſtetit. Ferdinandus uero fugatus, amiſſis caſtris, ac impedimentis, cũ paucis admodum Neapolim aufugit. Quod quũ Pius ſecundus Romanæ tunc libertatis, & Chriſtianæ fidei cuſtos cognouiſſet, ueritus, ne ſi Galli Appuliæ regnum occupaſſent, uictoria elati (ut ſui moris eſt) libertatem Italiæ adimerent, unà cum Franciſco Sforcia Mediolani duce Federicum Vrbinatem, & Alexandrum Sforciam cũ maximis copijs in Regis auxilium mittendos expediunt. Qui quũ Abrutium intraſſent, comes Iacobus cũ Gallico exercitu eis fortiter occurrit, quo in loco prope ciuitatem quæ dicitur ſancti Fabiani, bellum maximum, & certamen atrox initum eſt, in quo Galli profligatis hoſtibus præclaram uictoriam (licet non incruentam) cõſecuti ſunt. Quo audito Ferdinandus rex, qui Neapoli commorabatur, timens ne Galli ibidem eum obſidione præmerent, Reginam in urbis tutelam dimiſit. Ipſe uero cum Gallicis pariter, & domeſticis armis reſiſtere nõ poſſet, regno fermè uniuerſo amiſſo, in oppidum Baretis cum paucis ferè copijs aufugit. Sed Piceninus audita Regis fuga, relicto in Abrutio ualido præſidio, ne inde nouus hoſtis erumperet, Ipſe cum copijs eum ſecutus ad Baretim oppidum, quo Ferdinandus erat, aduolauit. Interim uero Pius Pontifex, unà cum Sforcia Mediolani duce, coacto nouo exercitu, quem in Regis Ferdinandi auxilium miſerunt, ſed uijs ab hoſte præcluſis, & occupatis itineribus minime pertranſire potuerunt. Maior tum Pium cura inceſſit, quare externa aliqua uirtute, & claro duce opus eſſe ratus (id quod maximum in ea re uidebatur) Scanderbegum Epirotarum, Macedonumq; Principem, tunc multi nominis, & unicum Romanæ ſedis cultorem, patris præterea olim cõſuetudine, nec ipſi Ferdinãdo ignotũ acciri in Appuliam cũ exercitu ſuo omnes

Bellum Ferdinandi cum Iohanne Renati filio.

Certamen inter Italos & Gallos.

Victoria Gallorum.

Fuga regis ex Neapoli.

omnes ſententiæ decernunt. Tantum momenti in uno uiro erat. Nam à parte maritima ueniens prohiberi non poterat ab hoſte, ſed quũ opus foret copijs ex Italia uenientibus iter referaret. Non poſſum proinde nõ mirari hoc in loco (uerũ ingenue fatebor) atq; iniquo animo ferre, eam ſcriptorum in claros uiros ingratitudinem, qui quũ bellum hoc paſſim tanto ſtudio exoluerint, de Scanderbego, ne uerbum quidem additũ inueniam, tanq; non maxima ipſe fuerit belli huius appendix, & unicus (ut ita dixerim) regni eius aſſertor, & liberator, ac regiæ libertatis uindex. Quem Rex ipſe Ferdinandus quoad uixit, & patrem deinceps ſalutauit, & ei ob merita, ingentia q; præmia uirtutis, urbem Trani cum duobus haud ignobilibus Appulorum oppidis æque grato ac liberali animo dono dedit. Quippe poſtea ſemper ex quo infœlici fato, cum paterno eorũ imperio res ceciderunt Albanæ Scanderbegi poſteri tenuere, & hodie licet ex aliqua parte intueri. Interim uero Oratores Pij Pontificis, Sforciq, ac Ferdinandi Regis, cum literis ad Scanderbegum applicuerũt. Quem exhortabantur, rogabantq;, ut cum exercitu & copijs ad ipſum Regem Ferdinandum amicum ſuum liberandum, tutandumq; trajicere properaret. Quod quum Scanderbegus accepiſſet, ut erat ſacroſanctæ Apoſtolicę ſedis ſtudioſiſſimus, non immemor præterea amicitiæ Alphonſi regis, cui ſumma fuerat beneuolentia deuinctus, perbenigne hoc munus, negociumq; conſiciendum ſuſcepit. Igitur florido milite, robuſtoq; exercitu confeſtim in Dauniam trajiciens ſe contulit. Verum priuſq; è regno diſcederet, cũq; caute, cũq; callide & celeriter potuit, cum Mahumete Turcarum principe compoſuit, & annuas cum eo inducias fecit. Reliqua uero omnia imperij ſui (ut oportebat) diſpoſuit atq; firmauit. Cuius regimẽ & tutelam uxori, ac quibuſdam proceribus amicisq; commiſit. Quo facto, Goicum ex ſorore nepotem, uirũ armis factisq; clarum, atq; ſtrenuũ cum quingentis electis equitibus in Siciliam, quæ eſt circa Pharum, præmiſit, ut prius inde hoſtem infeſtaret. Dehinc ipſe poſt crebras ſupplicationes, & orationes pro uictoria, ſua, ſuorumq; incolumitate ad Deum peractas, exercitum ſuum præmiſit, partim in portum Dyrrhachinum, partim in Achrolyſſum, ſeu Mediam, & in ſinum Rizicum ad naues & triremes, quas Pius Pontifex cum Sforcia duce ex Italia in Apuliam trajiciendum miſerant. Reliquum uero copiarum in Aſcriuium, indeq; Raguſium ſecũ ad naues deduxit. Sed anteq; ulterius procedã, parũper hinc à propoſito digredi conſtitui, & urbẽ Raguſinã quoquo modo poſſim, deſcribere enitar. Eſt enim Raguſium hac tẽpeſtate, quod alio nomine Epidaurum uocitant, urbs (ut quibuſdã placet) in Liburnia ad mare poſita, quæ noualia ipſa, & portũ ſatis accõmodatum habet, in cuius defenſione turris munita cõſtructa eſt, eius ambitus ultra mille paſſuũ excurrit. Arcẽ inexpugnabilẽ habet montibus hincinde cinctã, opere, arte & manu egregie munitã, tẽplis referta eſt urbs, ædificijsq; ornata magnificis, fontes ingẽtes ac perennes in ea per fiſtulas & aquarũ ductus cõtinue ſcaturiunt. Quæ qui-

Ingratitudo quorundã ſcriptorum in claros uiros.

Ferdinãdi gratitudo in Scanderbegum.

Legati Pontificis ad Scanderbegum.

Deſcriptio urbis Raguſinæ.

Quę quidem ciuitas optimatium moderatione, ac ciuili regimine utitur. Fundatores eius Epidaurenſes primos fuiſſe perhibent. Agrũ uero non amplum, ſed montuoſum, ſaxoſumq́, cum duobus oppidulis poſſidet. Raguſinus populus, & ciues, cum omni gente pacem & commertium habent. Tributa Hungaris Turciſq́ ſoluunt. Principem ſexto quoq́ menſe ſibi deligunt, quem lingua peculiari Cheneſium uocant. Mercimonia tam terra, q̃ mari undiq́ ſuis nauigijs conuehunt, cæteros q́ Dalmatiæ, & Liburniæ populos opibus, & reliquis bonis, atq́ uirtutibus facile ſuperant. Qui etiam quum liberi ſint legibus, moribus q́ inſtructi, Venetorum more Senatum, & Magiſtratus, ac Patritiorum ordinẽ habent à plebe diſtinctum. Patritij ſoli Rempublicam ipſam adminiſtrãt. Plebs autem ſuis rebus ſtudet, & de Rebuſpublicis minime curioſa eſt. Sed iam ad propoſitum redeo. Quũ enim Scanderbegus Raguſium peruenisſet, populus frequens omni ad hoc effuſa ciuitate, ſummo cum plauſu & lætitia ei obuiam proceſſit. Qui in urbem ab illis deductus honorifice, liberaliterq́ acceptus eſt. Poſtridie poſt ſolennia, & diuina de more peracta, uniuerſam urbẽ circuiuit, alio uero die ad naualia armamentaria, arcem, omniaq́ urbis munimenta uiſenda perrexit. Quartus uero dies in uarijs diuerſisq́ ludorum, ac ſpectaculorũ generibus conſumptus eſt. Sequenti uero in Senatũ deductus, donatusq́ pluribus, ac diuerſis muneribus, & in concione publice laudatus eſt, nam Dauid quidam Raguſinorum ſcriba ſic, ut ferũt, laudibus Scanderbegũ proſequutus eſt: Neſcio quod hodie, Scanderbege Princeps illuſtris, urbi noſtræ, & populo Raguſino clarius, fulgentiusq́ ſydus, irradiantiorq́ ſtella, præſentius numen, propitiusq́ tuo benigniſſimo aſpectu, tuaq́ præſentia exoriri, appareréq́ potuerit. Vere hodierna die, qua urbem noſtram inuectus es, omnia nobis clara, omnia lucida, omnia læta atq́ proſpera euenere. Cœlum iam obſcuratum, obnubilatumq́, ſerenum, lucidum, atq́ perſpicuum tuo cõſpectu factum, redditumq́ eſt. Terra quoq́ ipſa te ingrediente, gaudere, lætari, atq́ iubilare uiſa eſt. Ciues omnes, cunctusq́ populus te tanquam Deum, & numen quoddam cœleſte conſpicere, atq́ intueri uiſi ſunt, læta nobis undiq́ iucunda atq́ feſtiua omnia perſtrepere perſonareq́ audita ſunt. Vere nos, urbemq́ noſtram, Lares atq́ penetralia, ueluti ſolis ſplendidiſſimus radius illuſtraſti, illuminaſtiq́. Nam ut primum littoribus noſtris te applicuiſſe nunciatũ, omnes ciues, ſenes, iuuenes, uirgines, mulieres, adoleſcentes, pueri, ſani, languidi, & infirmi, ad te uidendum, tuoq́ conſpectu, & præſentia perfruendum certatim cõglobateq́ accurrerunt, nomenq́ tuum Princeps Sereniſſime non tantum hic, & in Epiro, uerum etiam per uniuerſam Italiam, concupitum, exoptatumq́ eſt. Quid plura? Te Deus optimus maximusq́ rerum omnium creator & moderator in terris miſiſſe creditur, ut non ſolum in Epirum, & Macedoniam patriam illam tuam, magnorum Regum, atq́ Principum inuictiſſimorum ſedem & altricem, uerum etiã Dauniam, Italiamq́, omnium uirtutum

Mores & ciuilia Raguſinorum.

Patritij more Venetorum.

Dauid Raguſinorum ſcriba, laudator Scanderbegi.

uirtutum, & bonarum artium Reginam atq́ inuentricem, decorares illuſtrareſq́, protegeres atq́ defenderes. Ecce iam nomen tuum, Princeps inuictiſſime, ubiq́ euolat. Ecce te omnes in auxilium & defenſionem inuocant, te aſſertorem, protectorem, & liberatorem appellant. Ecce reges & princeps orbis terrę in ſui tutelam & ſubſidiũ te implorant. Ecce nunc Pius ille Dei uicarius, ac totius orbis caput & princeps cum Sforția Mediolanenſium Duce, & Ferdinando Siciliæ Appuliæq́ Rege, oratores ſuos ad te mittunt, ut in eorum auxilium, & Italię liberationem, acceleres atq́ feſtines. O fœlix patria, quæ te talem & tantũ uirum produxit. O fœlices parentes, qui te genuere. O fœlices proceres, & commilitones, qui te ducem, te rectorem, principem, & Imperatorem ſequuntur, qui tanto rege gaudent, utuntur, fruunturq́. Ibis ò Rex tremede & inuicte in Appuliam. Ibis ô lux & decus Albanę in Italiam, liberabis eam, uinces hoſtem. Viciſti iam Amurathem illum Turcarum regem potentiſſimum, qui toties Hungaricam ferocitatem & potentiam profligauit: uiciſti Mahumetem eius filium, qui tot reges, tot duces & principes, tam ſuę ſectę q̃ Chriſtianę fidei ſuperauit. Qui tot regna & imperia ſubegit, qui toti orbi timor fuit, cepiſti, obtruncaſti, profligaſti tot eorum duces, tot principes, & Imperatores. Tu enim ſolus Turcarũ timor, tu ſolus Turcas uincere noſti. Ibis fœlix inuictiſſime princeps, fœlicior redibis. Non ſic Alexander tuus Epirotes, non Pyrrhus ille Epirotarũ rex fulmen, belliq́ artifex uictores ex Italia rediere, quemadmodũ tu potens, et generoſe rex, uictor fœlixq́ in patriam redibis. Ecce populus, & ciues tui Raguſini tibi aram conſtituunt, ecce te tanq́ Deum, & numen colunt, ueneranturq́. Ecce pro te, ut uictor & incolumis redeas, preces iugiter ad Deum effundere parati. Ecce tibi urbem, familiam, liberos, quicquid habent, poſſident, ſeq́ totum deniq́ in mancipium dedunt, atq́ tradunt.

Poſtquam uero Scanderbegus à ciuibus & populo Raguſino, publice laudatus, tamdiu cum eis, & apud eos eſt cõmoratus, quamdiu uniuerſa claſſis & exercitus ibidem conueniret, quó cum ueniſſet, uarij ac diuerſi ludi & certamina peracta, atq́ celebrata ſunt. Poſtea uero Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiſcopus, qui omniũ laborũ, periculorũ, atq́ conſiliorum ſocius, atq́ particeps (uelut Eneę alius Achates) Scanderbego fuit, ad ciues & populum Raguſinum gratias exoluens, in hunc modum eſt elocutus:

Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiſcopus.

Credo equidem, Patres conſcripti, ciues optimi atq́ præſtantiſſimi, nullo humano ingenio, ſed diuino potius, urbem hanc, & mœnia fundata fuiſſe, ut unicuiq́ mortalium in ſumma eſſent admiratione. Quis enim unq́ tam eleganti fretum ſe putârit ingenio? Quis ea doctrinę copia? Quis tanta eloquentię, uel arte politus, uel natura preditus? ut eius laudes, non explicare, ſed concipere tantum, aut ualeat, aut audeat? Raguſina enim urbs, quæ alio quoq́ digniori nomine Epidaurum dicta eſt, quaſi ciuitas ſupra omne aurũ, immo omni auro dignior excellentioq́, uere,

Oratio Pauli Angeli Dyrrachini Archiepiſcopi ad ciues et populũ Raguſinum.

Raguſina urbs Epidaurum dicta.

uere, rectèq; Epidaurum appellatum: nam quæ urbs noſtra ætate? quę ciuitas huic comparari poteſt? Ea enim cunctis opibus, ac diuitijs plena refertàq; : hæc optimis moribus, & uirtutibus ac diſciplinis prædita. In ea Senatus ampliſſimus, Reſpublica florentiſſima, patres conſcripti, & ſenatores, maieſtate quadam auguſta, & uenerabili, qui cum omnibus gentibus & populis amicitiam, pacem, atq; cõcordiam perpetuo ſeruare nouerunt. Quid enim per Deum immortalem urbibus pace melius, iucundius úe? Præterea hic artes omnes liberales, Philoſophia, Theologia, Leges, cæteræq; artes, & diſciplinæ uigent. Sed quid potiſſimum de naui factiua, de mercatura (pace enim cęterarum urbium & ciuitatum dixerim) cum quibus urbs ueſtra non contendere tantummodo, ſed illas etiã longe ſuperare poteſt. Nam quę maria Raguſini mercatores non nauigant, quas terras ij non permeant, quæ loca tam abdita atq; remotiſſima, ad quę non accedant atq; penetrent? Quid igitur urbe Raguſina nobilius? Quid clarius atq; præſtantius? quę nulli ſubdita, neq; obnoxia, legibus ſuis uiuit, moderaturq; Hinc mare, inde terrã habet, agro ſatis feraci, & bene culto atq; amœno fruitur, inſulas, ſcopulos, in quibus omnis amœnitas atq; cultura reperitur. Oppida munita cum ſalinis, portu ſatis tuto accõmodatoq; utitur. Sed quid de pietate & miſericordia ueſtra in naufragos, profugos, exules, pauperes, ac mercatores dicam? Quid plura de urbe Raguſina, niſi id quod de Roma iam olim dici cõſueuerat, Aſylum eſſe mortalium & patriam, pariq; modo nunc de urbe Raguſina dicendum. Eam eſſe portum tutiſſimum, confugium, & receptaculum omniũ mercatorum, diuitum ac pauperum, ſcholam & magiſtram omnium uirtutum, exemplar, & lumen bonorum morum, decus & ornamentum totius Dalmatiæ, Illyrici, Adriatici, Aegeiq; maris. Ideo dicendum Raguſium, ſiue Epidaurũ, ab Epidaurenſibus, diuino quidem nutu hoc in loco poſitum atq; fundatum eſſe. Neq; forte quis uanus eſſet uates, ſi hanc urbem ueſtram inter cæteras maximas urbes orbis terræ altius caput alli quando elaturam prædiceret. Et cum his de imperio, armis, uiribus, potentia, uirtuteq; certaturã. Sed quid de liberalitate ueſtra Patres cõſcripti de magnificentia & humanitate dicam? Quis enim unq; mortaliũ ciues egregij, & præſtãtiſſimi, tot & tanta præclara opera, totq; beneficia ueſtra in nos dignis, ſatis extollere laudibus poſſit? De quibus mihi tacendũ ſatius puto, q; pauca dicere, uel ea frigide laudare. Quia quãto plura de his proferrem, eo maiora mihi proferenda eſſent, crederẽ equidem mihi potius diem q; materiam defuturum. Veruntamen ne omnino ingratus uidear, pro ueſtra in nos munificentia, ac liberalitate, utcunq; & quaſcunq; ualeam, poſſim úe, pro inopia, ac ingenij mei imbecilitate gratias agam, referre enim minime poſſim. Itaq; in primis tuæ ſerenitati, Princeps illuſtriſſime, tuoq; ſublimi conſilio, benigniſſimoq; Senatui, atq; Reipublicæ infinitas ac immortales ago gratias. Deinde uobis ciues egregij atq; præſtantiſſimi, huius almę atq; magnificę urbis: poſtremo uobis omnibus cuiuſ-

Raguſium altera Roma.

bus cuiuſcunq; generis gradus, & conditionis, quibus polliceor, Deum teſtor, fidemq; meam obſtringo, quod ob ueſtra in nos beneficia collata, uosq;, nomenq; ueſtrum, urbisq;, ſemper, & quoad uixerimus, & nomẽ Epiroticũ durabit, animis, mentibus, & cordibus noſtris, oſſibusq; medullitus fixa inhærebunt, & in Archiuo, uiuoq; lapide ſculpta atq; inciſa, ſemper apud nos permanebunt. Quę nullus unq; caſus tollet, aut aliquas ętas delebit, nosq; filijs, ac nepotibus noſtris, ijq; filijs ac nepotibus ſuis ea referent atq; prędicabunt. Quamobrem in præſentiarum Deum ſummum optimumq;, qui omnium benefactorum ac bonorum operum retributor optimus eſt, exoramus, obſecramusq;, ut ipſe uobis pro tot ac tantis ueſtris in nos beneficijs condigna merita, & æterna præmia retribuat atq; cõdonet. Vos regnum, imperiũ ueſtrum, urbem, Senatũ, Rempublicam, liberos, opes, familiam, nomen ueſtrum, perpetuo conſeruet, corroboret, cõſolidet, atq; cõfirmet. His à Dyrrhachino præſule dictis, milites Albani, quod dici ſuperfuit, in haſtiludijs, alijsq; uarijs ac diuerſis certaminibus & ſpectaculis ad finem perduxerũt, iuſſi mox ut omnia quæ ad nauigationem opus erant, expedirentur. Iamq; ſatis omnibus inſtructis, præparatisq;, & re iam nõ ultra recipiente cunctationem, in animo ſibi eſſe Raguſium, claſſe undiq; traducta, eodemq; omnibus peditũ equitumq; copijs contractis quę prima dies, curſum nauibus daret, Deo bene iuuante in Appuliam traiecere. Igitur circum oram maritimã, Caſtriotus miſit, ut naues & triremes quæ ex Italia ad comportandum exercitum eius uenerant, Raguſium omnes contraherentur, quicquid præterea militum nauium q; ſuarum in Epiri Macedoniq; littore erant, ibidẽ cõuenirent, ut nec urbs multitudinem hominum, nec portus naues capere poſſet. Tantusq; omnibus ardor inerat, in Appuliam traijciendi, ut non ad bellum duci uiderentur, ſed ad certa uictoriæ præmia. Ex Epiro autẽ & Macedonia milites undiq; acciuerat omnes. Quantum uero militum in Dauniã transportatũ ſit, diuerſæ ſunt opiniones: aliqui quinq; millia peditum, duo millia & ducẽti equites; alij duo millia peditum, tria millia et quingenti equites in naues impoſita: quidam nõ adiecere numerum: inter quos me ipſum in re dubia poni malui. Tantamq; multitudinem cõſcendiſſe naues aiunt, ut nemo mortalium in Epiro, Macedonia, & Illyrico relinqui uideretur. Milites ut in naues ordine ac ſine tumultu conſcenderent, Scanderbegus eam ſibi curam ſumpſit, cõmeatus imponendi, Guirizę Vladeni curã dat. Quinq; & decem dierum cibaria, è quibus quinq; dierum cocta impoſita, ut oẽs iam in nauibus erãt ſcaphas circumiſit, ut ex omnibus nauibus gubernatores, & magiſtri nauium, & bini milites in forum cõuenirent ad imperia capienda. Poſtq; cõuenere, primum ab ijs quæſiuit, ſi aquam hominibus, iumentisq; neceſſariam, in totidem dies, quod frumentum impoſuiſſent. Vbi reſponſum eſt, aquã dierũ quindecim in nauibus eſſe. Tum edixit militibus, ut ſilentium quieti, nautis, ſine certamine ad miniſteria exequẽda bene obediẽtes præſtarẽt.

Ludus in Raguſio.

De militibus in Dauniam transportatis.

Cum quinçp rostratis se ac Ginum Musachium à dextro cornu, ab leuo totidem rostratas, & Andreã Zachariam, cum Mose (tum is Imperator erat) onerarijs futurum præsidium. Lumina in nauibus singula rostratę bina onerariç haberent. In prætoria naui insigne nocturnum trium lumi num fore. Iis ędítis imperijs redire ad naues iussi, & postero die Deo bene iuuante signo dato, soluere naues. Multæ classes è Rizicho sinu, Dyrrachino portu Aulone ac toto Epiri, Illyricíçp tractu profectę erant. Cęte rę plerçcp prædatũ tantummodo ierant. Vbi uero illuxit Scanderbegus è prętoria naue, silentio per prçconẽ facto: Domine Iesu Christe, inquit, fili Dei uiui, qui ad dexteram summi Patris omnipontis in gloria ęterna sedes, qui ex nihilo cuncta à principio creasti, eacp nutu, & imperio tuo, reguntur, & moderantur, qui ab ęterno tuam sanctissimã fidem Christia nam prælegisti, tuocp prçciosissimo, ac sanctorum martyrũ, Apostolorumcp tuorũ sanguine eam miro ordine fundasti, & per uniuersum terra rum orbẽ, dilatasti, ampliastícp, cui Petrũ beatissimum & sanctissimũ uicarium tuũ, principẽcp Apostolorũ, eiuscp successores cõstituisti, quibus oĩm potestatẽ ligãdi & soluẽdi, tã in cœlo, cp in terra, tribuisti, donastícp, quorũ monitis & mandatis mortalibus omnibus, Christianis præcipue tuis, & prælectis mandasti, iussistícp, ut obedire, & fidẽ tuã catholicã, & Ecclesiã Romanã totis uiribus, & ad sanguinẽ uscp tutari atcp defendere deberẽt. Eorundẽcp iussibus atcp prçceptis, ego supplex & humilis tancp indignus de eorum grege hanc expeditionẽ & prouinciã humeris meis libenti animo suscepi, ut Ecclesiã tuam sanctissimã, urbẽ Romanã, fidem catholicam, & Italiam ab impugnatoribus & hostibus, te duce, te rectore protegerem, atcp pro uiribus defenderẽ, liberaremcp. Itacp Pater omnipotens & misericors, colende, tremende, inuoco, deprecorcp, ut cœptis meis annuas, & dexterã, brachiumcp tuum mihi porrigas, & emittere digneris Michaẽlem Archangelum, sanctissimum bonorũ nuncium atcp ministrum tuũ, qui sit mihi propicius, mecum cp die noctucp cohabitet, (est enim mihi uenerandus) uires, robur, fortitudinẽ suggerat, suppetet, atcp ministret, quo faustum fœlixcp mihi sit iter atcp nauigatio ista, & sospes incolumiscp in Appuliam cũ uniuerso exercitu me trajciã, fugatiscp hostibus, atcp profligatis perduellibus compos uoti mei saluus, incolumiscp in patriã, & ad lares meos uictor, spolijs decoratus, pręda onustus triumphans reuertar. Post hãc deprecationẽ factã, mox Archiepiscopus rem diuinam fecit, & celebrata missa, tuba signum dedit proficiscẽdi, uento secundo satis uehemẽti profecti, celeriter è conspectu terræ ablati sunt. Sed haud multo post orta nebula eos contexit, operuitcp, ita ut uix concursus nauium inter se uitarent, cum qua tamen hoc modo ad noctẽ uscp sequentẽ nauigarunt. Iam insulam augustã cernebãt, gubernator Scãderbego ait, si iubeat eó dirigi: uidebat enim uim uentorum oriri, cõtinuecp addi, & mare in maximam tempestatem concitari. Cui cum Scanderbegus annuisset (erat enim autumno tẽpore) classis omnis portum intrauit,

Deprecatio Scanderbegi ad Deum an teqũã solueret

Quo iactis

quo iactis firmatiscp anchoris, interuallo octo dierum ibidem commorati sunt, ob ingentem procellam, uim uentorum, & maris tempestatem: qua sedata, uento secũdo flante, post rem diuinam peractam (erat autem sub matutino tempore) sole iam orto, & leuatis anchoris, naues omnes è portu soluerunt, quæ per totam illam diem cũ nocte sequenti nauigarũt. Vbi uero illuxit, omnia littora Appuliæ apparuerũt. Scanderbegus, quę esset proxima terra percunctatus, cum montẽ Sancti Angeli is uocari audisset: Placet, inquit, huc dirigite naues. Est enim mihi Archangelus Michaël peruenerandus, qui ut in conspectu terra fuit, precatus Deum, uti bono suo, sociorumcp Appuliam uiderit, dare uela iussit, classiscp decurrit, breui temporis spatio terræ applicuit, ubi postea ipse cũ Archiepiscopo, & quibusdã militibus è naui desiliens, speculatores præmisit, ut sicubi hostes uiderent illi renunciarent, qui ad eũ reuersi, non procul abesse nunciarunt. Scanderbegus interim sumpto cibo, refocillatiscp corporibus, cum suis ad naues redijt, & Baretim oppidum uersus, nauibus cursum dirigere iussit, quæ dum secundo uento nauigant Baretis oppidũ intrarũt, copiæ omnes in terram expositæ sunt. Verum quum dux Iohannes unà cum comite Iacobo uidissent Scanderbegũ tam ingenti instructocp exercitu, in regis Ferdinandi auxilium uenisse obsidionem deseruerunt, & cũ copijs suis ad xxx. ferè millia passuum procul inde secedentes, castrametati sunt. Interea Ferdinandus uidens se ab obsidione liberatum, & hostem iam discessisse, præ gaudio urbẽ egressus, Scanderbego obuiã processit. Qui ambo in mutua oscula cõuenientes, inuicem amplexi (manantibus utrincp lachrimis) ingenti omniũ plausu & lætitia Baretim ingressi sunt. Vidisses tunc cõmotam effusamcp uniuersam ferè urbem, Castrioto obuiam ire, ciues oẽs, festiuos, & alacres permixtim, certatimcp, cuiuscunqp sexus & ætatis in forum, & ad prætorium concurrere, nihil aliud per urbem sentiri, nihil per uicos & plateas diu noctucp audiri, nisi uoces exclamantium, & de aduentu Albani principis iubilantium. Hinc oppidanos urbem egredi, & naues adire. Inde Albanos, urbem, & mœnia petere, per agros & uicos discurrere, diuersa peragere, nonnulli equos sternebant, præparabantcp alij frena, quidam arma, aliqui tela, unusquisque officium suum exercebat. Nemo ociosus aut iners, quilibet aliquid operabatur, & omnes ad bellum se accingebant, ac si eo tempore pugnaturi cum hoste forent. Mane autem facto, Epirensis prædatum cum quibusdam copijs suis agrum eorum qui ad hostes defecerant, proficiscitur, & magna conuecta prędа in Baretim reuertitur, quam omnem inter milites suos & oppidanos diuidundam cõcessit. Sub serũ uero diei, omnes milites suos in concionẽ uocat, quos ad pugnã sic accendit, sic pro uictoria exhortatur.

Baretis oppidum.

Ferdinandus Scanderbego obuiam prodit.

Memini me aliquando, uiri fortissimi, & commilitones mei strenuissimi, audiuisse, Bellizarium illum ducem, & imperatorem Bizantiorum, cum in Belgas siue Anglicos expeditionem ageret, & magna classe aduersus eos proficisceretur (quos etiam obtinuit) ut primum copias suas in

Exhortatio Epirensis ad suos pro uictoria.

terram expoſuiſſet naues omnes incendio, combuſſiſſe, arſiſſeq́, ne forte milites ſui ſpe & cõmoditate earum detenti animũ redeundi in patriam haberent, & pro uictoria conſequenda totis uiribus, & ad ſanguinẽ uſq́ minime pugnaturi, uincti non uictores eſſent, quod quidem milites mei amantiſſimi haud abſimile ualde nobis ab his hoc tempore contigiſſe clara luce intueor. Nos uero procul à domo, à patria tranſmare, in hoſtili terra inter omnia inimica, infeſtaq́ ſolo alieno, omni ſpe ac commoditate ad propria redeundi deſtitutos penitus eſſe, in eoq́ loco res noſtras ſitas ut maneamus, an redeamus hinc, deliberare minime poſſumus, cum præter equos, arma, & animos, armorum memores, nihil nobis relictum ſit. Quinimo ſalus uitæ nobis adempta eſt, niſi de hoſte pręclarã inſignemq́ uictoriam reportemus. Sed bono quidem ſimus animo milites, cum diuino nos nutu, ac uoluntate huc omnes conueniſſe uideam, quo Chriſti patrimonium, domumq́ eius, eccleſiam, ac ſedem ſuã tueamur, atq́ protegamus, qui de cœlo nobis uictoriam facilem & expeditam mittet. In cuius nomine & uirtute pugnaturi cum hoſte, illum profligabimus, uictoresq́ in patriam reduces, & incolumes triumphando redibimus. Cuius rei (haud dubium eſt mihi) cum ueſtram primum ſolitam uirtutem, fortitudinemq́ in memoriam reuoco, cum tot uictorias à uobis partas, tot de hoſtibus clades & ſtrages æditas ante oculos propono. Ideo fretus uiribus, uirtuteq́ ueſtra humeris meis hanc expeditionem libenter ſuſcepi, utpote qui alios longe maximos ualidiſſimosq́ exercitus, & copias fundere atq́ proſternere ueſtra uirtute conſueui, quo magis milites mei fortiſſimi ſtrenuiſſimiq́ has paruas copias, hunc debilem exercitum & hoſtem in fugam conuertetis, atq́ profligabitis, qui (ut uidiſtis) ad nomen ſolum noſtrum priuſquam nos uiderit (ut ita dixerim) manusq́ nobis conſeruerit, fugam arripuit, & obſidionem deſeruit. Reliquum eſt igitur milites, ut ipſum timidum, & iam fugientem inſequamur. Sed aduertite quæſo, quod ſi forte hoſtis iſte, timidus, atq́ imbecillis, nos expectare uelit, manusq́ nobiſcum conſerere, (quod non credo) uelim ei in primis illudamus, & leuibus excurſionibus, aſſiduisq́ hincinde prælijs, atq́ crebris infeſtationibus ludificemus, illumq́ feſſum omnino reddamus. Quo facto, tunc aut internecioni (ſi placuerit) dabimus, aut uiuum facile capiemus. Eſt enim is graui armatura, grauiq́ onere, & ſarcina prępeditus, atq́ armatus, equos habet cataphractos, qui nec nos ad perſequendum ſunt habiles, nec ipſi ad fugiendũ ſunt apti. At uero nos omnes (ut cernitis) tum armis expeditiſſimi ſumus, tum equos citiſſimos uelociſſimosq́, & ad omnia promptiſſimos habemus. Proinde commilitones mei amantiſſimi, ſtrenuiſſimiq́, quilibet ueſtrum ſe accingat, arma, tela, equos, cæteraq́ ad pugnam neceſſaria pręparet, quia Deo duce, craſtina die in hoſtẽ egrediemur. His dictis, Albani milites, qui iam uotis omnibus pugnam expetebant, magis atq́ magis accenſi, mane prima luce, audita prius re diuina dato ſigno tubę omnes inſtructi, paratiq́ cũ Aquilis & ſignis

Pugna Scãderbegi cum Picinino et Gallis, eiusq́ victoria

& ſignis ſuis in campum aduerſus hoſtem prodiere. Cum quo non totis copijs, non acie inſtructa, nõ ſeruato bellandi ordine concurſum eſt, ſed perleue admodum certamen tentatum. Placuit enim Albano principi eo die prælibare tantummodo pugnam (ut qualis pugnator hoſtis foret, quantumq́ armis ualeret, ſe oſtenderet. Qua certe pugna & certamine ex Gallico exercitu xxx. cæſi, xx. capti ſunt: ex Albanis uero & Epiroticis militibus nullus captus, uulnerati iij. qui omnes lęti admodum & alacres è prælio redeuntes uictores, feſtiuiq́ Baretim ingreſſi ſunt. Altera autem die Scanderbegus cum rege Ferdinando conuocatis ducibus, & caſtroſtrum pręfectis, tam Italis, quàm Albanis, conſilium inierunt, quid agendum, an tota acie cum Gallis pugnandum, aut in Abrutium eundũ eſſe ad uias, clauſtra, & itinera copijs Pij, & Sforţię reſerãda aperiendaq́, quæ in ſubſidium regis (ut iam ſuperius diximus) miſſæ fuerant. Tandẽ hæc uicit ſententia, in Abrutium proficiſcendum, ut cõtractis omnibus in unum copijs, tota acie cum Gallis dimicaretur. Poſtq́ uero omnibus ſuffragijs decretum eſt, ut in Abrutium ad ſociorum ſubſidium recipiendum iretur, edictum omnibus militibus, tam regijs, q́ Albanis, ut ſe accingerent, præpararentq́. Commeatumq́ quinq́ dierum coctum ſecũ deferrent. Quo facto, relicto in urbe præſidio, omnis exercitus cum rege & Scanderbego egreſſus eſt. Qui quum in conſpectu Gallorum præterijſſent, in Abrutium recta progreditur, nec ab hoſte motus aliquis factus. Sunt qui dicãt, regios nocturno tempore tacitos clam abijſſe. Quo poſtq́ itum eſt, aggreſſis undiq́ hoſtibus, qui aditum cuſtodiebãt exim prouiſo, & præter ſpem, à tergo, à fronte, & ex omni latere profligatis, cæſiſq́ pro maiori parte, atq́ captis, aditus, & itinera ſocijs præſidioq́, cui Fœdericus Vrbinas dux, & Alexander Sforţia præerant, reſerata, apertaq́ ſunt, ex quibus omnibus poſtq́ unus exercitus cõflatus, atq́ in unũ redactus eſt, propè Vrſaram Appuliæ oppidum quod in regis poteſtate erat, caſtrametati ſunt. Quo ex loco Albanus princeps relicto rege cum Italico exercitu ſuis tantummodo copijs Baretim petijt, ueritus forte, ne comes Iacobus (ut erat callidus & ſagax) quoquo modo eam urbem ad deditionem ſolicitaret, uel eó accedens, armis expugnaret. Vbi cũ omnia ex arbitrio ſuo ſe habere comperijſſet, compoſitis rebus inde abſceſſit, & cum comite Iacobo, ducéq́ Iohanne ſuis copijs tota acie confligere, atq́ pugnare decreuit. Quos cum ad pugnam prouocaſſet, illi certamen non detrectarent hincinde inſtructis copijs in campũ progrediuntur. Scanderbegus exercitum ſuum in tres diuiſerat partes, quarum uni Moſen à Dibris præfecerat, alteri Giurizam ex ſorore nepotem, uirum ſtrenuum probumq́, tertiam uero, qua cum comite Iacobo concurrere uolebat, ſibi retinuerat. His itaq́ ſic ordinatis, premiſſis de more Aquilis, & ſignis ſuis, dato ſonitu tubæ, pugnam cum hoſtibus acerrimam iniit, quos ex tribus partibus aggreſſus, per totam ferè diem cum his pugnauit. Cæterum uti iam conſtituerat cum aſſiduis prælijs, & crebris certaminibus

Vrſara Appuliæ oppidum.

Scanderbegi exercitus in tres partes diuiſus.

hincinde hoſtem ſæpe ſæpiuſcꝫ infeſtans, iamiam ſeſſum, debilemcꝫ red didiſſet, id quod ſperauerat facile ſubſequutū eſt, nam in eo prælio ex hoſtibus multi interfecti, capticꝫ uiui fuerunt. Ex Albanis autem & Epiroticis pauci admodum cæſi, plures uulnerati, nullus ferè captus. Verum cum Piceninus, qui rem bellicam callebat, aduertiſſet, Scanderbegum cū Albano milite bello armiscꝫ ſuperiorem eſſe (ut erat callidi ingenij) excogitauit, ſi Scanderbegum conuenire & alloqui poſſet, forte cum eo actu-
rum facturumcꝫ, ut ab armis deſiſteret, pugnamcꝫ dirimeret. Igitur ipſe aciem egreſſus ante alios, Caſtriotum clara uoce proprio nomine appellauit, inuitans, roganscꝫ eum, ut ſecum colloqueretur. Cuius ſermonem colloquiumcꝫ Scanderbegus (ut erat mitiſſimi ingenij, animicꝫ intrepidi, ut hominem agnouit) haud abnuit, & alios prætergreſſus, uirū adijt. Ambo itacꝫ duces extra caſtra prodiere, ibi in medio locus conſpicuus undicꝫ, ne quid inſidiarū eſſet, delectus, ubi ſummotis pari ſpacio armatis, congreſſi ſunt. Comes Iacobus conſpectu Scanderbegi admiratione propè attonitus cōticuit, & coniectis luminibus, defixiscꝫ oculis ſemper in eum inſpiciebat. Scanderbegus prior depoſito enſe, armiscꝫ, inermis accedens ad illum, & ex tranſuerſo medium ſumptū manibus (erat enim modicę ſtaturę) è terra in altum ſuſtulit, quem more ſuo oſculatus, mox leniter depoſuit. Tum comes Iacobus, ut dictis factiscꝫ omnibus ad fallendum inſtructus, uana accreſceret fides, grandem rem, multacꝫ cum eo acturū, curaturumcꝫ ſimulabat. Promittebat enim facturū, ꝙ Galli aut regni Appulię prouinciam omnino deſererent, & in Galliam reuerterentur, aut omnes trucidarentur, Ferdinandus cꝫ rex, imperium ſuum quiete tranquillecꝫ poſſideret. Dicebat ſe ſatis noſſe, quod ſi ijdem Galli, qui & natura inſolentes, ſuperbicꝫ erant, & odio natiuo in Italos ferebantur, Appulia potirentur, nō tantum ea contenti eſſent, uerumetiā totius Italię imperium ſibi uendicare uellent, cuius homines ac ſeruos ut iumenta haberent. Hæc & plura alia comes Iacobus cū Scanderbego ſe acturū, curaturumcꝫ promittebat. Quę tum in regis Ferdinandi cōmodum & honorem, tum ipſius Scanderbegi principis ingentē gloriam & utilitatē uerterentur. A quo in primis petijt, ut receptui cani, & milites ſuos à pugna ceſſare iuberet. Quod & ipſe facere paratus erat, quo exercitus utrincꝫ à labore, & cōtinuo pugna reſpirarēt, quieſcerentcꝫ. Cū hi per integrū ferè diē iam dimicaſſent, aſſerens hoc maxime ex lege, et Italica cōſuetudine artis militaris, ſacręcꝫ militię fieri, ſeruaricꝫ, ſed quia iam tenebrę terrā occupabant, & nox inſtabat, militescꝫ omnes hincinde ſeſſi erant, ſatius fore, ut utercꝫ exercitus in caſtra rediret, & locus quieti daretur. Scanderbegū uero hortabatur, rogabatcꝫ, ut is mane cum paucis equitibus (ne res duci Iohanni, Gallisćꝫ patefieret) aſſignato ei loco quo conueniret, ad ſecū colloquendum omnino reuerti deberet. Quæ quidem omnia comes Iacobus non minus ficte & ſimulate, cꝫ doloſe cum Scanderbego agebat. Molitus enim Piceninus fuerat, Scanderbegum aut iuſidijs uiuū capere,

Colloquium Scanderbegi & Piceninī.

Comes Iacobus ficte multa cū Scanderbego agit.

aut omnino

aut omnino obtruncare (rem profecto ſuapte natura deformem atcꝫ impiam) uel ſaltem longo deducto ſermone diem conterere, qua deſtinata iam pugna ſolueretur, certamen dirimeretur, ne Albani qui iamiam palmam & uictoriam in promptu, & præ manibus habebant, ſecum reportarent, ſecꝫ cum exercitu ſuo ab huiuſmodi iniuria et ignominia liberaret ſaluaretcꝫ, cum aliter effugere minime poſſe uideret. Cui cū Scanderbegus ob uiri nomen autoritatemcꝫ fidem cꝫ maximam præſtitiſſet, eiuscꝫ dictis atcꝫ poſtulatis puro ſyncerocꝫ corde credidiſſet, libere ingenuecꝫ obſecutus eſt, qui & receptui cani, & milites ſuos à pugna ceſſare iuſſit. Interim uero Moſes & Giuriza, præfecti caſtrorum Scanderbegi, iamdudum fugatis cæſiscꝫ hoſtibus, quatuor armatorum militum acies captas ad Epirenſem perduxerunt. Quas cū Piceninus uidiſſet, erubuit, & mente turbatus atcꝫ cōfuſus obmutuit. Qui tandē in ſe collectus, callide atcꝫ uerſute his uerbis Albanum principem ſic eſt adorſus:

Oratio Piceni ni ad Caſtriotum.

Scanderbege Princeps illuſtriſſime & generoſe, uideo (quod & pariter admiror) præfectos & milites tuos contumaces tibi eſſe, & rebelles, ualdecꝫ irreligioſos. Hi enim (ut noſti) poſt edictum noſtrum, quod pariter uno eodemcꝫ ore atcꝫ cōſenſu fieri iuſſimus, ut per omnia hincinde caſtra milites à pugna deſiſterent, acies has meas, & milites edicto noſtro illico libenti animo parentes agreſſi perturbarūt, oppreſſeruntcꝫ, & ſumma cū ignominia dedecorecꝫ, eos ad te pertraxerunt, quod ualde iniquū atcꝫ iniuſtū, & cōtra fidē atcꝫ decorē tuū mihi eſſe uidetur. Nihilominus ego tum fidei tuæ, tum uirtuti plurimum confiſus, te enim ſemper magnifice, inuictiſſime Princeps, quod fidē tuā & promiſſa ſemel mihi præſtita (ut quencꝫ Principem & magnanimum uirum decet) te nunc quocꝫ ſeruaturū nō deſpero. Quamobrē Scanderbege Princeps generoſiſſime peto abs te, ut has meas acies, & milites, quos tui duces & prefecti huc ad te cōtra ſacrā militię diſciplinā tancꝫ captiuos trahūt, impune & incolumes dimittas, mihicꝫ armatos reſtituas. Quo in hoc quocꝫ ego fidem tuā, animi magnitudinē atcꝫ liberalitatē, quā de te ſemper Princeps generoſiſſime prędicare audiui, nūc oculis uideā, clarecꝫ perſpiciā. Adhęc Albanus Princeps in hāc ferè ſententiā reſpondit: Non poſſum equidē Comes Iacobe nō admirari, te uirū clarū & illuſtrē, iſta nō minus leuia, cꝫ ab omni prorſus ueritate aliena, uel credidiſſe, uel dixiſſe, ꝙ milites mei & duces poſt edictū noſtrū tuas acies inermes, et nihil tale timētes, uiolata fide, prę ter ſacrę militiæ cōſtitutiones aggreſſi oppreſſerint, maximocꝫ dedecore atcꝫ ignominia ad me pertraxerint. Nam uidiſti (nec inficiari poteſt) ut primū cōuenimus milites mei & prefecti, priuſcꝫ edictū noſtrū deponendi arma, et ceſſandi à pugna, ad uniuerſum exercitū perueniſſet, tuas acies quas fortiſſime pugnādo deuicerant, ad me (ut iam uidiſti) perduxerūt, quod an adeò iniuſtum tibi uideri poſſit, nō ſatis ſcio. Nam ſi per totam ferè diē (ut dixiſti) pugnatum eſt à nobis, quo nam pacto fieri potuit, ut tā breui ſpatio edictū noſtrū ad oēs caſtrorū partes ubicꝫ peruolauerit?

Reſpōſum Caſtrioti ad Piceninum.

Et adhuc amplius quod magis me mouet, quod milites, & prefecti tui ui dentes acies meas, & armatas, & pugnantes, ipsi arma deposuerint, & à pugna cessauerint. Quo dum (ut dicis) religiosissimi scilicet homines, et mandatorum tuorũ obseruantissimi esse malunt, turpius oppressi in captiuitatem traherentur, an inuiti potius belli sorte superati uictoriæ cesserunt, & seruitutem merito subierunt. Preterea quod milites nostros contumaces & irreligiosos appellas, sanè est mirandum. Siccine igitur ego cũ ijs ipsis, & paucissimis quidem quandoq; (absit temeritas uerbo) tot Barbarorum & Turcarum ualidos exercitus fudissem, & tot duces eorũ fortissimos, & principes conuersos in fugam cepissem, si istiusmodi essent, quod diuino certe auxilio, nulla uirtute, nullo ingenio humano effici potuisset. Nam quod ad obedientiam & ordinẽ militarem attinet, illud ausim dicere me ductorem, & commilitonem suum magis etiam ab eis timeri, q̃ ipsi à uobis. Propterea si de legionibus istis & militibus ita insignẽ facilemq; uictoriam cõsecuti sunt, nihil est quod eos accuses, nihil quod de me cõqueraris, sed tum belli fortunę, tum imbecilitati, atq; tuorũ ignauiæ imputes, liberalitatem tamen meam, & animi magnitudinem, quam (quæ est ingenij tui bonitas) mihi tribuis, hodie non desiderabis. Quod enim acies istas tuas, quę merito nobis iure belli, & captiuitatis cesserunt, cupis, ut gratis, & incolumes tibi restituam, atq; donem, nihil frustra petieris. His enim quibus superstitibus in bello esse contigit, ego nec uitam nec libertatem eripere consueui. Memor præterea illius egregij & præclari facinoris, quo Pyrrhus ille meus Epirotarum rex in Romanos usus, qui cum eorum exercitum in his campis acriter pugnando profligasset, captiuos omnes, quos ceperat (ut magni & generosi animi erat) dono, gratisq; misit, atq; concessit. Eius sanè præclarum dictum illud ad Romanorũ legatos extat, qui ad ipsum pro redimendis captiuis uenerant. Nec mi aurum deposco, nec mi precium dederitis, nec cauponantes, sed belligerantes, ferro, non auro, uita certamus utriq;, uos ne uelit, an me regnare hera. Quidũe fert sors, uirtute experiamur, & hoc simul accipe dictum quorum uirtuti belli fortuna pepercit, eorundẽ me libertati parcere certum est. Dono ducite, doq;, uolentibus cum magnis Dijs. Duc proinde tu quoq; captiuos tuos gratis potius, q̃ aliquo iure causę princeps nobilissime, te petente cũ Deo optimo maximoq;. Sat enim mihi est illos ferro uicisse, quibus iterum Deo iuuante uirtute, fortitudineq; militũ meorum me potiturum haud animus deest. Fuere autem hi ad centum milites, quos Scanderbegus armatos omnes dimisit, Piceninoq; donauit. His peractis Piceninus cum copijs suis in castra se cõtulit, Castriotus uero in Barim oppidũ reuersus est, qui summo mane consurgens, sumptis secũ septem tantũ equitibus (ut iam promiserat) urbem egressus ad comitem Iacobum alloquendum, conueniendumq; ad locum, quo constitutum fuerat, ire pergebat. Cui quidam de hostili exercitu, qui occulta consilia, & insidias aduersus Scanderbegum præparatas nouerat, in itinere occurrit,

Pyrrhus Epirotarum rex.

Centum milites armati à Scanderbego dimissi.

occurrit, & aperiens ei omnia, quæ Piceninus ipse in illum molitus fuerat, admonebat eum, ne ulterius progrederetur, ne in insidias à comite Iacobo ei instructas incideret, præcipitaretur q̃. Nam locus ad quem accedere uolebat, ut comitem Iacobum conueniret, insidiarũ atq; armatorũ plenus erat, ut eum caperent, aut trucidarent. Quo missi à Scanderbego equites exploratores q̃ ad speculandum, omnia prout relata fuerant uera inuenta sunt. Detectis itaq; omnino insidijs, ac patefactis fraudibus comitis Iacobi, Castriotus clara uoce Piceninum de dolis & insidijs suis increpans atq; redarguens, fœdifragum appellans, in crastinum ad ineundam pugnam & certamen illum prouocauit, qui nec uerbum respondit, sed circa primam noctis uigiliam collectis sarcinulis & uasis (ut aiunt) cũ duce Iohanne, & Gallis arrepta fuga in remotiora loca, dehinc Nuceriã concessit, ueritus ne eadem nocte ipse à Castrioto adoriretur. Audiuerat enim illum sæpissime nocturno tempore hostem aggredi solitũ esse. Verum Epirensis exorta iam luce instructo ad pugnam exercitu suo, in campum propalam descendit, quo cum comite Iacobo uniuerso exercitu cõcurreret. Eo autem non inuento (fugam enim arripuerat, castraq; uacua atq; deserta reliquerat) tum hominis perfidia, tum rei ipsius indignitate impensius est cõmotus. Ratus itaq; id magno aliquo & audaci facinore uindicandũ, Baretim reuersus est, qui ubi omnia disposuit atq; firmauit, cõfestim ad regẽ Ferdinandum, qui Vrsaræ cũ Italico exercitu & copijs erat, cõtendit. Est enim Vrsara oppidũ Appulię, quod in dorso mõtis positũ, octo millibus passuũ à Nuceria distat, à Troia uero quatuor, à mõte autẽ Segiano sex: distabant autẽ uterq; exercitus ab inuicẽ octo millibus passuum: erat enim medius mons Segianus, qui ab urbe Troia per duo miliaria, à Nuceria uero sex distabat. Nam (ut fama ferebat) qui montẽ illum & tumulum cepisset prior, ille erat futurus superior in acie, quum propter loci opportunitatẽ ad bellum peragendum, prosequendumq;, tum rerum omnium maximã cõmoditatem. Ad quẽ occupandũ anteq; comes Iacobus proficisceretur, milites suos in hunc modũ est allocutus:

Castriotus Piceninum fœdifragum uocat.

Descriptio Vrsaræ, Nuceriæ Troiæ, Segiani montis.

Non me fugit milites, quãta sit uirtus & fortitudo uestra. Nec per singula rerũ uestrarũ gesta immorari atq; discurrere nũc opus esse uidetur, quũ omnia mihi manifesta & in aperto sint posita. Verũ ne ab alto exordiar, pauca in præsentiarũ tantũmodo in mediũ afferre de uobis cõtentus ero. Nonne uos estis milites, qui Ferdinandũ regẽ cũ copijs suis æquo cãpo collatis signis toties fudistis atq; profligastis? quẽ & in urbe regia Neapolitana, & postea in Bareti oppido obsedistis, & uniuerso regno Appuliæ Siciliæq; spoliastis, & expulistis. Nonne præterea milites uos ij estis, qui exercitus, & præsidia Pij Pontificis, & Francisci Sforciæ ducis Mediolani, quę in auxiliũ regis Ferdinandi ueniebãt, nõ semel tantũ, sed bis in fugam cõuertistis, obtruncastisq;? Quid supereſt igitur, milites, ut & Appulię, & totius Italię imperiũ uobis uendicetis? Quis resistet? Quis obuiabit uobis? Ferdinandus rex iã fatigatus à uobis, fugatusq;, arma, &

Oratio Piceni ni ad exercitũ suum.

arma,& furorem ueſtrum fugiens,de imperio iam deſperans,neſcio quo in angulo hucuſq; latitauit. Nunc uero quia hoc præſidij quod uidetis ei allatum nobiſcum bellum non gerere (quia impoſſibile ei) ſed tentare tantummodo contra nos uelle uidetur. Sed heu miſerrimum, & inſoeliciſſimum hominem,aptum ad fugam potius,q; ad pugnam, uictus ſemper à uobis,nunq; uincet,profligabimus eum abſq; dubio cũ omni preſidio,ſuppetijs,& auxiliaribus ſuis,delebimus, & ad internecionem dabimus,aut illum (ſi uolueritis) captiuum cum omnibus faciemus,uel è regno fugatũ omnino,& expulſum deijciemus. Eſtote itaq; milites bono fortiq; animo atq; intrepido,& de uictoria certi,quam (ut uidetis) in manibus habemus. Vincere enim nos ſoliti, ſemper uincemus. Fata enim uobis Appuliæ regnum iam promiſerunt. Decretũ,conſtitutumq; iam eſt milites,hæc omnia uobis à ſuperis euenire. Sed quid Appuliæ tantũ? Verumetiam totius Italiæ imperium uobis promitto,urbes omnes,municipia,caſtella,diuitias habetote,ueſtraq; ſint. Vos ô Galli uiri fortiſſimi,& fortunatiſſimi,terror & pauor Italiæ,totiuaq; orbis. Vbi Romani triumphatores mũdi,quos toties æquo campo tota acie ſemper ſudiſtis & profligaſtis? Vbi Roma totius mundi caput? Nonne à uobis capta incendio conflagrauit? Omnes Patritios & Senatores in ea trucidaſtis. Vos Chriſtiani,uos Macometani,uos omnes ſectæ, gentes, & Barbaræ nationes ſummopere uerentur,timens,& ad nomen tantum ueſtrum & famam fugiunt. Vos bellatores ueri eſtis, uos fatales,uos diuini, uobis non ſolum Appuliæ,Italiæ,ſed uniuerſi orbis imperiũ à Deo promiſſum eſt. Itaq; milites bono,forti,& conſtanti eſtote animo. Hoſtes quos uidetis (pudet enim hoc uobis referre) nihil penitus timeatis, quos hinc ad modicum temporis interuallum omnes captiuos ueſtros fore promitto, aut (ſi uobis placuerit) obtruncare licebit. Eorum diuitias,ſpolia,equos, impedimenta ueſtra erunt. Hoſtes noſtri & aduerſarij fugituri potius, q; pugnaturi ſunt. Res cum fugitiuis nobis erit, non cum pugnacibus. Nec hunc Scanderbegum ô milites Epirotarum principem, qui nuper ex Epiro & Macedonia cũ Epiroticis ſuis nudis & inermibus militibus contra nos in regis auxilium huc traiecit quicquã timeatis, aut exiſtimetis,quia ipſe cum agmine ſuo & militibus primo impetu à uobis fuſus, profligatusq; erit. Sunt enim inermes Epirotæ omnes,& nudi,quos noſtri ſcloponarij,& ſcorpionarij prima fronte et ictu de medio tollent atq; proſternent. Sed puto illos potius latituros eſſe,q; pugnaturos, quia cõ ſueti & apti potius hac illac circuncurſare,& diſcurrere,q; pugnare. Res non cum Turcis eis agenda erit,aut cum Aſiaticis mollibus, & effœminatis hominibus,ſed cum fortiſſimis uiris, & ſtrenuiſſimis militibus, & indomitis Gallis,qui omnes graui armatura armati ſunt. Equi noſtri cataphracti omnes. Itaq; milites minime perdurare in pugna poterunt,ſed à nobis fugati trucidabuntur,ex quibus uictoriam cum triumpho proculdubio reportabimus. Nunc uero Ferdinandus uictus expugnatus, ac omni

Laus Gallorum.

ac omni regno deiectus atq; priuatus erit, qui tentat tantummodo nunc nobiſcũ bellũ. Hic eſt eius ultimus conatus. Nihil ô milites ei aſtutię ſuę proderunt. Omnia eius conſilia & auxilia in irritum cadent, huic bello finem imponemus,urbes,agri,cętera omnia ueſtra erunt milites. Vos cũ liberis,coniugibus,poſteriſq; ueſtris hæc omnia perpetuo poſſidebitis.

Properat Picenimus ad occupandũ montem Segianũ, quem prius à Scanderbego præoccupatũ inuenit.

Poſtq; comes Iacobus his finem fecit,properans ad occupandũ montem Segianum,illum à Scanderbego iam præoccupatũ inuenit. Ex quo mœſtus princeps admodum in caſtra reuerſus de uictoria (ut aiũt) diffiſus,Caſtrioto illam adiudicauit. Qui tamen (ut erat callidi ingenij, rerumq; militarium peritus) ad confirmandum militum animos,conuerſus ad ſuos:

Exhortatio Picenini ad ſuos.

O ſocij,inquit,& cõmilitones mei amantiſſimi,ſtrenuiſſimiq;,nunq; certe de uictoria diffidendum,neq; deſperandum eſt, nuſquam euentus incertior,quàm in bello. Quum totum iſtud,quicquid eſt uictorię, in incerto ſit,& in manu (ut aiunt) fortunæ. Proinde fortiter & intrepide incumbamus,in hoſtem irruamus,& cum eo acerrime dimicemus, ut uel uitæ prodiga uirtus,uel belli ſors aliqua nos tandem ſuperiores oſtẽdat.

His ęditis,Picenimus decreuerat,ut contractis iam undecunq; copijs in unum,& Gallico præſidio tota acie,totisq; uiribus cum Albano principe decerneretur. Hoc facto pronunciant ambo, arma expedirent milites,animosq; ad ſupremum certamen, non in unum diem, ſed in perpetuum,ſi fœlicitas adeſſet,uictores Iohannes dux. An Ferdinandus rex iura Appuliæ daret,ante craſtinam forte noctem ſcituros uniuerſæ Dauniæ,Calabriæq; regnum uictoriæ præmium fore. Par periculum præmio quibus aduerſæ pugnæ fortuna fuiſſet. Nam neq; Albanis effugiũ ullum patebat in aliena terra,ignotaq;. Ad hoc diſcrimen procedunt poſtero die duo longe ſtrenui principes,duo clariſſimi duces, duo fortiſſimi exercitus,multa ante parata decora,aut cumulaturi eo die, aut euerſuri. Anceps igitur ſpes,& metus miſcebant animos,contemplantibus modo ſuas,modo hoſtium acies cum oculis magis quàm ratione penſarent uires,ſimul læta,ſimul triſtia obſeruabantur,quæ ipſi ſua ſponte non ſuccurrebant,ea duces admonendo,atq; hortando ſubijciunt. Scanderbegus primo decem & octo annorũ ſpatio in terra Aſiatica, Macedonica, Thracia,& Epiro res geſtas,tot duces Turcarum,& Mahumetanę ſectę, tot exercitus occidione occiſos,& ſua cuiq; decora, ubi ad inſignẽ alicuius pugnę memoriam uenerat,referebat, comes Iacobus in Piceno,Appulia,& Italia recentia prælia. Ad hoc colloquium Caſtriotus in ſecreto habitum,ac liberum fingẽti qua uelit flecti, ominatur, quibus quondam auſpicijs patres eorũ pugnauerint. Ad Mocreum, Tumeniſtum,& Modriſſum,ea illis exeuntibus in aciem portendiſſe Deum, adeſſe finẽ belli, ac laboris in manibus eſſe prędam Gallici,Picenini q; exercitus uictoriã, reditum domũ in patriam,ad parẽtes,liberos,cõiuges, penatesq; Deos, adeò celſus hæc corpore,uultuq; ita lęto, ut uiciſſe iam crederes, dicebat.

Summa bellorũ, quæ geſſit Scanderbeg intra annos decem & octo.

Inſtruit

Instruit deinde primos pedites, scloponarios, post eos scorpionarios, ac sagittarios, cum funditoribus, hastatis Illyricis, cum Epiroticis permixtis postremam aciem clausit. Non cõfertas autem cohortes ante sua quęq; signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo cataphracti hostium equites, & grauis armaturæ accepti, nihil ordines turbarent. Regem cum Appulo & Italico equitatu à sinistro cornu, Mosen, Giurizamq; à dextero oppositi, uias patentes inter manipulos antesignariorum Dibranis suis, & Macedonicis (ea leuis armatura erat) compleuit. Dato præcepto, ut ad impetum Gallorum equitum & cataphractorum, aut post rectos refugerent ordines, aut in dexteram, leuamq; discursu applicantes se antesignanis uiam, qua irruerent in ancipitia pila, & tela, Gallico equitatui, & hostili equiti grauis armaturę darent. Comes Iacobus ad terrorem primum tormenta super currus, & quadrigas imposita instruxit, dehinc sclopos, scorpionariosq;, ac pedites longis hastis permixtos, in secunda uero acie Appulos, modico interuallo relicto, subsidiariam aciem, auxilium Ligurum, Brutiorumq; militum instruit. Equitatum etiam ipsum circundedit cornibus, dextrum Galli, sinistrum Itali tenuerunt. Varia hinc & inde exhortatio in utroq; exercitu erat, inter tot homines, quibus non lingua una, non mores, non lex, non arma, non uestitus, habitusq;, non causa militandi eadem esset, auxiliaribus & præsens, & multiplicata merces ex præda ostentatur. Galli proprio atq; insito in Italos odio accenduntur. Liguribus campi uberes Italię deductis ex asperibus montibus in spem uictoriæ ostentantur. Alijs aliæ spes ac metus iactantur. Appulis mœnia patriæ, Dij penates, sepulchra maiorum, liberi, cum parentibus, coniuges pauidę, aut excidium, seruitiumq;, aut uictoriam, & Appuliæ imperium, nihil aut in metum, aut in spem, medium ostentatur. Cum maxime hæc Imperatores & duces exercitus hincinde suarum quisq; gentium ad suos milites agerent, tubæ, cornuaq; ab Albanis cecinerunt, tantusq; clamor simul ortus est, & pariter uno eodemq; impetu atq; uelocitate in hostes concursum, ut citius primam aciem oppressérunt, q̃ hi tormenta sua potuerint (celeritas enim q̃ plurimũ in re bellica ualet, sæpenumero consilium præuertit, ordinemq; disturbat atq; confundit) Nam equi tormentorũ tanto sunt terrore perculsi, ut in suos sinistro maxime cornu conuerterentur. Italis addidit facile Moses & Giuriza perculsis terrorem, nudaueruntq; ab ea parte aciem equestri auxilio. Pauci tamen equorum cum tormentis in hostem acti intersclopnariorum, scorpionariorum, & peditum ordines, multis acceptis uulneribus, ingentem suorum stragem ędebant, nanq; dextero cornu ipsorum Gallorum equites in fugam uerterunt. Rex Ferdinandus, ut turbatos uidit hostes, addit pulsis terrorẽ, utrinq; equite nudata erat Appula acies, cum pedes concurrit, nec spe, nec uiribus par. Igitur primo impetu extemplo mouere loco hostiũ aciem Albani. Ala deinde, & umbonibus pulsantes in summotos gradu illato aliquantum spacij, uelut nullo

Bellum Scanderbegi cum Gallis.

resistente

resistente incessere, urgentibus & nouissimis primos. Vt semel motam aciem sensere, quod ipsum uim magnam ad pellendum hostem addebat, apud hostes auxiliares cedentes secunda acies Appuli, & Ligures, adeò non sustinebant, ut cõtra etiam ne resistentes pertinaciter primos, cedendo ad se peruenirent hostis, pedem referret. Igitur auxiliares terga dant repente, & in suos uersi, partim refugere in secundam aciem, partim non recipientes cedere, uti pauloante non adiuti & tunc excluſi, & propè duo iam permixta prælia erant, cum Appuli simul cum hostibus, simul cũ suis cogerentur conserere manus, non tamen ita perculsos, iratosq; in aciem accepere, sed densatis ordinibus in cornua, uacuumq; circa campum, extra prælium eiecere pauidos fuga, uulneribusq; milites, ne certam & integram aciem miscerent. Cæterum tanta strage hominum armorumq; locum in quo steterant ante auxiliares compleuerant, ut propè difficilior transitus esset, q̃ per confertissimos hostes fuerat. Itaq; qui primi fuerũt hastati per tumulos corporũ, armorumq;, & tabẽ sanguinis, qua quisq; poterat sequentes hostem & signa, & ordines confuderunt. Scorpionariorum sagittariorumq; signa fluctuare cœperant, uagam ante se cernentes aciem, quod Scanderbegus ubi uidit, receptui propere canere hastatis iussit, & saucijs in postremam aciem subductis scorpionarios sagittariosq; in cornua inducit, quo tutior firmiorq; media hastatorum acies esset. Ita nouum de integro prælium ortum est, pugna atrox, & prælium utrinq; maximum fit. Cadunt non rari, ex utraq; parte certamen in integrum diem protrahitur, Mars fluctuat, uictoria modo hinc, modo inde flectitur. Quippe ad ueros hostes peruentum erat & armorũ genere, & usu militiæ, & fama rerum gestarum, & magnitudine uel spei, uel periculi pares, sed numero Scanderbeganus superior erat, & animo, quod iam equites leuis armaturæ, iam cataphractos fuderat, iam prima acie pulsa, in secunda pugnabat. In tempore Moses & Giuriza pulsos per aliquantum spacij secuti equites, reuertentis in aduersam hostiũ aciem, incurrere. Is demum equitum impetus perculit hostem, multi circumuenti, unaue cęsi, per patentem circa campum fuga sparsi, obsidente omnia equitatu, passim interierunt, Appulum, sociorumq; cęsa eo die supra quatuor millia, mille fermè uiri capti sunt, cũ signis xxv. militaribus, uictores ad mille cecidere. Comes Iacobus cũ duce Iohanne paucis equitibus inter tumultum elapsus perfugit, omnia & in prælio, & ante prælium priusquam excederet pugna expertus, & confessione etiam Scanderbegi, omniumq; peritorum militiæ, illam laudem adeptus, singulari arte, aciem eo die instruxisse uisus est, tormenta enim in prima fronte posita, quorum fortuitus impetus, atq; intollerabilis uis, signa sequi iussa, & seruare ordines, in quo plurimum spei ponerent, Albanos & Epirotas prohiberet. Deinde auxiliares ante Gallorũ aciem collocati, ne homines mixti ex colluuione omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent, simul primũ hostium excipientes impetũ, illos fatigarent,

Appuli cũ suis, & cum hostibus manus conserunt.

Victoria incerta.

Appulium et sociorum quot millia cæsa.

Comes Iacobus fugit.

ac si nihil aliud,alijs missilibus,alijs uulneribus suis ferrum hostium hębetarent. Tum ubi omnis spes esset milites Gallos,Brutioscꝫ fuisse collocatos,ut omnibus rebus alijs pares,eò quod integri cum fessis ac saucijs pugnarent,superiores essent. Appulos interuallo quocꝫ diremptos,incertos,socij an hostes essent,in postremã aciem summotos. Hoc ædito uelut ultimo uirtutis opere,comes Iacobus cũ perfugisset,incognitus, errãscꝫ hincinde per Italiam,uilissimo indutus habitu latitauit, donec à Francisco Sforcia Mediolanensium duce dolis atcꝫ blanditijs pellectus, falsiscꝫ deceptus nuptijs,eius gener factus, moxcꝫ ad Ferdinandum regẽ tancꝫ amicus missus,ab eo necatus, diem suum obijt. Dux uero Iohannes à regijs & Scãderbeganis militibus persecutus, Troiam uix aufugit, qui per sunẽ tractus in urbẽ exceptus est,indecꝫ latẽter noctu ad mare Ligusticũ sese proripiens,nauimcꝫ conscendens,iterũ in Galliam reuersus est. Scanderbegus confestim expugnatis hostium castris,direptiscꝫ, cum ingenti præda Neapolim unà cum rege Ferdinando clarissimo triumpho inuectus est,deductis in triumpho captiuis. Tum patuere facta gratulatione omnia in urbe templa,supplicationes decretæ,ludi cuiuslibet generis, & conuiuia publice per urbẽ undicꝫ triduo celebrata sunt. His itacꝫ æditis profligato hoste,de illocꝫ uictoria fœlicissime potita,decreuit Ferdinandus simul cũ Albano principe instructis copijs omnibus uniuersum regnum Appuliæ,Calabriæ,ac Siciliæ obequitare,ac perlustrare. Quo urbes,ciuitates,oppida,& loca omnia quę ad hostem iam defecerant,uendi caret,recuperaretcꝫ. Hoc facto, omnia breui in fidem Castrioti recepta sunt,& in potestatem regis redacta. Nam ij oẽs Scanderbegi fidem, magis cꝫ regiam sunt sequuti,uerebãtur enim in ditionẽ regis uenire,et fidei suę sese cõmittere. Timebãt nancꝫ eum,ne propter rebellionẽ, quam fecerant,& uiolatã regi fidẽ,se omnino perditũ ire. Verum Scanderbego fidebant,cꝫ si ipse fidẽ suã,publicamcꝫ tum de eorũ salute, tum liberorũ ac bonorum suorum promitteret,ne quicꝫ mali sibi euenturum esse, sed à rege salutem,incolumitatem suam,suorumcꝫ omnium,necnon impunitatẽ,ac indemnitatẽ penitus cõsecuturos sperare. Quapropter sic omnia à Scanderbego rege recepta,ac breui uniuersum regnũ est recuperatum. Verum unum tantummodo expediẽdum in prouincia supererat, quod à Scanderbego persacile admodum expeditum fuit. In urbe enim Trani Siculus quidam Fusianus nomine erat,uir strenuus atcꝫ bellicosus, quẽ rex Ferdinandus iampridem antecꝫ,Galli in Appuliã irruissent, cũ præsidio ibidem miserat,copijscꝫ præfecerat. Qui dũ uniuersa prouincia incẽdio,Gallicocꝫ tumultu æstuaret,arderetcꝫ, libertatẽ in urbe occupauit, & tancꝫ tyrannus in ea factus est,putans regem,qui iam à Gallis è regno ferè deiectus fuerat,amplius imperium in ea,necꝫ potestatẽ uendicaturũ. Ad quẽ maxima ex omni colluuiõe manus cõfluxerat,quotidiecꝫ cõfluebat ob prędę cupiditatẽ & dulcedinẽ,quã cõtinue per prouinciã agebat. Quæ omnia quum Scanderbegi aures pulsassent, communicata re cum Ferdinando

Comes Iacobus à fuga Latitat in Italia uilissimo habito.

Dux Ioannes fuga sibi consulit.

Triumphus Scanderbegi & regis Ferdinandi.

Ferdinando rege,ipse relicto eo cũ Italico exercitu in campo, modica tantum suorum manu delecta,ad Fusianum proficiscitur,qui quũ Scanderbegum ad se euntem uidisset,ei occurrit,& utercꝫ aciem egressi, ex equis desilientes,remotis hincinde pari spacio & interuallo militibus,ad inuicẽ colloquendum congressi sunt. Scanderbegus uero prior sic illum breui bus alloquitur: Fusiane uir egregie & præstans,non dubito quin ad aures tuas iam peruenerit,profligato,cæsocꝫ Gallorum exercitu, omnia in regis potestatem peruenisse. Tu tantum solus (nescio enim quo spiritu, qua mente ductus) ab eo tam alienatus es, ut regiæ potestati ac uoluntati resistere uidearis,qui iam & amicus eius, & præfectus eras, quod non possum non summopere admirari., Sed mi Fusiane,si audieris me,profecto multa tibi bona & commoda consequi poteris. Nam si tu iterum in regis amicitiam & beneuolentiam redire uolueris, quod omnino (si tibi mens sana) faciundum est,honores,dignitates, præfecturas (me duce & autore) tibi à rege non defuturas promitto,dummodo urbẽ Trani cum eius arce in regiam potestatem tradas. Sin autẽ alia mens,aliuscꝫ animus est,tibi tancꝫ hosti & inimico regis bellum indico, atcꝫ propono,cuius profecto iram atcꝫ indignationem quo pacto te effugere possis, non uideo. At Fusianus qui aura populari, & fortunæ afflatu elatus, insolens atcꝫ audax factus fuerat,Scanderbego respondisse,dixissecꝫ fertur: Non prius se dimissurum regi urbis Trani possessionem, cꝫ ab ipso omnia & integra stipendia consequeretur,quę à tempore, die & hora aduentus ad illum sui hucuscꝫ cum eo meruerat. Præterea primam post regem præfecturam, præter hæc alias quocꝫ conditiones regi potius imponere,cꝫ ab eo petere uolebat. Quæ omnia tum contra honorem, regiscꝫ decorem, tum Scanderbegi dignitatem erant. Et tandem ipse multis conuitijs,obprobrijs,atcꝫ contumelijs,tam in regem, cꝫ in reginam,prorupit. Quæ quancꝫ oĩa Scanderbegus ęgreferret,cõcoquere illa nõ ualens,ira atcꝫ indignatione ualde cõmotus,manus in eum injciens apprehẽdit. Ad quẽ Standerbegani milites confestim cõuolantes sine motu & resistentia Fusianorum in uincula coniecerunt,secumcꝫ abstulerunt. Qui quũ se captiuum Scanderbegi esse perspexisset,ueritus ne in manus regis traderetur, statim à Scanderbego conditiones petit,dixitcꝫ,si ab eo libertatem & incolumitatẽ consecutus fuisset,urbem Trani cum eius arce libere & expedite in potestatem ei daturum. Quo facto,& fide data,ingressus Scanderbegus cum copijs suis quiete,pacificecꝫ in urbem,capta eius possessione, impositocꝫ ibidem præsidio firmissimo,Fusianum à uinculis solutũ libertati tradidit atcꝫ concessit. Qui cũ omni suppellectili & familia sua nauim ascendens,magno cũ honore atcꝫ beniuolentia à Scanderbego discedẽs è portu Trani in Siciliam adnauigauit. Castriotus uero uictor regis exercitui coniunctus est. Postcꝫ igitur omnia in regis ditionem & potestatẽ uenere,& uniuersum regnũ ac imperium pacatũ tranquillumcꝫ effectũ, et omnis timor et tumultus in prouincia sedatus est,rex cũ Scanderbego

Scanderbeg Fusiano loquitur.

Superbũ Fusiani responsum.

Scanderbeg urbem Trani accipit.

Fusianus abit in Siciliam.

impoſito ubiq; locorũ firmiſſimo præſidio, ouantes poſthac ad regiam urbem ambo reuerſi ſunt. Interea Oratores Pij Pontificis, ducis Mediolani, ac omnium ferè Italiæ principũ, cũ ingenti gratulatione, maximisq; donis ac muneribus ad regem Ferdinandum, & Scanderbegum peruenere. Verumenimuero, prius Pontifex ſummus longe maiora atq; excellentiora Albano principi donauit. Non enim auro tantum & argento, ac tẽporalibus rebus, bonisq;, ſed etiã ampliſſimis priuilegijs, & alijs ſpiritualibus beneficijs, ornauit, decorauit, accumulauitq;, promittens ei, ut cum primum ipſe in Epirum & Macedoniam, cum expeditione, & exercitu Chriſtiano aduerſus Turcas traieciſſet, quod breui ſe facturum proſuerat, non ſolum diademate impoſito regem illum Epiri, Macedoniæ Thraciæ, totiusq; nouæ Romæ declaraturum, uerum etiã uniuerſo Chriſtianorum exercitui, & crucefignatorum copijs omnibus præfecturum, præpoſiturumq;. His exactis iam annus agebatur, ex quo Scanderbegus cũ copijs & exercitu ſuo in Appuliam traiecerat. Videns igitur iam bello Appulo finẽ impoſuiſſe, regem Ferdinandum in ſedem & imperium collocaſſe, reliqua omnia in prouincia ex uoto abſoluiſſe, uolens in Epirum cum exercitu ſuo redire, transfretareq;, ſuper multis prius cum rege collocutus eſt multa. Exhinc Ferdinandus uero anteq; Scanderbegum à ſe dimitteret, conuocatis omnibus caſtrorum principibus, & præfectis in concionem, ſic eum eſt allocutus: Etſi unquam, Scanderbege princeps illuſtriſſime, nomini tuo deditus fui, nunc uero in præſentiarum permaxime tibi deditiſſimus ſum, plura etenim profecto, ac ſupra q̃ de te dici & prædicari ſolet, ego corã re ipſa & uidi, & iam expertus ſum. Nec mirum cum tu huiuſmodi progenitoribus, & loco originem traxeris, in uictiſſima ſiquidem Epiro, ſiue Albania, quæ quondam Macedonia dicebatur, in qua tot generoſiſſimi & inuictiſſimi principes, tot fortiſſimi & ſtrenuiſſimi duces, & imperatores orti in ea ſemper floruere, qui uel totũ terrarum orbem armis acerrime pugnando ſubegere, quibus poſtea ſucceſſiue progenitores tui, tuq; inuictiſſime princeps diuinitus, & tanquã cœlitus demiſſus, ſucceſſiſti, quo tot tantaq; præclara, & propemodum immortalia pro re Chriſtiana gereres, & fidem catholicã, orthodoxamq; defenderes, illuſtrares q;. Quid in primis de te, tuisq; rebus præclariſſimis, Princeps ſereniſſime, commemorem? quo modo tu admodũ puer apud Amurathem Turcarum principem à parente tuo in obſidem cum fratribus tuis datus, ab eoq; poſtmodum præfectus copiarum creatus, ualidiſſimos hoſtium exercitus tam in Aſia, q; in Europa fudiſti, profligaſtiq;. Quomodo tu coram eodem Ottomano principe, à fortiſſimis uiris, & ſtrenuiſſimis ducibus ſingulari certamine prouocatus, præclarã egregiãq; uictoriã ſemper reportaſti. Quomodo ingenio tuo ſingulari & prudentia oẽs eius inſidias fictas, ac ſimulatas fraudes, quas ſæpe ſæpiusq; in mortẽ tuã molitus fuerat (extinctis tñ ille prius ueneno fratribus tuis) fortiſſime, egregieq; ſemper euaſiſti, ac eximia arte illa tua, animiq;

Oratores Pij Pont. & aliorum principũ ad Scanderbegum.

Colloquiũ regis Ferdinandi & Scanderbegi.

Oratio Ferdinandi, plena laudum Scanderbegi.

inuicti

inuicti celſitudine uniuerſum regnum tuum auitum, & paternum, breui temporis interuallo è manibus eius extorſiſti, tibiq; præclare uendicaſti. Quo modo tu tot fortiſſimos, maximosq; exercitus, & innumeras eius copias, parua (ut ita dicã) manu in fugã cõuertiſti, duces & imperatores cepiſti, & obtruncaſti ipſum quoq; Amurathẽ principẽ, qui in te, copijs ſuis omnibus & maximis irruerat, tandẽ ad durã, turpiſſimamq; mortẽ cõpuliſti. Omitto præterea, quo modo tu ingentes munitiſſimosq; exercitus Mahumetis principis, qui tot et tanta mala ac damna, tot iniurias ac contumelias Chriſtianis, & Catholicæ fidei intulit, fortiſſime debellaſti. Tu ille Scanderbege princeps es, qui tum tua, tum tuorũ ferè oĩm cõfeſſione, qui tecum omnibus expeditionibus & pugnis ſemper interfuere, ſupra tria millia Turcarũ propria manu pugnando ſolus obtruncaſti. Tu es, inquã, principum inuictiſſime, quo in re tumultuaria & ſubita promptiorem neminẽ, celeriorem q; neminẽ ullus unq; uidit. Ideo te ſæpius dixiſſe memini, multitudinẽ imperantiũ nullo pacto laudandã, q; propter ſententias uarias, & diſſenſiones ſæpius Reſpublicæ magnas calamitates paſſæ eſſent, præſertim cũ in bello, req; ſubita mature facto opus ſit. Nam bellorum neceſſitates humana conſilia, & cunctationes non expectant. Cõparare enim ſoles multitudinẽ imperantium, et unius principatũ duobus animalibus, quorũ alteri plura eſſent capita, alteri uero unicũ tm̃, quę cum uenatorũ iacula fugerent, pariterq; truncũ arboris uetuſtę ingreſſę, à uenatoribus circũ datę, nõ inde aliter extrahi poſſent, niſi adhibito igni, accenſoq; trunco. Beſtia cui unum caput erat, ſubito & feſtinato conſilio in fugam ſe cõuertit, & in locũ tutum ſe recepit. At cui plura erant capita, diu cogitans, quo pacto ſibi ſalutẽ uendicet, igne correpta, ſtatim ablumpta fuit. Idem Reipublicę, ſiue populari frequẽter accidere dicis, quę longo ambitu ſententiarum atq; conſiliorũ diſtractę cadunt, labunturq;. Ex quo optimũ tibi ſemper eſt, ſi ab uno principe ſapientiſſimo cuncta regerentur. Tu ille, inquã es, cui toties equo campo, collatiſq; ſignis cũ hoſte cõgredi cõtigit. Verumenimuero alias quoq; uirtutes tuas, inuictiſſime Princeps, taceo, alia q; cõplura egregia, ac diuina propè facinora, quę cõmemorare longũ eſſet, quibus cũ omni uetuſtate, unus ętate noſtra facile potes cõtendere. Venio tandẽ ad ea, quę nuper ipſe oculis meis perſpexi. Nam quum tu, Principum inuictiſſime, omni ſublata mora iſtuc ad nos nauigaſti, cõuolaſtiq;, & hoſtis, qui nos uallo, & obſidione iam cinxerat, nomen tuum tantũ audiuiſſet, priuſq; te uidiſſet, derelicta urbis obſidione, fugã arripuit, quo timorẽ de te ſuum cunctis indicauit. Quẽ tu poſtea perſecutus eximia uirtute tua, & ſingulari ſcientia, tuorumq; ducũ, & militum incredibili fortitudine, collatis ęquo campo ſignis, iuſto prælio ſuperaſti, profligaſti, inſignemq; de eo victoriã & triumphum reportaſti. Me ingenti honore, laude, & gloria in regiam ſedẽ repoſuiſti, uniuerſum regnum, & imperium breui mihi pacatum, atq; tranquillum reddidiſti. Proinde quo fructu, qua mercede, quo præmio, quo honore, quibusue

Scãderbeg ſua manu trucidat mil lia Turcarum occidit.

Multitudo imperantium nõ laudanda.

Optimũ ſi ab uno ſapientiſſimo principe cuncta regatur

meritis, tot, tantisq; tuis in nos officijs sufficiam, non uideo, uel quonam pacto argumentū aliquod non ingrati animi aperiam tibi, non reperio. Regnū itaq; meū, & imperiū, quicquid mihi est, quicquid habeo, possideoue, quicquid ero, quū à deo discesserim, ad te refero, cōditoris, parentis loco mihi semper eris. Omnia igitur nostra, uitā quoq;, animā ipsam, & si quid altius & potentius in anima latet, in tua manu & potestate esse existimato. Ius omne, imperiumq; nostrum tibi tuisq; semper commune, nihil à te diuisum, nihil separatum, æqua nobis utriusq; pariq; lance atq; proportione sit regnandi potestas. Postq; rex his finem fecit, supplicationes decretæ, lectisternia, puluinaria turribulis cū incenso ante ianuas positis, omni effusa ciuitate erecta atq; parata. Alia quoq; diuina Deo optimo, immortaliq; pro uictoria peracta atq; persoluta sunt. Post hæc hastiludia, certamina cuiuscunq; generis, uenationes, alia quoq; spectacula edita. Quibus omnibus peractis, Rex omnes ferè Scanderbeganos milites, unumquenq; uarijs ac diuersis donis & muneribus ornauit, decorauitq;. Sed præcipue & in primis ipsum Scanderbegum principē, quem & patrem semper in posterum appellauit. Cui præcipuo amore, ac singulari beneuolentia, præter ingentē auri atq; argenti copiā, equosq; Italicos loricatos, seu cataphractos, cęteraq; arma, dona militaria egregia ac pręciosa, urbē Trani, & duo nobilissima, ac munitissima oppida in regno Appuliæ dono dedit. Quorum alterū mons Garganus dictus, ubi præclara urbs Simpontum, ac uenerabile templum in diui Michaëlis honore conditū est. Alterū uero quod diui Iohannis Rotundi appellatur. Quam quidē urbē & oppida Rex Scanderbego, & eius filijs ac posteris, cū omni agro libere dedit, atq; perpetuo possidēda, fruenda q; concessit. Pace igitur per uniuersam Dauniæ Appuliæq; regionem, terra, mariq; parta, Scanderbegus magna parte exercitus sui & militū ad naues, et triremes, quę in portu Trani erant pręmissa, ipse deinceps in mutua crebraq; cū rege oscula profusus (emanantibus utrisq; lachrymis) ab eo discessit. Qui à cōpluribus principibus & satrapis regis comitatus, per lætam pacē nō minus q; uictoria Dauniam, effusis non urbibus modo, ad habendos honores, sed incolarum, & aggrestium turba, obsidente uias, ad mare, in portum peruenit, & ueluti triumphans naues ascendit, & expectata prospera nauigatione uento secundo, mox è littoribus Appuliæ soluens, nauibus Dyrrachij portum partim, partim portum quendam qui ab incolis caput Lachi dicitur, applicantibus, saluus & incolumis cum uniuerso peruenit exercitu. Inde expositis copijs omnibus, lætus & festiuus per Epirū effusis undiq; urbibus, & agrestibus ingenti plausu, & lætitia procurrentibus omnium regiam urbem Croiæ inuectus est. Vbi omnia læta & prospera inuenit, ad quē quotidie nouę gratulationes, noui Oratores, cū donis & muneribus ex socijs, regulis, & principibus confluebant.

Ferdinandus rex parētis loco habet Scanderbegum.

Mons Garganus.

Simpontum.

Diui Iohannis Rotundi.

Caput Lachi.

Et hic finis belli Appuli xvij. anno regni Scanderbegi, qui insignis, & lętus fuit.

Marini

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Vndecimus.

DVM SCANDERBEGVS IN APPVLIA MORARE tur, antequam transfretasset, & induciæ pacis factę inter ipsum et Turcarum principem finirentur, Mahumetes per id tempus secunda usus est fortuna. Is enim nō parua additamenta regno & imperio suo fecerat. Nam multa tam à Græcis q; à Macometanis in Asia atq; Europa abstulerat. Inflatus itaq; Barbarus tanto rerum incremento, ad Scanderbegum opprimēdum (id quod animum suum semper intendit) conuersus est, contra quem Synam præfectum suum cum uiginti millibus misit, ut improuisus eum adoriretur. Sed Scanderbegus subito ab amicis præmonitus, cum octo millibus equitū peditumq; illi occurrit, & montē quendam, qui Mocres dicitur, quo ipse Synam cum exercitu suo transiturus erat nocturno tempore præoccupauit, quem ex improuiso aggressus cum omni exercitu suo fudit atq; dissipauit, quorum maior pars, amissis signis & impedimentis, cæsa est, ipse uero Synam uix cum paucis aufugit, multi ex Barbaris, qui uiui capti fuere, pecunijs redempti sunt, quas Scanderbegus simul cū reliquis spolijs, & impedimentis militibus suis donauit. Per idem quoq; ferè tempus Assambegus citra Ocridam xxx. millibus superatus uno tantummodo eodemq; memorabili prælio, uel prostratus potius, Scanderbegi non clementiam minus, quàm bellicam uirtutem sensit. Pugnans enim ipse acerrime, & omnibus circa se corporis sui custodibus occisis, equo quoq;, sed non lætaliter confosso, & ipse uulneratus est sagitta dextro brachio. Et quum in ea rerum omnium difficultate, tum tantæ cladis suę recenti memoria, atque spectaculo, tum uulneris dolore, & quod maxime cætera augebat mala, nocte superueniente obrutus, paucis circa se ex reliquijs suorum apparentibus, prout enim fors quenq; fugaq; hoste insequente tulerat, se receperant atq; latitabant lucem expectantes. Multi tamen hostem magis, quàm nocturni incommoda itineris timentes cum tenebris ipsis in tutiora loca euasere. Ille in monticulo quodam uel sylua potius, non longe à nostrorum finibus, à castris uero quatuor passuum millibus se recepit, rerum omnium, ac uiæ lociq; ignarus, sed non diu sagacitatē Epi..nsis militis latuit. Antelucanus enim explorator cū omnia perlustrasset, atq; obseruasset, ad ducem illico cōuolans, rem oēm aperit. In hoc tantummodo deceptus, quod propter opacitatem loci, & arborū densitatē, maiorē hostium numerū fore credidit, affirmauitq;, ita ut Scanderbegus ipse equū cōscendens, ad eas uictoriq reliquias expediēdas conuolaret, equitatu ferè omni sequēte. A longe ueniente Barbari cōspicati,

Syna præfectus Turcæ cū uiginti millibus uult Scanderbegum inuadere.

Assambegus cum triginta millibus superatur.

Consilium, ut inermes oēs ac pedites uictori obuiam procederent.

& mœsti omnia mœstiori duci exponentes in consilio eius non militare fortasse, imperatoriumq́, necessarium tñ, atq́ salubre consilium ineunt, ut inermes omnes pedites cū uictori obuiam progrederentur. Et ita dux autorq́ consilij multo deformatus cruore, ac squalore obsitus, non Marco Antonio absimilis, ad lepidum ex Mutinēsi clade illa fugienti, primus ante suos uadens, & ducis nostri habenas apprehendens, sola ac præclarā uoce illa, se suosq́ omnes saluauit. Immo & cultorem uix credibilem calamitatis suæ inuenit, ô Scanderbege, clamitans, quō tendis? in quē strinxisti ferrum? in quem spicula direxisti? Non semper uincere decorum, non glorioſum est, uinci patiare interdū, uinci patiare. Ita uictus melius, cū uictor uinces, & laudabilius clementiæ tuæ, cū hostilium triumphos exercituum atq́ uictoriarum numerabis. Subridens (ut moris sui erat) Epirota, & ad suos conuersus: Nihil, inquit, mala fortuna acutius: nihil necessitate prudentius, cū scite, cū eleganter uicti loquimur, quę nunc̄ sciremus uictores, & hostilem quoq́ manum apprehendens, bono animo esse iubet, nec̄ enim quic̄ uel crudele, uel seruile passurum. Deinde à se dimissum coli curariq́ acuratissime iubet, & necessarijs omnibus adiutum, à quibusdam suorū in tutissima loca deduci. Quid enim per Deū immortalem pulchrius, quidue laudabilius, cū profligato hoste, atq́ prostrato in calamitate, atq́ miseria posito, constitutoq́ illius scire, atq́ miserari uelle. Ipse cum exercitu hincinde obequitans, ubi omnia insidijs tuta cognouit, in castra se, & demum non longe à Croia recipiens, reliquā uictoriæ lætitiam atq́ uoluptatem est secutus. Iussumbeg quoq́ eiusdem & iter, & fortunam paucis post diebus imitatus est, eo præsertim cladi in iuriæq́ obnoxior, quo militum numero pauciore hostem & uictorem, & cruentū adhuc tentauit. Nam cum xvij. millibus Scopiam ingressus, Epiri quoq́ interiora penetrare conceperat animo, non tot suorum cladibus, non recenti Assambegi strage satis edoctus atq́ perterritus. Scanderbegus eius aduentu audito, miratus tantam hominum uelut certam obliuionem, uel sanguinis sui sitim, ad milites conuersus inquit: Agite dum Commilitones mei, gens laboribus, uel uictorijs potius nata, prodeamus obuiam nouo hosti, nouo imperatori, honoremus hominem nos, mihi credite, primo congressu honoraturum. Acclamationes undiq́ audite, & castris motis miles secutus. Vbi iuxta Scopiam deuentum, exploratoribus præmissis Epirensis, signo belli dato, in hostem effusis undiq́ habenis irrumpit. Irrumpentem Barbarus non animis, non consilijs satis ad pugnam paratis, tumultuandi potius cū confligenti similis excepit. Nunc̄ tantum sui contemptum, nunc̄ tantam hostilem audaciam ratus, ut sic longe fines suos egressus cum hoste, & in hostilibus locis fortunam belli experiretur. Vbi neq́ uictus cuadere, uel copias reparare, neq́ uictor satis tutus foret. Itaq́ primo fermè impetu Iussumbeg & animo & uiribus fractus, fugam arripuit. Idem reliquus exercitus nō multis uix trecentis amissis, reliquos inordinatos & palantes, eques noster in-

Vincere non semper decorum.

ster insecutus, clade insperata afflixit, quum tutam fugam in suis locis credidissent, & cæsorum corporibus duorum amplius millium numerum repleuit. Pauci uiui capti propter ducendi incommoda, ne impetus ab agrestibus fieret, & uiæ longinquitatem. Iussumbego copias instaurare paranti, & insidias quasdam molienti hosti milites non assensere, sed fugā secuti ingrati magis redire principi, cū non redire maluerunt, recenti à Scanderbegi clade exemploq́ satis excusati. Sed nunquam successor tantorum periculorum, nunquam hostis Scanderbego defuit.

Carazabeg multis copijs aduersus Scanderbegū properans, ignominiose, turpiterq́ terga uertens abijt, fugamq́ arripuit.

Carazabeg quendam Asiaticum multis expeditionibus celebrem uirum, & senem, iam ingentis apud Mahumetem autoritatis, prout apud patrem Amurathem fuerat, gloriæ huiusce dulcedo exagitabat, qualis iuuenes solet, uel mala fortuna potius, quæ semper magnis atq́ claris uiris in insidijs moratur, ut omnem ueterē gloriam, & promeritos eouscq́ triumphos Epirotica clade deformaret, utpote quem neq́ Assambegij recens infamia, spectaculumq́ nimis obprobrioſum, neq́ reliquorum idem fortunæ tenor, idem ad eam diē fortunæ cursus moueret. Is ad Mahumetē accedens: Accumulaui, inquit, hucusq́ sub te, patreq́ tuo, Princeps mi splendidissime, totidem ferè triumphos quot annos, nunc & horum, & illorum obliuio quædam, ac nausea uelut me præ tot Scanderbegi uictorijs, tot cladibus nostris, tāta Epirotica insolentia cœpit. Stat hodie mihi emerito iam militi, seniq́ omnia in alea ponere, & aut sceleratissimum illum & ingratissimū Ottomani olim captiuum domus, nunc Epiroticarum sordidum regē, tot cęsorū exercituum tuorum, tot cęsorū imperatorū debitorē uiuū, uel mortui cadauer ad hosce protrahere pedes, aut gloriā eius hac ceruice, hoc iugulo magis magisq́ illustrare. Militem itaq́ ex sententia mea cōscribi permitte imperator, & delectum fieri. Ego omnia non uelut dux, sed miles atq́ pastor hisce tractabo manibus, & in eligendo, & in instruendo exercitu solus oīm officia obibo. Bellum enim cū prędonibus est, cū maximo insidiarū artifice, & multis elato uictorijs, multis saginato spolijs, prędaq́. A Mahumete conceſſa omnia, & ad supercilium (ut aiunt) eius relata, immo & decē hominū millia addita. Ipse enim xxx. tantummodo scriptis collectisq́ ad tantā rem conficiendā iam exploratores quosdam pręmiserat. Neq́ à Scanderbego deerat id procurationis genus per prouinciā uniuersam nō Epiri solum, sed Macedonię & interiora quoq́ atq́ penetrabilibus ipsius hostilis terrę. Quare Carazabegi iter tempestiue prænunciatū, ita ut apparari omnia à nostris aduersus eam periculi molem cōmode possent. Sed Scanderbegus eis auditis, (ut ferunt) dixit: Ducem magis quàm totū exercitum timerem, ni senex esset. Melius sibi consuluisset Carazabeg noster (notissimus enim illi, & contubernalis fuerat in quadam Asiatica expeditione sub Amurathe, si ætati suæ, si fortunę identidem pepercisset defatigatę iam propter tot concessos sibi triumphos, tot dispensatas uictorias. Age dum tamen neque quinquagenarius effectum iam senem formidabo, quem infans penè olim iu-

Sentētia Scanderbegi de Carazabeg.

olim iuuenem contempſi. Paratæ igitur illico copiæ, immo & plures q̄ aduerſus Aſſambegum conſcriptę propter famam ducis, & peritiam inſignem in rebus militaribus. Et mox per Dibras in Triballorum uſq; fines (inde enim aduentus eius nunciabatur) duobus equitum militū procurſum. Qui in circunfuſis montibus de more latitantes, & hoſtem medium claudentes magis opportunum iniuriæ cædiq; haberent. A Barbaro quoq; præcurſorum quatuor amplius millia miſſa, reliquum exercitū
Chiere. in Macedoniæ loco quodam, cui Chieri nomen eſt, expectare iuſſi. Sed à noſtris quibuſdam detecti, & oppreſſi multi, occiſiq;, reliqui in fugā conuerſi, nuncium Carazebego deguſtatæ iam cladis attulerunt, antequā in Epiro appropinquaſſet. Ille itaq; ut ſenio & morbo quodam æger erat, partim eo nuncio aliquantiſper confuſus, magis animo corporeq; defecit, dolens non tantum iacturam amiſſi militis, quantum detectum ſe hoſtibus. Multa itaq; nequicq; cogitans ſecum, utrū iter ſequeretur, an iterum Conſtantinopolim rediret, in uernum tēpus reuerſurus, erat enim in fine autumni, pudore demum uincente, bellum differri non placuit. Et eo biduo iter ferè omne emenſus, prima noctis uigilia in planicie quadā,
Liuad. noſtri Liuad appellant, caſtra fixit, & omnibus per noctem peractis, inſtructiſq; ad pugnā, mane Scanderbego nuncium mittit, rogans ut collatis ſignis nō prædonis more decertare uellet. Epirenſis anum uetulamq;
Scanderbeg. Carazebeg uocat anum & uetulam. appellans, mox ſe reſponſurum dixit. Et ita dato ſigno irrumpit in hoſtē nondum paratum, ſed conſultantem quaſi adhuc, ut mos ſenum eſt, tamē pluuia ingenti in ipſis quaſi pugnæ auſpicijs ſuperueniente, facile diremptum, & nihil memorabile geſtum. Nam toto eo triduo tanta aquarum copia inundauit, quod niſi Carazebeg in montana loca mouiſſet caſtra, non ſine naufragio ſuorum res pertranſiſſet. Iumenta tam multa periere. Barbarus prodigium quoddam ratus, & opus & operam (ut aiunt) unà dimittit, & ubi primum per eam tempeſtatem licuit, paulatim ſe noſtris ſubtrahens, Epirum deſeruit, cū uere ipſo repetiturus, ſi fata credulo permittant ſeni. Qui cum reliquo exercitu ad Mahumetem peruenisſet, reprehenſum primo ac eo acriter fuiſſe ferunt, dehinc collaudatum, quod exercitum ſaluaſſet. Videns autem Mahumetes Scanderbegum armis ex pugnari nullatenus poſſe, excogitauit eum dolis inſidijs q̄ (ſi poſſet) circumuenire, & Ottomana fraude ſeducere. Itaq; nuncium ſuum cum muneribus, & huiuſmodi literis ad Scanderbegum direxit:

Mahumetis nuncius cum muneribus ad Scanderbgum

Mahumetes Begus Amire Soltanus omnium mundi partium, Orientis atq; Occidentis dominus & imperator, Scanderbego Albanorum, Epirotarum Principi S.P.D. Nullam puto Scanderbege mi, arctiorem neceſſitudinem eſſe, nullam firmiorem amicitiam, q̄ quæ à longa conſuetudine inuicem, & aſſiduo uictu emanauit, præſertim ſi ea ſit à puerili, & tenella ætate inita, ut nobis utriſq; contigiſſe non ignoras. Qui ambo à teneris (ut aiunt) unguiculis in regia patris mei cū obſes apud eum eſſes, diu unà uitam traduximus, incredibiliq; amore atq; beniuolentia, uel omni tem-

omni temporis momento tenebamur. Cum igitur Scanderbege mi, hęc omnia, & alia, quibus illa ætas noſtra delectabatur, in memoriam reuocem, præter hęc memor ego omnium, quę tu pro imperij noſtri, ac Ottomanę familię, & regni gloria, amplitudineq; ſemper geſſeris, quibus equidem non ſummopere te, & amore, & affectu quodam ardentiſſimo proſequi debeo. Teſtor enim Deos, nihil mihi gratius nihil in uita iucūdius contingere poſſe, q̄ te apud me habere, tuoq; aliquantulum frui conſpectu. Nec de aduentu ad me tuo quicq; pertimeſcas. Quod pauloante milites mei in regnum tuum irruperint, illud q̄ deprædati ſint, ij iniuſſu id, & extra imperium noſtrum fecere. Itaq; ſicut debui, maxime moleſte tuli. Neq; diſplicuit ullatenus illos ab exercitu tuo cæſos & profligatos, ſcelerum ſuorum pœnas ſoluiſſe, remq; tibi (qui iuſtam fouebas cauſam) ex animi ſententia ceſſiſſe. Verum his omiſſis, reuocata in medium priſtina amicitia, & beneuolentia noſtra, facile in hanc ſententiam ſum adductus, ut inuicem cōponamus, & perpetuo inter nos confœderemus, quo peruetus amicitia, & neceſſitudo illa noſtra, quæ propter diutinam utriuſq; abſentiam penè abolita reuiuiſcat, augeatur, confirmetur (ſi non iniquæ uidentur omnino) hę ſint pacis noſtrę conditiones, ſcio enim eius qui nō petit eſſe, leges dicere pacis. Primum enim eſt, quod à te petimus, ut exercitum noſtrum per agrum & regnum tuum ad Venetorum urbes inſeſtandas, & agrorū depopulationes libere & impune tranſire permittas. Conditiones pacis inter Turcam & Scanderbegū. Vt Iohannem filium tuum nobis in obſidem tradas, quem ut unum ſem per ex filijs habebimus. Vt mercatores & negociatores noſtri regnū tuū cum mercimonijs ſuis ubiq; permeent atq; percurrant, & ſecuri atq; immunes negociari ualeant. Prętерea ut tu ipſe ad nos ſecurus & intrepidus accedas. Quibus rebus ſi ad nutū noſtrū obſecutus fueris, regia tibi fide, regnoq; tuo uerā pacē, perpetuāq; tranquillitatē obſeruare pollicemur. Neminemq; apud nos uel fideiuſſorē, uel chariorem te unq; futurū. Regnum q̄ tuū ab ullis uel meorū, uel alijs hoſtilibus armis pro uiribus noſtris uexari nunq; permittemus. Quę uero ex ore nuncij huius noſtri, & Oratoris Muſtaphę recognoueris, plenā his adhibito fidē. Vale. Ex Cōſtantinopoli regia noſtra, vi. non. Maij, mill. cccclxi. à generatione Ieſu.

Mahumetis literis perlectis, Scāderbegus duces ſuos, & caſtrorū prę fectos oēs in concionē cōuocauit, ubi propoſuit, quid agendū, an Barbaro obtemperandum, & cū eo pacē ineundā, quibus omnibus placuit, ut icto fœdere cū Ottomano cōponeretur. Quare id nō mediocri cōmodo honori, & gloriæ Scanderbego fore uidebatur. Cum Mahumetes princeps, qui tot regna & imperia poſſidebat, tot gētibus & urbibus imperitabat, tanto q̄ fortunę afflatu ad id rerum faſtigij prouectus erat, pacem à Scanderbego peteret, ex quo ab omnibus unanimiter decretū eſt, quod reiectis cæteris conditionibus à Mahumete petitis, unica duntaxat, pacē ei cōcedendam, ut mercatores utriuſq; hinc inde immunes & liberi negociarentur. Quo facto, literæ ad Mahumetem in hunc modum datę ſunt.

Athleta

Literæ Castrioti ad Turcam de pace.

Athleta Christi Georgius Castriotus, aliâs Scanderbeg, Albanorum Epirotarumq́ Princeps, Mahumethi Turcarum Principi S. P. D. Redditæ sunt nobis literæ tuæ, Princeps illustrissime, quibus scribis, te maximo in me amore, miraq́ animi benevolentia affectum, quod testimonio antiquæ illius consuetudinis nostræ comprobari dicis, quæ longo inter nos usu coalita, & radicitus nixa, & in naturam cõuersa, uim sem per & robur obtinebit. Verum quia propter longam, diutinamq́ inter nos ueluti consopitam à somno excitare uisum, ut quoddam pacis uinculum, & nouam fœderis compositionem iniremus, cuius has conditiones proposuisti, ut exercitus tuus libere per regnum meum iter ad Venetorũ agrum depopulabundum habeat. Cui quidẽ petitioni tuæ Mahumetes Princeps consentire me neq́ ex æquitate foret, neq́ ex dignitate mea, cũ Veneti & confœderati mihi, & necessitudinis uinculo ualde sint astricti.

Iohannes filius Scanderbegi

Illud uero, quod Iohannem filium meum apud te pro obside habere desi deras, quo pax inter nos firmior permaneret: facerem id fortasse, neq́ in uitus, Princeps Mahumetes, si paternus pateretur affectus. Sed cum uni cus sit nobis, & ætate tenellus, nunc à parentum abduci cõplexibus, cum muniri, nostrisq́ moribus imbui debeat, neq́ illi, neq́ nobis conducibi le uideri potest. De mercatoribus tuis quod exigis à me, ut quacunq́ uo luerint, libere possint, & immunes per regnum meum negociari. Istud ipsum & duces ac prefecti mei omnes comprobant, & admittunt. Egoq́ unum maxime desidero, ut merces & negocia utriusq́ nostrum libere possint hincinde prouehi, atq́ expediri. Adhæc hortaris me summope re, ut adeam te. Idq́ & intrepidus, & securus, quo mutuo aspectu, consue tudineq́ tam diutinæ absentiæ nostræ desiderium repleatur. Laudo in hoc, Princeps optime, ingenij tui bonitatem, laudo naturę liberalitatem. Amplecterer itaq́ audacter consilium tuũ, si id per negocia mea & regni gubernationem, integrũ nunc mihi esset. Sed quid faciam? Est (ut iam dixi) Iohannes filius paruulus admodum, & ad imperij gubernacula mi nime idoneus. Est gens mea (ut scis) ocij impatiens, & populi feroces, & indomiti, quos regere uel ipsi mihi perdifficile est omnino. Adibo tamẽ te prout iubes, commodiori duntaxat ueniendi tempore captato. Vale, meq́ ama. Ex castris nostris, iij. kalend. Iunias, Mill. cccclxi.

Missis ad Mahumetem Scanderbegi literis, hisq́ continuo perlectis, mox Barbarus ipse alias huiusmodi ad eum dedit.

Mahumetes Begus Amirę Soltanus omnium mundi partium Impe rator, Scanderbego Principi Albanorum, Epirotarumq́, S. P. D. Dedisti Mustaphæ nuncium, & Oratori nostro literas tuas ad nos, qui bus scribis, nullam ex pacis nostrę conditionibus, quas proposueramus tibi, præter unicam tantum de mercatoribus & negociatoribus nostris placuisse, ut libere scilicet hincinde, & ex arbitrio merces ac negotia sua de uehere & expedire possent. Hacq́ tm̃ lege pacẽ polliceris mihi, idq́ ex uo luntate elicis, & mente tuorũ esse. Amplector ipse uoluntatẽ istam tuam.

Excusationes

Excusationes cæteras æquo animo admisi. Polliceor itaq́ tibi Scander bege mi, in meq́ recipio omnia quæ petis, & menti tuæ, tuorumq́ inhę reo. Pacem sanctã inuiolabilem perpetuo tibi (quoad nobis uita supere rit) seruaturum polliceor, ni prior tu rumpendę, uiolandęq́ causam præ stiteris. Idcirco has nostras, quas Mustaphæ nuncio & Oratori nostro ad te dedimus, signo meo imperiali et consueto obsignauimus, quo pacẽ istam perpetuo duraturam cõfirmemus. Ea propter tu quoq́ (si placet) his nostris te subscribas, & sigillo tuo solito illas munias, quo mentem & uoluntatem tuã similiter habeamus. Iubeas præterea, ut ubiq́ per regnũ tuum iussiones & edicta fiant, quod & ipse per uniuersa imperij mei loca fieri præcipiam. Scias præterea me, quo amor iste in te meus clare omni bus innotescat, propria motũ liberalitate, omnia quæ in Albania & Epi ro ui à parente meo abstulisti, legittima tibi facere, ut ita illa possideas, ac si tua, tuorũq́ semper fuissent. In te igitur, tuosq́, omne ius, omnem q́ po testatem, quæ mihi prius erat, transfero, uobisq́ trado, cõcedo, atq́ con firmo. Teq́ deinceps in principem Albanorum, Epirotarumq́ semper habebo, atq́ idipsum appellabo. Nunq́ in posterum (ut fide regia pro misi tibi) armis te tuaq́ uexabo, ni tu causa extiteris. Itaq́ his sigillo tuo appositio, eas Mustaphę nostro haud dubię fidei nuncio ad nos perferen das dato. Cui quicquid ipse retulerit, dixeritúe, plenam, inuiolabilemq́ fidem adhibeto. Vale, & in amore responde. Ex Constantinopoli regia urbe nostra, x. kalend. Iulias, à generatione Iesu mill. cccclxi.

De pace inter Mahumetem, & Scanderbegum. De publicatione & eius uiolatiõe.

Iam xl. præterierant dies, ex quo caduceator Mahumetis principis, qui prius pro pace petenda ad Scanderbegum uenerat, cum literis eiusdẽ ad eam confirmandã, corroborandamq́ iuxta Scanderbegi mentẽ & ar bitrium, ad eum iterum conuersus est. Quas quum Scanderbegus acce pisset, conuocatis ducibus & præfectis suis, coram eis legi iussit. Qui oẽs pariter consenserunt, pacem firmandam cũ Ottomano, asserentes id esse & honori Scanderbego, & regno eius maximo commodo ac utilitati. Quare percusso fœdere inter Scanderbegum et Mahumetem, pax ubiq́ locorum per regna utriusq́ ingenti omnium gaudio publicata est. Quę quodamtenus ab utriq́ fideliter seruata est. Verum postea Barbari, qui bus nunq́ fides, fœdifragi, uiolandę pacis autores extitere. Hi enim pri mum Scanderbegi fines inuaserunt, indeq́ maximã prędam abegerunt. Qua de re Scanderbeg cum Mahumete literis nuncijsq́ conquestus est, qui se nescire respondit, idq́ se excusando egreferre simulauit, quod mili tes uidelicet sui nulla eius uoluntate aut iussu id fecissent. Itaq́ nonnulla ei restitui curauit. Sub eodem tempore Barbari Venetorum agrum in Peloponneso deprædati sunt. Ex quo Veneti, qui cũ Scanderbego con fœderati, plurimumq́ amicitia obstricti erant, Gabrielem Triuisanum Oratorem ad eum miserunt, quem exhortabantur, & rogabant, ut Ma humeti principi, qui prior fœdus ruperat, & fidẽ uiolauerat, iustum bel lum inferret. Qui postquam ad Scanderbegum uenit, coram eo, eusq́

Pax publicatur inter Turcam et Scanderbegum.

d præfectis

Oratio Veneti Oratoris, Paulicij Angeli ad Cæstriotii

præfectis sic pro concione locutus est: Venimus ad te, Princeps inuictissime, nõ ut omnes ferè qui eiusmodi legationis obeunt munus, facturi accedunt, ut te laudibus extollamus, patriæq; tuæ dignitatem, & generis antiquitatem, necnõ rerum gestarum excellentiam mentis, prçconijs celebremus. Neq; enim id cuiq; uel disertissimo ex facili concedi posse contenderem, & alioquin præsentis ratio temporis, ut id decenter fiat, haud quaq; expoſcere uidetur. Sed hortaturi potius, & admonituri, rogaturiq; insuper, ut mentis tuç aciem, quæ procul semper intueri, & futura adhuc in occulto posita perspicere, & penetrare solet ad impendẽs Rei publicæ Christianç periculũ, ad pullulans iam & exoriẽs malum, moxq; nisi cito occurratur, uniuersam Europam inuasurum, dirigere, & intendere uelis. Certum enim tibi sit, atq; exploratum, Princeps sereniſſime, q; perfidus & subdolus Tyrannus iste non alia ratione, q; summa perfidia atq; simulatione pacem tecum inierit, cum nullum Turcis, Epiroticoq; generi naturale amoris cõmertium intendere possit, ut quo primum scilicet reliquos reges, & principes Christianos tibi uicinos sibi subiecisset, uidebat enim à te, armisq; tuis ualde infestari, nec ea sufferre posse) propagatis dehinc uiribus, & imperio suo in nos arma conuerteret. Iam uidimus postq; Barbarus iste tecum pacem cõposuit, & ab armis uiribusq; tuis tutum se esse & quietum perspexit, confestim arma sua in Rasianos populos, & Triballos conuertit, eosq; pessum dedit. Deinde Illyricos debellatus est, Thraces euertit. Græcis è regno deiectis, Trapezuntium imperium expugnauit, uires suas auxit, remq; in maius prouexit. Nunc uero rupto pacis fœdere, omniq; uiolato iure in nos arma conuertit. Agrũ tuum pariter & nostrum longe lateq; depopulatus est. Ecce Scanderbege princeps, fides tibi à Barbaro quàmbelle seruata bellum excitauit, arma intulit, iam ad pugnam prouocat te, & haud perplexe suã indicat uoluntatem atq; furorẽ. Ferenda ne hęc æquo animo? Tacendum adhuc? Confidendum Barbaro? Standum promissis eius? Dum Christianum nomen euertat, & nos funditus perdat, quum infœlix bellum tam ignominioſę paci præferendum esset. Itáne igitur oblitum putas Barbarum turpissimæ illius paternæ mortis, quam ignominioſe subire à te compulsus est. Adde cædes, & calamitates exercituum, ducum, & imperatorum suorum abs te æditas. Cogitat hæc omnia rabidus & truculentus Mahumetes, animo continue uoluit, die noctuq; præ oculis habet, ulcisci appetit, atque exoptat. Sed heu Princeps splendidissime simulat, simulat (crede mihi) arte sua Ottomana utitur, machinatur assidue, quemadmodũ dolis, & insidijs suis te capere, te circumuenire possit. Blanditus est hucusq; tibi, ut à bello desisteres, arma deponeres, quoad bellum conficeret, cęterosq; Reges & Principes Christianos tibi circum uicinos opprimeret, atq; prosterneret, quorum nullum alium præter te uidebat, qui armis suis posset occurrere. Nunc uero postquam omnes alios subiecit sibi, & omnia ei ex sententia succesſerunt, ad te conuertitur.

In te arma

In te arma intendit, quo te cum omnibus Epiroticis, & regno tuo de medio tollat, & nos absorbeat, & rabiem suam Barbaram expleat. Quid igitur amplius Princeps optime immorandum? Quid ulterius expectandum? Iam in eo res est, ut Mahumetes iste aut hostis, aut dominus habendus sit. Sumamus nos quoq; aduersus eum arma, uires uiribus conferamus, exercitus adinuicem cõiungamus. Bellum quo nos prouocat ei ultro inferamus. Agrum eius, ut par est, incendamus, diripiamus, nec patiamur tandem nos arte atq; insidijs eius circumueniri. Quippe quĩ nihil aliud molitur perfidus, nihil parat q; seorsum nos opprimere, donec orba consilio auxilio q; res Christiana in manum eius sine ulla dimicatione tradatur (Dij meliora) & deploretur in perpetuum communis omnium libertas. Quos si unà cõiunctos esse uiderit, arma nostra formidabit, uires perhorresset, uel si instare maluerit omnino fortasse uictus abibit. Sed si seiunctos animaduerterit, facili negocio obruet. Ita unus est hodie potentissimus. Proinde non permittamus hanc pestem, hanc contagionem, hunc morbum in Europa esse, cui nisi celerius occurramus, totam inficiet profecto atq; contaminabit. Nosti enim iam Ottomanorũ fraudes, nosti dolos, & insidias, quibus omnia sua expediunt, & quæq; maxima perficiunt. Quis unq;, Princeps inuictissime, ualeat huius truculentissimi Tyranni scelera & flagitia commemorare? quibus uel omnes maiores suos longe superat, qui uel domestico ac familiariũ suorum sanguine quotidie non satiatur, qui etiam rem nostram Venetam aggredi totis uiribus cupit, quæ (ut nosti) fidei Christianæ semper columẽ, & propugnaculum fuit, ut ea demum concussa, fracta, atq; euersa, nõ Epirotas modo, sed alias etiã Christianorum nationes suppeditet atq; proculcet. Sed neq; hoc solum ferus & immanis Tyrannus intendit, quamuis magnum sit, & uiris non tollerandum, uerum ut fidem ipsam destruat, & quæ sola uia est salutis, hominibus interdicat. Errat enim, si quis Mahumetem regiones magis Christianorum deuastare, depopulariq; uelle existimat, q; fidem ipsam conterere, & ab hominũ cordibus euellere credit. Quid igitur? quid tandem bone Deus nos Christiani speremus à belua ista? qui & fide alieni, & omni uiuendi genere ac ratione ab eo diuersi, alieniq; sumus. Itaq; Scanderbege principum inuictissime, Christi athleta & miles accelera, festina, tolle moras, tolle abs te & ceruice tua mala & pericula. Cauc tibi, caue rei & imperio tuo, quum possis (potes enim si uis) priusq; mala & pericula te obruant & euertãt. Nam postq; tibi (quod absit) euenerint, uoles profecto & non poteris. Ideo (ut mihi uidetur) longe tibi melius atq; facilius erit, si antea prospexeris, q; post illatum (ut aiunt) susceptumq; uulnus & ictum, remedium & medelam quærere uelis. Consule igitur, consule mi Princeps opt me quantotius, ne Mahumetis principis rabies, pestis. & contagio te inficiat, polluat, atq; corrumpat, qui nihil certe aliud quærit, parat, atq; molitur, nisi ut te pellectum ad fidem & crudelitatem suam, ad interitum & internecionem perducat, qui semper

Venetiæ columen & propugnaculũ fidei Christianæ

Christiani nominis & sanguinis insidiator & effusor, cui Christiana orthodoxaq; fides summopere exosa atq; inuisa fuit, quã totis uiribus die noctuq; prophanare, scindere atq; perdere studet atq; conatur. Ad quã tutandã, protegendamq; à furore immanitateq; rabidi truculentissimiq; Tyranni te Princeps inuictissime, qui athleta & Christi miles uocaris, immo sis Princeps noster, cũ uniuerso Senatu suo Veneto inuitat, inuocat. Aurum tibi, argentum, milites, & quicquid in huiusce modi expeditionibus opus est, abunde pollicetur & offert. Te igitur Princeps glorioſiſſime sine mora præcinge, militem expedi, exercitum tuum & acies instrue, ferrũ acue, corripe telum, irrue in Turcas orthodoxę fidei acerrimos hostes, quos facile uicisti semper, & ad uincendum fatalis quędam, & diuinitus tibi data est potestas. Cui nisi celerius occurramus, totam inficiet profecto, atq; contaminabit. Nosti enim iam Ottomanorum fraudes, nosti dolos & insidias, quibus omnia sua expediunt, & quæq; maxima perficiunt. Quis unq;, Princeps inuictissime, ualeat huius truculentissimi Tyranni scelera & flagitia cõmemorare? quibus uel oẽs maiores suos longe superat, qui uel domestico, ac familiarium suorum sanguine quotidie nõ satiatur. Quid igitur, quid tandem bone Deus, nos Christiani speremus à belua ista, qui & fide alieni, & omni uiuẽdi genere ab eo diuersi sumus?

Facto dicendi fine, Scanderbegus non quod incertus sententiæ esset, sed quia nihil inconsulto milite facere cõsueuerat, cõuocatis ducibus suis, & prę fectis, diu multumq; cum eis rem discussit, quid agendum, an obsequendum Venetis, & Ottomano principi bellum inferendum: quibus omnibus placuit, nullatenus esse aduersus Ottomanum arma excitanda, quoniam ipse bellum Scanderbego palàm mouere detrectabat, cũ & alioquin maiorem etiam partem ex prę da (quam ut asserebat) milites sui iocose, & quadam potius militari licentia ex Scanderbegano agro abstulerant, restituisset. Quamobrẽ Venetus Orator huiusce modi responso habito, sententiaq; illorum intellecta, re infecta mœstus admodum à Scanderbego discedens, ad Paulum Angelũ Dyrrachiensem Archiepiscopũ diuertit. Quem nouerat apud Scanderbegum, & Scanderbeganos plurimum fide, gratia, & autoritate ualere, nec quicq; esse tam magnũ, tamq; difficile, quod eis cũ uellet, nõ persuaderet, ut experiretur, si ipse Archiepiscopus uellet hanc prouinciã sumere, & cũ Scanderbego & prę fectis suis ageret, ut Ottomano bellum inferret, cõtraq; eum arma sumeret, procul dubio nanq; fore sperabat, Scanderbegum cum suis militibus in Venetorũ sententiã facile iturũ. Qui Archiepiscopus (ut Venetorũ obseruantissimus erat) reuerẽtia tanti Senatus mox ad Scanderbegũ accessit. Erat hic Archiepiscopus Epirota ex Driuasto urbi oriundus, Andreę Angeli filius, de quo supra mentionem fecimus, uir summo ingenio, & singulari facũdia prę ditus, excellẽti doctrina, sacris humanisq; literis, tam Grę cis, q; Latinis apprime eruditus, uitę, ac morum grauitate conspicuus, Christianę religionis ardentissimus. Quẽ Scanderbegus ob illius modestiam uitæ cultum

Paulus Angelus Dyrrachiensis Archiepiscopus.

uitæ cultum, & integritatem summa in ueneratione habebat, Epirotæ, & Albani omnes tanq; oraculum quoddã audiebant et uenerabantur. Qui quum primum ad Scanderbegũ accessissent, omnes duces & milites Scanderbeganos in concionem uocatos, quo bellum aduersus Mahumetem sumerent, tali eis oratione persuadere aggressus est.

Oratio Archiepiscopi pro bello aduersus Mahumethem inchoando.

Fœlices, & perbeatas fore Respublicas, regna, & imperia, Princeps inuictissime, diuinus exclamat Plato, si eis ab optimis & sapientissimis gubernari contigerit. Quod quidẽ hac tempestate Albanis nostris euenisse clara luce intuemur, qui à te uno Principe sapientissimo, optimo, duce inuictissimo reguntur. Propterea non immerito omnes reges & principes proximi, ac circumuicini, te unum ducem strenuum, & imperatorem singularem, tanq; cœlitus missum sibi delegerunt, ut eorum imperia & regna ab Ottomana rabie, Barbaraq; feritate protegeres. Qui hucusq; præclare egregieq; armis, prudentiaq; tua, uirtuteq; ducum & militum tuorum semper tutati sunt. Nunc uero quum id Mahumetes omnium sagaciſſimus, callidiſſimusq; insidiator, & Christianæ religionis persecutor acerrimus animaduerteret, appetens immanitate sua infandum odiũ in Christianum nomen conceptũ explere, uersutijs, & calliditate sua Ottomana egit, ut icto tecum fœdere cum eo cõponeres, bellumq; sedares, ne armis tuis, quem summopere timebat, infestaretur. Qui quasq; pacis conditiones, quæ tibi placuerunt, perfacile concessit. Sed heu, Princeps inuictissime, quis non uidet Barbarum hæc omnia tecum Barbarica fide gessisse, fraudulenterq; pacem iniisse, ut primum alios reges tibi uicinos, & Christianos principes de medio tolleret, dehinc arma sua in te conuerteret, ut effecit? Vbi ubi sunt enim Rasciani principes? Vbi Illyrici reges? Quó Trapezuntium Constantinopolitanum migrauit imperium? Nunc nunc demum ad te conuersus rupto fœdere, uiolata fide, agrum tuum longe lateq; depopulatus est. Confœderatos tibi assiduis excursionibus perturbat, atq; exagitat. Quis enim Princeps nobiliſſime queat explicare immaniſſimi huius Tyranni immensum aduersus te odium? An ita mortẽ Amurathis patris luctuosas exercituum suorum strages, cædem ducum, & imperatorum suorum inulta omissurum putas? Confidis uerbis, ac promissis beluæ istius? Accipis excusationes eius? Seruabit ne tibi fidem? seruabit, quam nunq; habuit, neq; cuipiam ad hanc usq; diem seruauit? Quis unq;, bone Deus, flagitia huius truculentissimi Tyranni uerbis posset recensere? quæ tamen silentio inuolui nefas esse duxi. Quandoquidem uoluptas quædam est in criminosum, & improbum inuehi, & auctores uitiorum ac scelerum in lucem proferre, illosq; nominatim appellare, quo cæteri à uitijs & flagitijs deterriti sese abstineant. Igitur sicut nec uirtus merito relinquenda est quin laudetur, sic nec uitiũ quin uituperetur. Ex utroq; enim idem percipitur fructus, & ex bonis laudandis, & ex improbis uituperandis. Iustum est itaq;, ut improbi omnes, & flagitiosi male audiant. Verum Mahumetes hic tyran

nus eo magis, quo cęteros sua improbitate excellit, superatq;. Cuius qui-
dem uitam, mores, & facinora, quo notiora sint tibi, illaq; effugias per-
stringendo quambreuissime percurram. Mahumetes infimo infoeliciq;
loco, humilimisq; parentibus natus est, ea gente, quam Barbarorum
pessima locis loca mutare semper consuecuit. Nam quū Scythæ Meotici
Barbarorum pessimi sint, ipse adhuc turpiore infamioreq; loco natus
perhibetur. Scythia etenim illius regio est, sed uilla Otmanach, ex qua
Ottomanorum genus, siue familia originē traxit. Cuius homines se ser-
uos esse gaudent, nihil eius progenitoribus turpius, nil uilius. Amura-
thes igitur eius pater, cui ex genere imperium tenere minime permissum
erat, quum ex Ottomana familia esset, quę seruitio nata, atq; semper addi
cta fuisset, imperia Asiæ, aliaq; regna fraude sceleribusq; occupauit, om-
nia auxit, atq; propagauit, remq; à sordidis & sceleratis profectam initijs
eó prouexit, ut iam magnitudine laboret sua. Cæterum ut ad mores etiā
eius descendam: Mahumetes magna ui animi & corporis, sed ingenio
malo prauoq;, humani generis hostis, & communis inimicus, sanguinis
effusor, caput scelerum, princeps omnium uitiorum, inuitator mortis, &
pater omnium malorum, insatiabilis homicida. Qui cum talibus natus
esset auctoribus, Barbarā intemperantiam immanitatemq; seruans, idem
semper æquabili peruersitate per oēm ętatē fuit. Huic ab adolescentia bel
la, cędes, rapinæ, discordiæ grata fuere. Ibiq; iuuentutem exercuit suam,
animus audax, subdolus uarius, cuiuslibet rei simulator, alieni appetens,
ardēs in cupiditatibus, immoderata, incredibilia, semper immēsa cupiēs.
Primo igitur pecuniæ, dehinc imperij cupido supraq; dici possit, in eo
creuit. Mens prauis artibus imbuta, libidinibus non caruit, impudicus
adulter, uitiorum inuentor, quæ uel ipsa abhorret natura. Hic est Mahu
metes ille, qui regnandi cupiditate fratrē iugulauit. Rascianos principes,
Regem Bosnę perfide obtruncauit, cognatos partim in seruitutem & ca
ptiuitatem traxit, partim luminibus priuauit, aut aliqua corporis parte
mutilauit. Quid de alijs dicam? in quos omnia supplicioru genera est ex
pertus, in seipsum profecto uidetur sęuiturus, si alia adsint, ita trux inge-
nium illud, ac prędiuida ira nunq; exaturari potest. Nāq; animus erga
deos impurus, hominibus infestus, perniciem semper machinatur, amici
tias, inimicitias non ex re, sed ex cōmodo uendicat, nusq; modum, nusq;
modestiam seruat, fœda, crudelia in amicos, subditosq; cōmittit, delubra
publice, & priuate spoliat, sacra prophanat, oia polluit, oia rapit, oia tra-
hit, pudorē, pudicitiā, diuina humana promiscue confundit. Nonné oēs
ferè contra fœdera subiugauit, interfecit, in seruitutem traxit? Propterea
quidnā noui est Princeps splendidissime, si fœdifragus Mahumetes fidē
tibi nō seruat? Quū omni uitiorū genere cōtaminatus, sceleraq; illa genti-
licia, ac perfidiā hęreditariā retineat. Proinde ne cōfidas Tyranno, ne uer
bis aut promissis eius stato, sed ab omni eius amicitia abstinens, pacē quā
prior ipse tibi scidit atq; dissoluit, solutam putato, neq; illius gratia bello
eum per-

Vita, mores, ac facinora Mahumetis.

Mahumetes fratris occisor

Argumenta quibus suadetur Scanderbego ne fidat Tyranno.

eum persequi supersedeto. Consule, consule iam tibi, regnoq;, ne Barba-
rus insidijs atq; dolis te tuosq; opprimat. Nihil cogitat subdolus, nihil
molitur perditus ueterator, nisi quomodo fidē Christi expugnet atq; ob
ruat, pro qua (ut scis) semper insudare atq; laborare proposuisti tibi, &
iuramento affirmasti, teq; sæpius dixisse memini, ad hanc tutandam, de-
fendamq; te natū, procreatumq; fuisse. Cur igitur (pace tua dixerim)
arma deposuisti? Cur militum tuorū animis ocio luxuriantibus, fidem
Catholicā iam à Tyranno oppressam deseruisti? Bonū cōmune sepositi
sti, militiq; renūciasti? Tibi tantū soli uiuere deligisti? An mediocre disci
men cōditionis secuturū tibi ex hoc reputas? Veteranus dux fortissimus
bello cōpressis manibus sedens? Videbit nunc quispiam (proh pudor)
uidebit ocio luxuriare, atq; euanescere uiuidum illud quondā tanti prin-
cipis ingenium. At Mahumetes amicus tuus non torpescit, non ocio ta-
bescit, inuigilat, laborat, accelerat, ut Christi Euangelium prophanet, Pe
tri nauiculam subruat, uestem Christi discindat, atq; dilaceret, secutus ma
iorum suorū uestigia, & pseudo sui prophetę traditiones. Qui statuit, ut
Christi nomen tanq; inuisum, & prophanū acerrime à suis prosequere-
tur, sanguisq; innoxius Christianorum effunderetur absq; ulla pietate.
Ex quo Tyrannus iste fidē Christi semper prę cęteris acerrime insectatus
est, in quē Principum inuictissime, si tu nunc arma tua nō exponas, uires
non excites, illi bellum nō inferas, omnes profecto te timidum, formido-
losum, & ocio deditū censebunt. An nescis quomodo omnes Christiani
reges & principes unà cum sanctissimo Pontifice nostro Pio, summo or
bis antistite, aduersus hunc Tyrannum conspirauere? Quem Deo adiu
uante omnino prosequi, & extra Europā expellere statuerunt. Iam à sum
mo Pontifice exijt edictum, & per omnia Christianorum ora propalatū
est, quo omnes reges & principes Christiani ueniam peccatorum suorū
consecuti, aduersus Turcarū regem cū ipso summo Pontifice q; primum
exeant, & proficiscantur. Ex quo Veneti tui cū principe suo, & omni Se
natu, tam terrestri, q; maritimo apparatu unà cum Pontifice maximo no
stro ad hanc expeditionē cōtra Mahumetē te inuitant, & implorant, teq;
principem, ducē, & totius Christiani exercitus generalem imperatorem
prę ficiunt. Et q; primum Pontifex traiecerit, & Dyrrachium intrauerit
in regem Albanorum & Epirotarum declaraturum te cōstituit, dignum
apprime, cui summa huius belli demādetur. Igitur Scāderbege princeps
sœliciſſime, quid facis? quid immoraris? Aut imperpetuū bellū armaq;
obliuioni danda sunt, iugumq; accipiendū, aut huic, cū quo de imperio
& totius rei summa certetur, nec uirtute nec patiētia cedendū? Excita ani
mum & uires tuas, cōuoca duces tuos, & imperatores, contrahe undiq;
gentes, & populos, inuita reges, & principes uicinos tibi consœderatos,
instrue acies & legiones, sequere oīm fideliū cœtū, & Christianorū colle-
gium, obtēpera summo Pontifici, cōsequere ueniā peccatorū tuorū cum
omni exercitu tuo. Ecce Veneti me tui miserunt, ut hęc tibi annunciem,

Studium Mahumetis.

Pius secundus contra Turcā

Edictū summi Pontificis contra Turcum

te inuitem, te exhorter, quo uires uiribus, signa signis, copias copijs conferas. Sunt enim Veneti (ut nosti) principes Christianissimi, benignissimi, terra, mariq; præpotentes, qui aurum & argentū abunde pollicētur, offeruntq; tibi. Itaq; Scanderbege uere unq; Scanderbege, tu tu prior, principum decus, copijs tuis Barbaro bellum infer, agrū eius inuade, terrorē & formidinē hosti incute, qui prior te prouocauit, rupto fœdere, fide, & pace uiolata. Nam leges & iura omnia clamant, permittunt, fidem non seruanti non seruandam. Audacter audacter igitur Christianū præi exercitū, hostē prior aggredere, Barbaro bellum uniuersale annuncia, & summo Pontifici iter præpara. Nam ecce iam Pius, ecce Veneti tui, ecce Francigenę, Hispani, Belgę, Hungari, Boëmi, Poloni, Itali, & omne Christianū nomē te sequitur, tibi adest. Ex quo fieri nō potest, Barbarus tot regibus & principibus, tot copijs & exercitibus ut resistere ualeat. Ideo fugam statim arripiet, Europā deseret. Nō proderit superbia Ottomano, nō doli, nō insidiæ, nō fraudes solitę eum leuabunt. Aduertendum est tñ, & prudenti animo præcauendū, quod callidus Mahumetes hæc omnia præsentiens, statim nuncios & Oratores suos ad te destinabit, quo alliciat te, ut arma deponas, ut uiolatam ab illo pacem serues. Auerte tamen animum à malefica eius natura, occlude, obstrue aures illecebris. Iam illius nosci ingenium, sat odoratus es hominem, & Ottomanę gentis fraudes uel (si quisquam) optime perspectas habes.

Vbi Germani? Hic uides ingenium Itali scriptoris.

His à Dyrrachiensi Archiepiscopo magno spiritu peractis, Scanderbegus inito consilio, rem sub longa ac diligenti examinatione pertractauit. Duæ tandem præcipue, eædemq; contrariæ sententiæ fuerunt elicitę. Altera, ut bellum nullatenus cum Ottomano fieret, sed pax omnino cum eo inita seruaretur, eoq; maxima inde cōmoda eis proficiscebātur. Nam omnes populi Scanderbegi urbes & ciuitates locupletatæ fuerant, quoti dieq; in maius excrescebat id commodum: adhæc ferè omnem prædam quā Barbarus ex agro Scāderbegano abstulerat, ei cumulate restituerat. Altera huic mens longe diuersa effluxit. Bellū omnino Ottomano principi mouendum, nec eius fidei ullatenus standum, quam nunq; alicui, & præsertim Christiano seruauerat, præsertim quando ipse prior Scanderbego pacem rupisset, & iura fœderis uiolasset: neq; Tyranno credendū, aut promissis eius fidem habendam, quum dolose Scanderbegum allicere ret, audiens omnes reges & principes Christianę religionis aduersus eū conspirasse, & arma iamiam ex omni Christiano orbe in eum ruitura. Eo proinde timore pacem se Scanderbego seruaturū pollicerī, aliās neq; pacem seruasset, neq; prædam restituisset. Propterea nihil immorandum sed bellum intrepide, & alacri animo aduersus cōmunis fidei hostem excitandum. Cuius salus esset, proprio etiam bono, & saluti præferenda, præsertim quod ipse Pius Pontifex maximus, cum omnibus Christianorū uiribus in eum conspirasset. Hæc igitur sententia tanq; magis religiosa, & efficax, quum ipsi Scanderbego, maioriq; parti procerum, & ducum, & præfecto

Diuersæ sententiæ de mouendo bello in Turcam.

& præfectorum placuisset, hanc ueluti uniuersale bonū, publicum q; commodum elegerunt, statueruntq;, ut bellum aduersus Mahumetem excitaretur, & arma pro tutela Christianæ Reipublicę inferēda essent. Præterea honestum ac sanctum uidebatur, summo Pōtifici Dei uicario, ac uniuerso Christianorum collegio adhęrere. Adhęc obtemperandum etiam ipsi Dyrrachiensi Archiepiscopo, ipsiusq; monita & consilia tanq; mandata seruanda. Cui propter uitæ grauitatē & sanctitatem, summā fidem præstabat, cunctaq; eius consilio faciebat, qui ex more regio Scanderbego semper aderat, à quo oēs res gestas, & historias tam Grecas q; Latinas didicerat, Scanderbeganisq; ducibus ac militibus maxime dilectus, gratusq; erat. Decreto igitur aduersus Ottomanum bello, mandatum est ubiq; lorum delectum fieri, exercitum cogi, prefectis & castrorum ducibus, ut præparato, instructoq; exercitu adesse festinarēt. Quo facto, Scanderbegani milites præcipue illi qui in limitibus custodiæ causa degebant, summa ui & impetu in Turcaicum & hostilem agrum irruperūt, quem longe lateq; depopulati, maximam inde prædam secum abstulerunt. Nam lx. millia boum, lxxx. millia pecorum, tria millia equarum cum pullis suis, quę de turma (ut aiunt) & ipsius Mahumetis principis grege erant, inde abegerunt. Qui quum ad intima Barbarorum loca penetrassent, & omnia igni, ferroq; euertissent, nullam fœlicem arborem, nihil frugiferum in agro relinquentes, ingenti terrore atq; formidine cuncta repleuerunt. Quę omnia quū Mahumetes percepisset, uehemēter in Scanderbegum cōmotus atq; succensus est. Sed postmodum fronte reducta dolorem suum supprimens, uultu admodum hilari, hæc dixisse fertur: Quid mihi Scanderbege ista, qui Orientis & occidentis principatum teneo? Tamen cōtra eum ultionē animo concipiens, in eius perniciem & ruinā iurauit. Sed quia Christianorum arma iam in se concitari, & copias moueri præsenserat, ualde perterritus, arte sua Ottomana, illecebris Scanderbegū capere, et sibi recōciliare excogitauit. Circūferebatur iam ubiq; Piū Pontificē maximū, cōtractis undiq; uiribus, & copijs oīm Christianorum in unū coactis, prope diem aduersus Ottomanūm egressurū, qui ut primum in Epirum & Albaniā traiecisset, in urbe Dyrrachina post rem diuinā factam, Paulum Angelum eiusdē urbis Archiepiscopū, de quo superius mentionem fecimus, in culmine præsulatus, & secundam à summo Præsule et Pontifice maximo dignitatē, quā nunc Cardinalatū appellant, insignire, atq; sublimare, Scanderbegū uero in regē Albanorū & Epirotarū declarare. Quem etiā omnibus copijs Christiani exercitus aduersus Mahumetē generalē (ut aiunt) Imperatorē perficeret. Quāobrem à Barbaris undiq; circūferebatur, si in tali expeditione Christiana aduersus Ottomanū Scanderbegus egressurus esset, proculdubio Christiano uictoriam adiudicandā iri, & de re, Ottomanicq; imperio uictū, desperatumq; fore autumabant oēs, & asserebant. Tantus terror, tanta formido Scanderbegani nominis eos incesserat, adeò formidolosum, adeò horrendū apud Tur-

Turca cogitat in perniciem Scanderbegi.

Paulus Angelus Archiepiscopus Dyrrachinus fit Cardinalis.

apud Turcas illius erat nomen. Ideo Mahumetes omni arte, ingenio, & calliditate sua laborabat, ut Scanderbegum ad se alliceret, & cum eo ex integro componeret, hincindéq; iuramento præstito pacem uallaret. Cui etiam huiusmodi literas scripsit:

Literæ Mahumetis ad Scanderbegum.

Mahumetes Amiræ Soltanus, Orientis atq; Occidentis Imperator, Scanderbego Principi Albanorū, Epirotarumq́; S.P.D. Fidem tuam & probitatē, Scanderbege Princeps nobilissime, semper admiratus sum. Propterea non planè credibile mihi fuit, te magnanimum & generosum principem, fidem & pacem, quam mecum iampridem inieras, tam facile & temere soluisse. Nam (ut audio) maxima manu fines meos transgressus, omnia igni, ferroq́; deuastans, maximam inde tecum prædam quidē abegisti. Cuius quidem rei causam Venetos fuisse, mihi certum explora-tumq́; est, quorum consilio & suasu ad hoc faciendum impulsus es. Nam eorum illecebris, calliditate & astu seductus, mihi bellum intulisti, ruptor fœderis, uiolatorq́; gentium iuris factus. Idcirco exiguo, aut nullo portius tibi uitio esse dandū censeo, causam magis ignominię intuens, q̄ ignominiam ipsam, sed omnem in eos culpam reijcio, qui mihi semper hostes & infensi fuere. Sed quid hæc mihi Scanderbege? qui tot & tanta possideo, adeóne graui quadam iactura imperium nostrum afficere putasti? dum prædonis magis cuiusdam, q̄ hostis more in agris nostris depopulandis, & abigendis pecoribus tam insolens es factus, quod ego tamen nec̄ iniurię loco duco. Sed perge, age, si ita æquum uidetur tibi. Pluris nanq; ipse facio amicitiam, & beneuolentiam tuam, quàm omnia quæ mihi sunt chara, quod te (ut scis) semper unice dilexi, & eximio quodam amore sum prosecutus. Nam quoties tenellam ętatem illam nostram, & consuetudinem, dum unà in regia patris mei Adrianopoli commorabamus, in memoriam reuoco, non possum equidem non omne officij genus debere tibi. Propterea Scanderbege mi, te etiam atq; etiam rogo & hortor, ut priores pacis nostræ conditiones renouantes eam iureiurando ex integro confirmemus. Nam si illa prius iuramento hincinde uallata fuisset, nequaquam à Venetis te seduci, aut circumueniri permisisses. Quamobrem opus est, ut nunc denuo fœdus inter nos & pacem iureiurando sacris hincinde adactis perpetuo muniamus atq; confirmemus. Quod si feceris (ut spero) & me audieris, proculdubio tu cum posteris tuis semper regnabis, & tua omnia tibi salua erunt. Sin secus, pœnitebit te (mihi crede) q̄ocissime. Nosti iam uires meas, quibus an possis resiste re, tute consule. Non reguli tui uicini, nō Veneti seductores te poterunt à ui, & furore meo eripere. Nonne Græcos ferè omnes exterminatos uides? Trapesuntium Imperatorem à nobis imperio deiectum? Rascianos principes, & Triballos cuersos? Illyricos prostratos, totiusq́; Asiæ regna, aliosq́; reges & principes perdomitos, ac subiectos mihi. Sequere igitur Scanderbege consilium meum, promissis stato, non enim falleris mehercule. Mustaphę seruo & nuncio nostro qui ad te uenit, de ijs man-

dauimus

dauimus, cui indubitatam fidem adhibeto. Vale. Ex Constantinopoli urbe nostra regia, Nonis Maij, à generatione Iesu Mill.cccclxiij.

His literis acceptis, perlectisq́; Scanderbegus Mahumeti in hunc modum respondit:

Athleta Christi Georgius Castriotus, aliâs Scanderbegus, Albanorū Epirotarumq́; princeps, Mahumeti illustriss. Turcarū Principi S.P.D. Admiraris Mahumetes Princeps, quod milites mei (ut inquis) contra fœdera, ruptis pacis nostrę conditionibus, ingressi fines tuos, maximam inde prædam secū abstulerunt. Cuius rei auctores Venetos asseris, quos hostes tibi acerrimos dicis, subdisq́;, quod ista parum offendunt te, tum principem potentissimum, tum quia propter maximam in me beneuolentiam omnia ęquo fers animo, & maxime q̄ aliorum consilio seductus id ędiderim, facili negocio omnia remittis mihi, dummodo fœdus quod prius inter nos ictum fuerat, eisdem tecum conditionibus iuramēto confirmem, impellisq́; ad id maxime, admones & hortaris, ut cōsilium istud tuum amplectar, mihi, & posteris meis mirum in modum præfuturum, nisi forte dum Venetis obsequi studeo, malim tuam indignationem subire. Adhæc, ut magis deterreas me, enumeras longo ordine gentes, populos, Reges, Principes à te deuictos, & tibi subiectos. Sed quidnam noui (rogo te per Deum immortalem) quid tantum admiraris Mahumetes princeps? & illud primum, quod milites mei id in agrum tuum fecerint, quod à tuis identidem militibus prius in rebus eorum commissum magnopere (ut debuerant) dolebant, ac de me conquerebantur. Proinde si ipsi quoq́; militari quadam lasciuia (ut tuus est dicendi mos) ulciscentes illatam, non nouam inferentes iniuriam prospexerint sibi, & damnum damno compensarint, nihil est quod admireris & me accuses. Cohibuissem ipse (uerum ingenue fateor) homines licet acerrime lęsos, sedassem animum eorum tantopere ad omne ultionis genus prouocatum, si uel cuncta tu eis, quæ amiserant, reddenda curasses, Princeps unus omnium opulentissime, & liberalissime, uel hanc tuorum licentiam, quam lasciuiæ uelamento tegis (uix pueris dignas ambages) ut parerat, castigasses. Quamuis enim delicta ubique grauia existunt, in rebus tamen militaribus grauissima censeri debent. Quid quæso? uis ne me istam tuorum lasciuiam interpretari? tanta præsertim accepta iactura, quos & cohibere prius, & punire post factum potuisti. Accipe igitur tu quoq́; Mahumetes sapientissime, uerba isthæc nostra, quę nobis hucusque pulcherrime & dare, & uendere consueuisti, dum semper fraudi excusationem & speciem aliquam iuris imponis. Illud tamen, quod dum me obtentu pristinæ consuetudinis, & beniuolentiæ nostræ excusas, in Venetos inucheris, iniuria mehercule facis. Non enim erant Principes optimi, iustissimi, sanctissimi à te tanquam seductores calumniandi. Quid præterea opus Venetæ Reipublicæ cōsilijs mecum agere, illecebris me allicere? ut tibi sim iratus, te ut hostem persequar,

qui soli

qui ſoli, ſoli inquam, quando ita res ferat, & aperte poſſunt tecum contendere, & facili negocio te ſuperare. Nam quod ſuades mihi, ut eorũ conſuetudine abſtineam, fruſtra agis mi princeps. Quis enim mortaliũ ita perditus eſt, ita ſuis ipſis inuiſus, qui non malit uel maxime errare cũ Senatu illo, quam tecum optime ſentire, ego preſertim, qui et conſœderatus eis iampridem ſum, & unus omnium amicus, quod tu tamen (quæ tua eſt perfidia) nihil curaſti, agrum eorum in Peloponneſo, ruptis pacis fœderibus quottidie infeſtando diripiendo. Sed nec mínę tuę hoc loco deterrebũt me Ottomane princeps, quas Barbaro more effundis, in me ingeris, euomis, ni conſiliũ tuum fuerim ſecutus, nam & pati, quãdo ita res ferat, & facere fortia Albanum eſt. Non timorem incuties mihi puſillo regulo cum Venetis meis. Quis tantus (ut ipſe te apellas) orientis, occidentis, & omnium mundi partium imperator? Riſum profecto hoc loco excitaſti mihi. Rident te aliį quoq; Chriſtiani principes. Quomodo ita imprudẽter, ne dicam impudenter totius orbis imperiũ falſo uocabulo urſurpaſti tibi? Quid in maiore Aſia poſſides? nihil certe, an omnia, quæ in minori continẽtur, tua ſunt? minime. In Europa quid habes preter Thratiam Myſſiam, partem Grœcię, atq; Peloponneſi, Mytilenem, & Tauricam regionẽ? Aphricam nunc̃q; pes tuus calcauit, Hic ne eſt uniuerſi orbis principatus? Sed finge, finge Mahumet Princeps omnia ab ipſo uſq; oceano ſubiecta ſeruire tibi, non tamen iccirco inſurgendum eſt adeò tibi ut alios contemnas omnes. Deſine, deſine gloriari, & diſce iam (ſi potes) humanę incõſtantię ſingulare documentũ. Nam ubi ſunt Aſſirij, qui orbis terrarũ quandoq; imperium tenuerunt? Vbi Medi? Vbi Perſę? Vbi Grœci? Vbi deniq; Romani rerum domini? Maior certe fuit Tanberlanus ille Scytharũ rex, terror (ut ſcribitur) gentium, q̃ tu. Qui auum tuum Paiazetem illum, qui armis tot, & tanta geſſerat cum cc. milibus in finibus armenię profligatum, & in fugam conuerſum captum, uinctumq; cathenis triumphantis more ante currum ſuum traxit, In cuius exercitu duodecies centena milia hominum fuiſſe traduntur, Xerxe, atq; Dario maior quorum exercitu maria conſtrata ſiccata flumina prodiderunt antiqui, Exterminati tamẽ ſunt omnes ab exterminatore gentium, Mahumet princeps, digytus dei omnes extinxit. Diſce proinde te quoq; hominem eſſe cognoſcere: Noli tantopere copiarum, & exercituũ multitudini confidere, ſepe nanq; maiores exercitus minoribus ceſſiſſe hiſtorię teſtantur. Quare nõ immerito receptũ eſt illud: Nec laudaueris ducis uirtutem, niſi quum ductus fuerit ad triumhpum. Deum quòq; ipſum meliorem cauſam fouere, an dubitandum uidetur Mahumet? Scis tamẽ tu bene ſcis ad totius imperij ius te quicq; preter deum habere, omnia uiolenta eſſe, omnia perperam à te, & iniuſte poſſideri. Propterea non deeſt animus mihi Ottomane imperator tibi tanto rerum domino uenienti modo reſiſtere, ſed uel prior te intrepide, & audacter in campum prouocare, inſignemq; de te (deo propicio) & ſperare, & referre uictoriã. Sunt & nobis

Argumenta humanæ inconſtantiæ.

Digitus dei.

& nobis milites, qui & ipſi tela tractare, procedere ante ſigna, uerſari media in mole pugnæ ſciant. Quæ igitur de pace iterum firmanda agis mecum? Fruſtra iam huiuſmodi delinimentis me circumuenire quæris, ita eſt mihi & fides tua ſuſpecta, & beniuolentia uſquequaq; inuiſa. Quippe quum ficte ſemper, & doloſe maiorum tuorum mores ſecutus, quicquid agis, quicquid polliceris mihi, facis omnia, quo facilius euertas me, regnoq; exuas. Euaſi tamen ipſe hucuſq;, Deo autore, inſidias tuas omnes, dolos & fraudes omnes. Sed breui, breui (ut ſpero) his omnibus finem dabis, quum non artes iſtæ tuæ, non inſidiæ ullæ leuabunt te, non Ottomanum ingenium, non tumor iſte Barbarus proderit tibi, neq; tamen unus ego in te hos animos gero. Longus poſt me ordo eſt Chriſtianorum principum. Ecce nanq; armatur in te, totiſq; uiribus cõtendit, quic quid eſt uſq; Chriſtiani nominis & ſplendoris. Coniurârunt in te unà cum noſtro ſummo Pontifice Pio, Reges & Duces omnes, et ad euertendum te, regnoq; ſpoliandum iamiam aderunt. Quamobrem ego obtentu priſtinæ conſuetudinis noſtræ, quamuis tu eam grauiter læſeris, penitusq; uiolaueris, admonendum tamẽ de his te duxi mi Princeps, quò diligentiori aliqua conſultatione cogitatus omnes colligeres, tibiq;, atq; regno tuo conſuleres. Vides impetus, atq; uires tantorum principũ, quas an ſic facile poſſis euadere, non ſatis ſcio. Poteris tamen, ſi me audies, poteris & imperium nomenq; tuum ex magno maximũ, ex fœlici fœliciſſimum, ex celebri reddere efficereq; celeberrimum, ſi perfidia iſta, & Macometanæ ſectæ erroribus depoſitis, ad Chriſti fidem & ueritatem te conuertere uolueris, animæq; tuæ tandem habere rationem. Neq; tu quoq; qui altiori ſpiritu, & ingenij magnitudine maiores tuos omnes louge excellis, ceu hæreditario quodam iure, in errore, & pertinacia iſta te tuosq; uerſari amplius patiaris, faciasq; iam ſponte tua (ut ſapientiſſimum principem decet) quod es propediem neceſſitate facturus. Turpiſſimum habitũ ſemper eſt ex ore Imperatoris audire: Non putâram. Reſipiſce aliquando, tecum habita. En offert materiam tibi Deus optimus maximus, quomodo & rerum tuarum ſtatum oẽm tranquillum reddas, & omnes te reges & imperatores noſtri ament, uenerentur, obſeruent, neq; hac in re te regnandi cupido, ac bonorum iſtorum quæ poſſides, ſolicitudo excruciet. Quicquid enim iniuſte, quicquid illicite uſurpaſti, omnia profecto Chriſtiani principes uelut propria & hæreditaria licite & iuſte te habere concedent, confirmabunt, ſancient. Eris uerus Princeps, legitimeq; dominaberis, dummodo fidẽ hãc, & ueru Dei cultũ amplectaris. Quam ut primũ ſenties, dolebis per Deũ immortalem nõ maturius cognouiſſe: dolebis amiſſi tẽporis diſpẽdio, exterminabis, eliminabis, quicquid mendacij, quicquid fœtoris apud uos reliquit ſpurciſſimus pſeudopropheta ille Mahumetes. Ex caſtris noſtris vij. kalend. Iunias. Mill. cccclxiij.

Coniuratiõ principum Chriſtianorũ in Turcam.

Stultiſſimũ eſt ex ore Imperatoris audire non putâram.

Hortatur Turcam pro ſuſcipienda fide Chriſtiana.

Poſtquam Scanderbegus huiuſcemodi literas ad Mahumetem dedit, interim literis ſummi Pontificis ei nunciatur, quod ipſe cum innumeris

copijs cruceſignatis contra Ottomanum principem propediem urbem egreſſurus erat, & Anconæ portum, maritimaq́ petiturus, quo inde in Epirum cum uniuerſo exercitu traijceret. Vbi primum Paulum Angelum Dyrrachinum Archiepiſcopum in Cardinalatus dignitatem & purpuram aſſumeret, Scanderbegumq́ Albanorum atq́ Epirotarum regẽ declararet, ipſumq́ Chriſtianis copijs præficeret, ut expeditionem, quam cum omni fidelium cœtu in Barbarum ſuſceperat, totis uiribus perſequeretur. Quamobrem eum admonebat, exhortabatur, ut copijs præiret, & Barbaro uniuerſale bellum indiceret. Quibus literis corã omnibus principibus & præfectis caſtrorũ perlectis maximo plauſu atq́ lętitia, Scãderbegus mox copijs inſtructis, in agrum Turcaicum & hoſtilem maximo impetu irrupit. Quem longe lateq́ diſcurrens, omnia igni, ferroq́ deuaſtauit, atq́ diripuit, & maximum Barbaris terrorem inferens, Mahumeti generale bellum indixit. Verum quũ Ottomanus iamiam Scanderbegi literas perlegiſſet, per idem ferè tẽpus ad eum nuncius uenit, Scanderbegum in agrum ſuum irrupiſſe, omnia diripuiſſe, atq́ incendiſſe. Quo triſti nuncio Mahumetes admodum territus, totusq́ ira atq́ furore in Scanderbegum percitus, Seremetium præfectum ſuum cum xiiij. millibus equitum ad cohibendum potius impetum & furorem eius, q̃ aliud quippiam præclare agendum contra eum miſit. Statimq́ ipſe Princeps conuocatis ducibus omnibus, & præfectis ſuis, corã eis ſic elocutus eſt:

Oratio Tyranni ad duces & præfectos ſuos

Nunquam dubium mihi fuit, Principes optimi & commilitones mei uobis omnibus illud unum eſſe certiſſimum, exploratiſſimumq́, regnũ, ius, imperium meum omne uobiſcum ſemper fuiſſe commune. Eius pro inde ſalus, & incolumitas non minus curæ uobis, q̃ mihi ipſi eſſe debet. Noſtis enim bene noſtis, quanti uos fecerim ſemper, ut me ipſo apud me nõ eſſetis inferiores, q̃ humane, q̃ benigne egerim uobiſcũ, ut nõ tanq́ regem ueſtrum & principẽ, ſed uelut cõmilitonem aliquẽ ex uobis uſque quaq́ me geſſerim. Qui nõ mihi tantũ, ſed uobis, uobis inquã, liberiſq́ ueſtris uixi, laboraui, inſudaui, & ad ſangninem uſq́ ſtudium, operamq́ meam omnem pręſtiti, quo regnum uobis pacatum, tranquillum, & undecunq́ maximum redderem, efficeremq́, quo inimicorũ impetũ omnẽ propulſarẽ, propellerẽ, & ciuitates, populos, uxores, liberos, fortunasq́ ueſtras augerem, illuſtrarem, extra periculum ponerem. Effectum, effectumq́ eſt ita diuinis auſpicijs, ut omnia duce tñ uirtute, fortitudineq́ ueſtra ex animi ſententia ceſſerint nobis. Nihilq́ ferè hodie uel peragendũ, uel optandũ ſuperſit uobis duces inuictiſſimi, quod uel ad nominis ſplendorẽ attineat, uel ad imperij amplitudinem. Quid enim enumerẽ domitã iam Aſiã oẽm, peruictã Thraciã, expugnatos Triballos, ſubiectas utraſq́ Myſias, debellatã Tauricã regionem, Alycarnaſeum regẽ è ſede deiectũ, Principes Illyrię expulſos, Pannones profligatos? Quę regio eſt (rogo uos per Deos immortales) quę tellus fortiſſima, ferociſſima, quam nõ arma ueſtra penetrarint? Qui populi, quę gẽtes indomitę & inuictiſſimæ, quæ no-

Narrat ſuas victorias per compendium.

quæ nomen, uirtutemq́ ueſtrã uel non timuerint prius quàm ſenſerint? Nunc uero (proh pudor) quid iſtud dedecoris eſt uiri principes? Quis tantus rerum tumultus? Vnde nouus & inſuetus timor hic? Tantos ni mirum rerum euentus pertimeſcitis? quos ignauus, ſubdoluſq́ Chriſti anus iamiam minatus uobis, Perſuaſit, ità ne perſuaſit omnia uobis (quę ueſtra eſt leuitas) Scanderbegiolus ille doli totius artifex, inexhauſtę malicię caput? Vultis, uultis ne ita facili negotio homines fugæ magis q̃ uirtutis memores, abſq́ pugna, abſq́ contentione imbelli, inutiliq́ Chriſtiano concedere, ea quæ cum maiores ueſtri, tum ipſi uos tot ſudoribus, tot uulneribus comparaſtis? Cur enim liberius mihi apud uos loqui nõ liceat pro rebus, pro liberis, pro fortunis ueſtris? Non diſputare apud uos de rei totius ſtatu? Non accuſare uos unq́ licebit mihi, quos & ſeruaui hucuſq́, & nunc maxime ſtudeo conſeruare? Vultis ne ſic abſq́ cę de, abſq́ cruore deſtituta Europa, quã tanto & deſiderio & labore poſſediſtis, in Aſiam turpiter confugere, & rem, ſtatumq́ ueſtrum cuiuis mortalium optabilem, hoc ignauo animi torpore ultro relinquere? Qua re nihil hoſti in uniuerſa uita optabilius, nihil iucundius eſſe poſſet. Sed age tuti ne in Aſia eritis? ubiq́ gentium perſequi uos non abſtinebũt. Quò uertemus? Quę ſpes reliqua nobis futura? Qui rex aut princeps nos excipiet, gentem omnibus inimicã æque ac inuiſam? Idcirco fortaſſe quia quicquid habemus, quicquid poſſidemus, alienum eſſe, uiolentumq́ dicunt, ſed iniuria mehercule. Dictum eſt enim, & uere mehercule dictũ: Quodcunq́ pes equi tui calcauerit, id totum tuum ſit. Nihil mortales in hac uita tulerunt ſecum. Nihil horum quæ hic ſunt, cuippiam proprium eſſe poteſt, omnia fortium uirorum ſunt. Deus omnium eſt dominus, & aperto campo cuncta in medium poſuit. Quibus igitur eius nutu & permiſſu potiti ſumus, quę omni merito iure ſumus adepti, & diuina uolun tate per tanta temporum interualla poſſidebimus nunc, nunc ſunt nobis pertinaciſſime tutanda, ſeruandaq́. Quamobrem, commilitones fortiſſimi, audite, animis adeſte, nolite terreri, ne hoſtibus magis atq́ magis audacia increſcat, ſed unà omnes, ut par eſt, conſilijs non tumultuoſis, & turbidis, ſed ſedatis, & quietis rem tantam capeſſite, cogitatus ueſtros confirmate. Si pulchrum ducitis uos, uitamq́ ipſam, tot regna, tot imperia diuinitus permiſſa uobis, uxores denicq́, liberos, fortunasq́ ueſtras contra Chriſtianam rabiem & furorem protegere, atq́ conſeruare, arma ueſtra intrepide, audacter in Chriſtianos ſumite, acriter aduerſus eos (ut conſueuiſtis) pugnate. Neq́ magni negocij atq́ operoſa res uideatur, quod auditis Chriſtianorum principes communi quadam concordia & conſenſu in nos arma excitaſſe. Nihil eſt adhuc uobis de ſumma uictorię ambigendum. Quid tandem eſt, cur cœlum ac terras miſceant? Edocti eſtis ſæpenumero gentẽ iſtam, quàm ignaua ſit, quàm imbellis, nullorũq́ neruorum. Ignaui ſunt omnes timidi, languidi, ſomnolenti, ocio aſſueti, delicijs & uoluptatibus dediti. Omnes in plumis, omnes in Venere educa-

Scanderbegiolum uocat in contemptum.

 ti, in curia,

ti in curia, in Senatu pugnaces, uerbis, non rebus animosi, ocio semper affixi hærent, in foro uiuunt. Nullum neq; bellandi studium, neq; belli artem tenent, neq; laborem corpus, neq; animus perferre periculum potest. Molles habent artus, & delicatos, non dura assueti disciplina. Aestus frigoris, inediæ, laboris, penitus impatientes, non curæ militaris gnari, ut uos Commilitones amantissimi, qui quot milites estis, quot bellatores fortissimi, tot uidere uideor mihi optimos imperatores. Qui uitam omnem in expeditionibus, & totas ferè noctes in armis & insomnes ducitis. Nihil ita durum, ita difficile, asperum, quod non uobis & lene, & facilimum uideatur. Qui ex tanta periclitandi assiduitate hi estis periculorum contemptores effecti, ut non modo non nolitis timere, sed etiam non possitis, qui spreta plumarum mollicię duros artus duriori iugo disciplinæ pręmitis in bello, & pugna paucis minimisq; contenti humi procumbitis, dura & extrema omnia pati assueti. Ita ad uictoriam contenditis, ita properatis, ut nihil quod sitis passuri, sed quo peruenturi tantum cogitetis, uulnerum prorsus, mortisq; immemores. Hæc sunt, duces optimi, fortissimorum, hæc optimorum militum studia, hæc officia, hæ artes, hæc uera militaris disciplina, hi strenue pugnant, hi facile superant, hos certa manet, hos indubitata uictoria. Contendant igitur ad nos Christiani loquaces principes isti, ueniant magnifici adhortatores, uerbis tantum feroces, operum militarium expertes, nescio quo fato, diu forsan longumq; huiusmodi expeditionis recordaturi, quum non ingenium, non artes ullæ eos leuabunt, non facundia proderit, non erit eis concionibus utendum, non enses (ut solent) muliebribus concinandi speculis, sed hostili cruore aspergendi, quum strenuus ab ignauo, ab imbelli bellator exterminabitur. Hi ne timendi uobis milites præstantissimi? His cedendum? quibus nihil humilius, nihil contemptius reperiri potest. Quid miraculi conspicor, in ancipiti sententia nutat animus. Ponite quæso ante oculos uniuersi, ponite singuli, facti huius dedecus, atque indignitatem. Reuocate animos, pristinam excitate uirtutem. Ita ne abijt omnis maiorum memoria? Nihil iam illius sanguinis supereſt? Nil mouet præterea fortuna fœlicior, quæ in omni uos expeditione, & maximis bellorum motibus est semper ex animi sententia, & comitata, & secuta? Nihil efferunt tanti rerum successus? Vtimini proinde (si Dijs placet) tanta rerum occasione. Viderunt tumultuosi Christiani isti, habent in oculis adhuc luctuosæ fortunæ suæ non uetustum, sed recens exemplum, confractas, contritasq; reliquias Varnensis & Basilienſis prælij. Quid de Græco imperio? Quæ uices rerum? Qui motus? Quantæ mutationes? Omnes tandem sub hasta uenierunt, sed clamant rapacissimi temerarij, & fugacissimi defendunt ignauiam suam, excusant imbecillitatem casus fortunæ, ac suorum perfidiam detestantur, non uestram admirantur uirtutem. O ridiculum remedij genus, hos Imperatorum insciția amisit, hos militum secordia, hos belli

hos belli fortuna absumpsit, illos inteſtinæ seditiones, alios credulitas nimia, & perfida domesticorum exitio tradidit, atq; alijs deinceps nocuit dissolutior hostium contemptus. Siccine igitur hos uenientes timetis, nedum uenturos existimatis? Viri fortissimi, id quod maxime optandum uobis fuerat, & uotis omnibus expetendum. At ego (ut efferā plane quod sentio) nec uenturos puto, domi se continebunt (mihi credite) nec inuiti, deponent minas istas. Demittent animos ridiculi bellatores. Satis pugnatum uidebitur eis, si hostem prouocarint. Laborāt pręterea seditionibus assiduis, factionibus agitantur. Omnes præesse, omnes imperare uolunt, parere nemo, tanta inter eos animorum diuersitas, multi sunt inter illos reges, multi imperatores, quilibet in consilia sua pro libito uoluntatis fertur. Nullus commune bonum & commodum procurat, simulant Christiani inter se, ambitiosi sunt omnes, cupidi omnes, odia inter eos maxima, cōsensus nullus, obedientia nusq;, in quibus tota uis imperij uersatur, in bello præsertim, nanq; his deficientibus, res militaris omnis ruit, nedum claudicat. Pręter hæc mutua cęde gaudet gens ista tā sancta, tam religiosa ultionem inter se quotidie, & insidias parant. Quas ob res, quę perfidus transfuga ille Scanderbegiolus ad nos literis suis tot minis & terroribus scripsit, contemnite æque, ac irridete. Coniurauit sci licet in nos omnis Christianorum cœtus, & turba, unà cum principe suo quem illi Papam appellant, quem illi ut nos Calliphum nostrum uenerantur. Conspirauerūt omnes fidei illius principes & reges, iam arma commouent, ut nos omnino persequantur. Europam patrimonium eorum iniuria à nobis occupatam uendicent. Secum nimirum moliuntur hæc, secum uidelicet loqui didicerunt, non stulti homines, ita est unusquisq; sibi bonus interpres. Sic & Agamemnon apud Homerum die quadam anteqū sol occumberet, sacros Troię muros dirruere uolebat, sed auersos oculos tenebat Iupiter, ridebat hominis uota. Properant Christiani ad comparandam sibi singularem gloriam, sed perinde difficilem, augebūt, ampliabunt (fidem meam obstringo uobis) rem, imperium q; uestrum, dum absorbere cupiunt. Quid enim (ut cętera omittam) de rerum, ac loco rum incommodis dicendum? quid de commeatibus, cæterisq; impedimentis? in quibus uel maxime stat robur, & subsidium belli. Nonne omnia quæ deerunt eis, uobis in expedito sunt futura? Locus ipse præterea uos tutabitur, & rebus omnibus affatim armabit, ad inferendā magis, q; ad recipiendam iniuriam idoneus, & tam ad inferendum, q; referendum pedē fidelis & habilis. Domi pugnabitis, ubi cuncta uobis affatim respondebunt. Incitabunt ad pugnam omnia, suggerent omnia uobis animum, & modum uincendi. Hinc seniorum parentum lachrymæ, hinc paruulorum liberorum oscula, hinc dulcium uxorum amplexus. Gentes ipsæ demum, quę auspicia uestra sequuntur, fidem pertinacissime seruabunt, nullis consilijs opus erit, non stimulis, non hortaminibus, accensi erunt omnes. Inuitat, hortatur, cogit unumquenq; commune periculum,

Christianorū discordia inter se.

Commeatus robur belli est

culum,commune ſuorum exitium,uocat æque cunctos ęqua belli ſors, monent rerum maximarum uices,ac euentus. Hic una libertas,hic ſeruitus perpetua,hic totius rei ſumma uerſatur,hic patriã,imperium,liberos, fortunasq; ueſtras,omnia in alea poſita uidetis. Agite ergo uiri ipſa uirtute maiores. Huc omnes gradum ſiſtite, animos firmate, dum tempus agit rem conſulite,ne enerues Chriſtriani iſti (niſi inſtituti huius eos fortaſſe pœnituerit,& ſatius domi ſe cõtinere tandem exiſtimarint) ignaros nos & imprudentes operiantur,adorianturq;. Quippe quum in omni actionum genere euentus maxime in periculo eſſe ſolent, quos non diligens aliqua,& expedita cõſultatio anteceſſerit. Quin &ſi contemptibilis gens iſta ęque ac ſuperſtitioſa,uel ſua ſponte (ut moris ſui eſt) ab incepto deſiſtere maluerit,uel demum quiſpiam eorũ conſilia, & rem ſuo ipſam molimine grauẽ præuerterit,ipſi ultro in eos progrediamur,ultro irruamus. Sic & impoſterum quicquid periculi è medio tollemus,& ſuperabimus forſan omnes (ut uno uerbo cuncta abſoluam) ita ſuperabimus, ut hodie orbis totius imperia ſint in uos facili negocio peruentura,quod diuinitus eſt genti noſtrę promiſſum,ut ex aſtrorum ſcientia didici. In qua diuina arte (ut noſtis) uel ab ineunte ætate opere plurimum impendi,& ex ea fructus maximos cepi,quam qui recte tenent, neq; falli,neq; errare queunt. Vniuerſam nanq; mundi huius machinam à ſuperioribus motibus atq; ſtellis gubernari nemo ambigit. Non deerunt præterea uobis (ne domo diſcedam) milites fortiſſimi,non ualidiſſimi exercitus,nõ multitudo,ac penè innumerabilis copiarum immenſitas, nõ equi, non arma optima cuiuſcunq; generis,non tormenta,nõ qui eis perite utantur,quæ ad uictoriam comparandam ſunt potiſſima, cum aſtrorum benignitate, & Deorum auxilio diſceſſerimus. Quod uero ad Scanderbegũ attinet, qui tantis rerum ſucceſſibus ferocior factus, fines noſtros quotidie infeſtat,Macedonię ueſtibula obſidet,& ad nos literas omni tẽpore, ac nuncios mittit,nouum doctrinę genus ſuadet,quod ſeipſum male docuit, extirpabimus (qñ res ita feret) delebimus. Extinguemus uno ictu totũ hominem cũ omni gente & poſteritate ſua,& ſi uiuus forte aliqua in manus meas uenerit,ædam in nephario corpore illo omnia crudelitatis exẽpla. Ita unus omnium maxime tanq; lerna quędam malorũ (ut de patris morte taceam) animũ meum offendit, remq; & imperium noſtrũ afflixit tot ducibus,tot principibus,tot fortiſſimis uiris abſumptis. Sed indulgeat nunc aliquantulum ſtultitiæ ſuæ ſtultiſſimus hominum,deſipiat, gloriẽtur regno iſto ſuo atq; ambitioſa paupertate,quouſq; ſibi fata permittũt, quandoquidem hodie maiora nos rerum pondera uocant.

Turca ex aſtris colligit orbis imperia ſibi promiſſa.

Minatur atrocia Scanderbego.

His à Mahumete peractis, omnes eius duces, & caſtrorum præfecti, uno eodemq; conſenſu ſummam & inuiolabilem fidem Ottomano,ſummamq; obſeruantiam iureiurando ſanxerunt, non tempore ullo laboribus aut periculis parcere,ſed,omnia ſua,uitamq; etiam ipſam, ſi ita exiget res,pro Ottomanę familię dignitate,pro ſui imperij amplitudine ſemper intrepide

intrepide exponere policiti ſunt. Adeo nullum periculi genus animo cuiuſq; obſeruabatur,ſed publicũ imperium, ſeruitiumq;. Cæterũ Mahumete in præſentia paulum omiſſo Scanderbegũ repetamus, qui ingenti onuſtus pręda cũ militibus ſuis lętabũdus ex hoſtili agro in caſtris reuerſus eſt. Cui illico nunciatur, Seremetiũ Mahumetis præfectũ cũ maximis copijs in finibus Thracię & Macedoniç aduentaſſe. Cui occurrere Scanderbegus omnino ſtatuit, ut cũ eo (ſi poſſet) congrederetur. Venerat ibi Seremetius cũ xiiij. millibus militum ad agrũ,& fines tutandos,ne facilis Scanderbego pateret incurſio, qui copias ſuas partim in Ocridam urbẽ, quę nunc ab incolis Alchria nuncupatur, partim uero extra urbem,& in ſuburbijs collocauerat, ubi circũquaq; caſtrametati erant. Erat enim prope urbem lacus, ex quo Drino flumen exordium ſuũ habet, ingens, & piſcium copia ac diuerſitate admodum celebris. Quó cum Scanderbegus peruenijſſet, ad tria millia paſſuum inde procul ſe occultans cum decẽ millibus equitũ, peditumq; in inſidijs ſtetit. Ad hoſtemq; quingentos equites expeditos præmiſit. Quibus Peicum Emanuelis, & Petrũ Angelum Driuaſtenſem Andreę filiũ præfecerat, uiros tam genere, q̃ factis claros, quo illum (ſi poſſent) ad pugnã & certamẽ prouocarent. Nouerat enim Scanderbegus ibi eſſe quæſtorẽ quendã oĩm uectigaliũ & tributorũ Mahumetis, uirũ prędiuitẽ, & bellicoſum, ac pugnæ percupidũ, qui facile ad pugnã prouocaretur. Iniunxerat autẽ Scanderbegus militibus ſuis, qui ad prouocandũ hoſtẽ profecti erãt, ut ſi hoſtis erumperet, & ad pugnandum egrederetur, ei frigide reſiſterent, retroq; pedem ferendo fugã ſimularent, ut is fugientes inſequutus, ad locũ inſidiarum peruenire, in quo ipſe eos expectabat, ſicq; eſt effectum. Quod ubi Scanderbegus hoſtem appropinquaſſe uidit, repente ex inſidijs proſiliens, ſummo impetu eum ex omni latere adortus fudit atq; diſſipauit. Cęſi ſunt ex hoſtibus ſupra x. millia, plures capti: inter quos ipſe Quęſtor cũ filio præfecti caſtrorũ, & alijs xij. magnę autoritatis uiris, uincti ad Scanderbegũ deducti ſunt, qui xl. millibus aureorum ſe redimerunt. Quibus donata à Scanderbego libertate, uniuerſa eius caſtra donis & muneribus impleuerunt. Reuerſus itaq; Scanderbegus in caſtra,& ad proprios agros uictor cum copijs ingenti gaudio expectabat, ut Chriſtianus exercitus, & cruceſignati transfretarent: ſed fortuna inuida, & maligna, quæ nemini mortalium longo ocio, longaq; uoluptate frui permittit, omnia in ſubitum mœrorem conuertit. Nam ecce paulopoſt Scanderbego nunciatur, Pium Pontificem maximum, qui cum Chriſtianis copijs, & cruceſignatis aduerſus Mahumetem egreſſus fuerat, cui etiam Princeps Venetus cum Senatoribus ſuis, & inſigni maritimo apparatu occurrerat, ut primum pedem in Anchonę urbem intuliſſet, uitam cum morte cõmutaſſe. Ex quo Chriſtianus exercitus, & omnes cruceſignati hincinde diffuſi paſſim diſperſi, ad propria rediere. De cuius uiri laudibus pauca in medium afferre decreui, ne unus omnium uiri illius uirtutes reticuiſſe uidear, cum

De aduentu Seremetij præfecti cum exercitu, ad fines Thraciæ, Macedoniæq;.

Ocrida urbs, dicta Alchria

Victoria Scanderbegi cõtra Seremetium

Pius 2. Papa Anchonæ moritur.

dear, cum autores ferè omnes de eo accumulatissime, elegantissimeq; scri-
Vita Aeneæ Siluij. pserint. Fuit autem Pius, qui prius Aeneas Syluius poëta uocatus est, pa-
tre Syluio, matre Victoria, Senis ex nobili genere, & peruetusta Picolho-
minea familia oriundus, uirtute præstans, uitæ sanctitate conspicuus, stu-
diis humanitatis præcipue excellens uir, in quo ambiguum erat, doctri-
na maior, an eloquentia fuerit. Grata hominis præsentia, blandi mores,
uita in omni ætate nitida. Religionis zelus, salutem, ampliationemq; fidei
Christianæ quærens, eiusq; cultor, ac maximus propugnator, quē per
Ecclesiasticos dignitatis gradus profectū sacer Senatus Cardinalium in
Pontificem maximū elegit, & omnes Christiani principes tanquam cœ-
leste quoddam numen, & altissimo domicilio demissum in terram, omni
pietatis cultu ueneratus est. Fuit etiã Pius omnium nostri seculi fortuna
tissimus, princeps pacificus, & omnium fermè pater, ac magister, qui ea
ætate nostras, aut Græcas professi sunt literas. Admirabilis profecto uir,
& omni ueneratione dignus, qui omnem ætatem suam legendo, docen-
do, scribendo percurrit. Scripsit enim complura uolumina, tam diuinas
q; humanas complexus res. Contexuit historias multas, ac uarias, cum
locorum, & totius ferè orbis situ, quæ nunc singula referre non est opus,
cum ea ædita per manus omnium quotidie perlegantur. Magnus profe
cto, & clarus Pontifex, contempsit pecunias, uirtutem apprime dilexit,
neq; secundis rebus intumuit, neq; succubuit aduersis, neq; spes ei gaudi
um, neq; metus tristitiam auxit. Potus, cibiq; parcissimum fuisse tradū,
Diuina officia interdiu noctuq; nunq; neglexisse. Pompas seculi fuge-
rat, calcauerat auaritiam, libidinem subegerat, sedatus animus eundē sem
per eius uultum ostendit. Durus & asper in hostes Christi, promptior
in fide receptis. Euangelij non surdus auditor. Omnia inter Christi pau
peres erogauit. In quo ea à principio modestia, ea grauitas, id acumen in
genij, id studium literarum, is amor uirtutis emicuit. Cum primum uero
Pontificatus apicem adeptus esset, magis effulsit. Multa in Turcas para-
uit, Reges & principes omnes concitauit. Sed dum hæc molitus, à fatis
de medio sublatus est. Cuius quidem occasu tantum Respublica Christi
ana detrimenti suscepit, ut adhuc eius obitum maxime lugeat, cuius con-
silio, auxilioq; semper usa est. Cum emergere, respirare, & iamiam in por
tu, & in tuto propediem se fore speraret, subito, & inopinato illius casu
afflicta est, & nunc consternata admodum, & à Barbaris undiq; exagita-
ta plurimum mœret atq; tristatur. Quo certe tristi nuncio Scanderbega
ni milites, qui prius de uictoria gloriabundi cū triumpho uenerant, tan-
quam fulmine icti dolore q; maximo penè confecti sunt, quod huiusce
modi expeditio à Christianis contra Mahumetem susceptа, in irritum ce
cidisset. Sed magnanimus & inuictissimus Princeps Scāderbegus nihil
admodū ex hac ruina, & Christiana calamitate territus est, neq; dolore
perculsus, sed hilarē in milites suos uultū prefeferens, conuocatis militi-
bus, & eleuatis oculis ad cœlum, sic religiosissime clara uoce locutus est:

Dominus

Dominus meus & Deus meus, cunctorū cognitor, qui nosti omnia *Vt Scanderbe-*
antequam fiant, cui præterita & futura tanquam præsentia patent, & in *gus tulerit*
conspectu tuo sunt, à quo omnia in uero & recto iudicio fiunt, qui cun- *mortem Pij.*
cta optime regis atq; moderaris, cuius diuina & immensa sapientia à fine
ad finem usq; pertingit, & omnia suauiter disponit, uota mortalium, &
desideria nostra quandoq; frustraris, nec nos permittis semper his ex ani
mi sententia potiri. Quæ & si quidem bona nobis & utilia apparent, in
conspectu tuo tamen longe aliter se habent. Multa etenim profecto quæ
nobis uidentur profutura, maxime aduersa à te fore dignoscūtur. Nanq;
(ut quod intēdit meus iam exprimat animus) nulla est ita magna ciuitas,
aut populus, qui si foris hostem non habeat, domi non inueniat, cū quo
certet & contendat, quo etiam præualida corpora ab externis causis tuta,
suis se uiribus præmunt, & onerant. Vtinam Romani Carthaginem sibi
æmulam, & aduersariam non euertissent, hostem foris non sustulissent,
quo haberent quem semper timerent. Nam ciuilibus inter se bellis non
conflagrassent, arma in seipsos nō conuertissent, res eorum & imperium
nunc forte staret. Nam timor externus, qui optimus tutor, & maximum
domesticæ concordiæ uinculum esse dicitur, eos tutatus esset, atq; conser
uasset. Ita nunc dicendum farsan nobis nec iniuria de Christianis & fide
lium populo. Qui si hostem foris nō haberemus, aduersario careremus,
qui nos solicitatos & timidos teneret, procul dubio arma propria in nos
metipsos conuerteremus, & domesticis, ciuilibusq; bellis una oēs ruere-
mus. Igitur nequaq; inutile Christiano populo fuisse existimo, quod hæc
Turcaica & hostilis expeditio modo non processerit, ne dum hostem fu
garemus magis dolendum, & truculentiorem domi pararemus nobis in
cendium. Quamuis fatendū est indubitanter illud, atq; pro certo haben-
dum, Ottomanum imperium, quod ui, insidijs, & pessimis artibus exor-
tum atq; auctum est, & diuinis humanisq; obrutū sceleribus, cito casurū
esse, periturumq;, quia male parta (ut sapienter dictum est) male dilabun- *Ottomanū im-*
tur, & nemo diu tenet uiolenta imperia. Rem uero Christianam, & Petri *perium male*
nauiculam diuino ore fundatam atq; erectam perpetuo duraturam cer- *partum.*
tum est. Ex quo Deus oīm domine, & rex omnipotens, qui longe nobis
utiliora atq; meliora q; ipsi postulare nouimus, tua benignitate dare atq;
cōcedere dignaris, te supplices humiliter deprecamur, ut mala & peccata
nostra diluas, fidēq; tuã, & populū Christianū à rabie & Ottomano furo
re defendas, quē hic truculētissimus Tyrānus Mahumetes cōtinue perse-
quitur, suaq; immanitate perdere atq; euertere conatur. Cęterū dimisso
nūc paulisper Scāderbego, ad Mahumetē principē me conuertā. Qui au
dita fuga & cęde suorū militū, qui cū Seremetio eius prefecto profligati
fuerant, maiori ira atq; furore accensus, alium prefectum contra Scander
begum, Ballabanū Baderam nomine, cū xv. millibus equitum, & tribus *Ballabanus Ba-*
peditū misit. Hic uir nō minus strenuus & bellicosus, q; rei militaris peri- *dera præfe-*
tus, & callidus erat, qui preclara facinora multa sub Mahumete ediderat. *ctus.*

Nam hic

Nam hic ea tempeſtate, qua urbs Conſtantinopolitana à Mahumete expugnata fuit, primus muros urbis aſcẽdit, urbemq; ipſam ingreſſus eſt. Propterea Mahumetes ipſum ad præfecturę dignitatem ex infimo gradu promouerat. Erat enim Ballabanus Epiro oriundus, genere & parentibus obſcuris, Iohanni Caſtrioto patri ipſius Scãderbegi ſubiectis. Qui cum admodum puer eſſet, à Turcis captus, in ſeruitutem deductus eſt. Breui, & modica corporis ſtatura erat, ſed peracris ac ſolertis ingenij, magnicq; animi, atcq; intrepidi, ut de Tideo illo apud Homerum ſcriptũ eſt, quem corpore exiguum, ſed maximũ bellatorẽ fuiſſe tradunt, uiribus & robore corporis pollens, manu promptus, belli percupidus atcq; ardens. Qui ut primum ad urbem Alchriç, & fines Macedoniæ peruenit, exercitumq; ſuum perluſtrauit, maxima dona & munera ad Scanderbegum ſibi conciliandum (ut quidam uoluere) occulte miſit, ne ſi forte à Scanderbego profligato ſuo exercitu caperetur, ab eo obtruncaretur. Quamuis propius ſit fidei, quod id nõ fecerit, niſi ficte, ſimulateq;, ut poſtmodum liquido re ipſa patuit. Nam ipſe toris uiribus, arte, & ingenio Scanderbegum euertere contendit. Verum Scanderbegus, quem inſidiæ, aſtus, & Barbara fraus nõ latitabat, eius amicitiam, dona et munera reſpuens, eidẽ ligonem, uomerem, falcem, aliaq; inſtrumenta Ruſticana dono remiſit, mandauitq; ei, ut omiſſis rebus bellicis (cũ ea curatio altior eſſet faſtigio ſuo) ruralia & agreſtia officia, paterno ac maiorum ſuorum more exerceret, qui uilem ac paganam uitam ſemper excoluerant. Quod Ballabanus permoleſte atcq; indigne ferens, Scanderbego ualde iratus atcq; ſuccenſus eſt, iurauitq; ſe de hac ignominia (ſi tẽpus ac opportunitas ſibi daretur) omnino ultum iri. Itaq; ſtatuit nocturno tempore furtim, & ex improuiſo Scanderbegum adoriri. Itaq; contra eum noctu caſtra ſua mouit, ſed Scanderbeg ab exploratoribus ſuis admonitus, ſtatim ei occurrit. Quo cognito Ballabanus exercitũ ſuum gradum ſiſtere iuſſit, ne ulterius progrederetur, qui ad duo ferè miliaria à Scanderbeganis caſtris ſibi locum cepit. Erant autem in exercitu Scanderbegano quatuor tantũ millia equitum, peditum uero mille & quingenti. Non quod maiores ei ad delectũ copiæ (ſi uoluiſſet) & militum numerus deeſſet, ſed quia ueteranos oẽs, & florem iuuentutis deligebat, quorum uirtuti multũ confideret: & melius uidebatur (ut Fabius ille dicere eſt ſolitus) omnes locupletes reducere, cq; multis rem gerere militibus. Quem præterea dicere ſolitum audio: Ducem illum, ſiue Imperatorem, qui cum octo millibus, uel xij. ad plus, hoſtem uincere neſciebat, haud quaquam cum maioribus longe copijs uictoriam reportaturum eſſe. Multitudinem enim copiarum, & militum numeroſitatem confuſionis cauſa, ac uictoriæ impedimento pluries extitiſſe aſſerebat. Barbarus autem (ut prędiximus) xv. millia equitum, peditum uero tria millia habebat. Erant autem Scanderbegana caſtra in ualle quadã amœna, & ſpatioſa, quæ in longum protendebatur, cui Valchalia nomen erat. Barbari uero ex altera uallis parte caſtra poſuerãt iuxta montem, qui

Tideus Homericus.

Ruſtica dona, quæ Scanderbeg miſit Ballabano.

Fabij dictũ celebre.

Valchalia loc⁹ caſtrorum Scanderbegi

tem, qui Valchalem ipſam terminabat. In cuius ingreſſu fauces, & anguſtię erant, nam Barbari ipſas fauces & montem in ſua poteſtate tenebant. Ibiq; inſidias diſpoſuerant, ut cum pugnam commiſiſſent, ſi forte Scanderbegani uictoriam conſequuti, fauces ipſas ingrederentur, ut inde ad caſtra diripienda pertranſire poſſent, ab his, qui ibi in inſidijs aderãt, perturbarentur, occiderentur úe. Scanderbegus uero, qui in altera uallis parte caſtra ſua collocauerat, uolens inde ſe mouere, & collem, ſiue tumulum quendam, qui ſibi à tergo imminebat, præoccupare, quo tutius atcq; commodius ſtare poſſet, his uerbis milites ſuos præmonuit:

Adhortatio Caſtrioti ad ſuos.

Commilitones mei, compertum eſt mihi hodierna die hoſtes nos ad pugnam prouocaturos eſſe, ſed prius quàm ueniant, hinc caſtra ammoueamus, & collem qui cõtra nos eſt, pręoccupemus, quo tutius commodiusq; eſſe poſſimus. Verum aduertite q; hoſtis cum nos hinc diſcedentes uiderit, nos fugã arripere exiſtimabit, quia numero pauciores ſumus. Ideo repente impetũ in nos faciet, ſed uos uiri fortiſſimi impetum eorum fortiter ſuſtinete, in eosq; conuerſi acerrime, intrepide (ut ſemper facere conſueuiſtis) irruite, perterrefacite, & in fugam cõuertite, quos (haud mihi dubium eſt) ſtatim profligabimus. Sed cauete, cauete (quæſo) milites mei optimi, & ſtrenuiſſimi, cum hi in fugam conuerſi fuerint, & uos cædendo, obtruncandoq; eos perſequuti fueritis, fauces illas, & Valchales furcas nequaq; ingrediamini, nec ulterius procedite, quia in his Barbarorum inſidiæ latitant. Noui enim milites mei amantiſſimi, noui, inquã, Barbarorũ ingeniũ, noui eorũ ſtratagemata, & calliditates, in quibus huiuſcemodi hominum genus plurimũ uerſatur. Hæ enim anguſtię & fauces, quas uidetis, milites mei egregij, plenæ ſunt armatis, qui nos in inſidijs poſiti expectant. Vbi ſi ingreſſi fueritis, omnes profecto ad unũ trucidabimini. Satis ſit igitur uobis uictoriam ad fauces uſq; ſequi.

His dictis, Scanderbegus cũ uniuerſus exercitus incredibili alacritate adhortationẽ eius proſequutus eſſet, nonnullas pręmiſit expeditorũ cohortes, quę montẽ & collẽ, quẽ caſtris ſuis deſignauerat, pręoccuparent. Dehinc ipſe collem uerſus caſtra mouit. Quod cũ Barbarus aduertiſſet Scãderbeganos aufugere ratus, inordinato milite, & effuſo curſu uallem ipſam cũ impetu ingreſſus in eos irruit. Sed Scãderbegani milites & animo, & audacia pleni, nec clamore, nec impetu Barbarorũ perterriti, ſed cõuerſis aciebus, & uexillis, ſumma ui, totis q; uiribus Barbari impetũ ſuſtinẽdo cũ eo acerrime pugnã inierũt. Certamẽ ingẽs oritur, cędes utraq; ex parte ualida fit, uictoria diu nutãs in ancipiti ſtetit. Sed tãta fuit cõſtantia, & pertinacia Scanderbeganorũ militũ, & quia Barbari turbato & cõfuſo, ut iam prędiximus, ordine ad pugnã irruerant, uenerantq;, ut uictoria proculdubio de hoſtibus potirentur, qui fuſi atcq; profligati à Scanderbeganis militibus uſq; ad anguſtias & Valchales furcas cõpulſi ſunt. Cæterũ octo tñ uiri ex Scanderbeganis bellicoſiſſimi, & fortiſſimi, quo tũ quiſq; certe inter optimos duces et imperatores cõnumerari poterat,

Martis

Martis furore, impetuq; belli longius delati ſtudio inſtandi, ſequendiq; præceptorum ducis immemores trahuntur ad locum inſidiarum, & fauces ipſas ingreſſi ſunt. Quas non multominus fortè Epirotico ſanguine, q̄ Caudinas clade Romana inſignes dixerim, ubi Barbarorum inſidiæ aderant, quas Scanderbegus, prius eis non falſus uates prædixerat, quo in loco diu pugnârunt, fauces tandem illas & anguſtias euaſi, egreſſiq; ad caſtra Barbarorum peruenerunt, ubi etiam manus cum hoſte conſerentes, ad extremum in montem, qui in Barbarorum pontem erat, confugerunt, ibiq; rurſus in inſidias inciderunt. Itaq; poſt multa uulnera defeſſi, ac defatigati, laſſiq; uiui à Barbaris capti ſunt, qui ob eorum animi præſtantiam, & corporis fortitudinem minime reticendi ſunt. Quorum profecto ſi præclariſſimas & egregias uirtutes, & quicquid ipſi ſumma cum laude pro Chriſtiana fide ſemper geſſerint, complecti uellem, in longiſſimam exirem hiſtoriam, nunc nuda tantum eorum nomina ponam.

Caudinæ fauces. Vide Liuium lib. 5. de bell. Maced. & Aſia.

Captiui Epirē ſes Conſtantinopolim ducti

In primis itaq; occurrit Moſes ille à Dibris, de quo ſupra multa diximus, Scanderbego unus maxime charus, ac fidus, cui ſumma res exercitus ab eo demandata fuerat. Poſt hunc Giuriza Vladenius, qui Scanderbego ſanguine coniunctus erat. Muſachius Angelinæ, nepos Scanderbegi ex ſorore, Ginius Muſachius, Iohannes Perlatus, Nicolaus Berriſius, Georgius Chucca, & Ginius Maneſſius, qui lachrymoſiorem caſu ſuo rei Albanę ſtatum fecerūt, q̄ unq; antea. Nam cum omnes & corporis robore, & animi fortitudine, & militari ſcientia plurimum excellerent, tanto præterea terrori atq; formidini Barbaris fuerant, ut cum Ottomano principi illos captos ad ſe deductos nunciatū fuiſſet, Mahumetē hęc dixiſſe ferunt: Nunc uere ſcio, nunc certum eſt mihi Scanderbegum corruiſſe, uires eius conſternatas atq; proſtratas eſſe, fortitudinē & audaciam ſuā amiſiſſe. Poſtq; eum ſolus Ballabanus puer meus, & filius meus ex omnibus ducibus & præfectis meis, qui ante eum fuerunt, ſtrenuus unus, & bellicoſus, uincere, ſuperareq; nouit, à quo tot Duces noſtri, & Imperatores fortiſſimi bello, & pugna ſuperati, partim ſub iugo in captiuitatem deducti, partim cęſi & obtruncati ſunt. Qui poſtq; Ballabanum multum ſatisq; laudauit, aurum & argentum cum aliis pleriſq; donis & muneribus ei miſit, mandauit, ut inſtaurato ſubpletoq; exercitu contra Scanderbegum bellum continuaret. Verum Scanderbegus cui maxima cura & ſolicitudo de militibus ſuis inerat, qui à Ballabanio capti, ad Mahumetem uincti miſſi fuerant, confeſtim nuncium ſuum cum literis ad ipſum Ottomanum miſit. A quo petijt, ut milites ſuos, qui à Ballabanio pugnando capti fuerant, aut auro uendere, aut captiuis permutare uellet. Quos Mahumetes nec auro tradere, nec captiuis permutare uoluit. Sed quum nullum calamitatis, contumeliæq; genus non æditum in eos eſſet, omnes excoriari more ſuo iuſſit. Qua fœditate ſupplicij aliquanto ignominia Chriſtianorum inſignior fuit, eorum interitum uniuerſus exercitus maxime luxit, nec uictoria de Ballabanio cōſecuta eſt. Multū gauiſus propter

Epirenſes excoriati uiri ſtrenui.

propter huiuſmodi uirorum amiſſionem. Maior itaq; è ciuibus deſideratis dolor, q̄ lætitia ſuſis hoſtibus fuit, & deplorati ſunt omnes, non priuato magis, q̄ publico luctu. Magnam quoq; partem audio ueſtem mutaſſe, multos mortales capillum ac barbā promiſiſſe. Scanderbegus ipſe etiam abſentia & deſiderio eorum, magno eſt dolore affectus, qui tamen (ut erat intrepidi atq; inuicti animi) ſtritatus magis ea re, q̄ fractus, ſtatim Turcaicum, & hoſtilem agrum ulciſcendi magis, q̄ prædę ſtudio inuaſit, omniaq; depopulatus eſt. Nulla incolumi relicta re, cui ferro, aut igni nocere poſſet. Cæterum Ballabanius, cui prouincia à ſummo principe aduerſus Scanderbegum belli cōtinuandi demandata fuerat, inſtaurato, atq; ſuppleto exercitu ſuo in Alchriam urbem ad Macedoniæ fines cum xv. millibus equitum, & tribus peditum reuerſus eſt. Qui aſtu, & ſi de Barbara ſimulans amicitiam cum Scanderbego uelle, uaria ac diuerſa dona ei miſit. Quibus Scanderbegus ſpretis atq; reiectis, reſpondit ei, ut ruralem & paganam uitam, omiſſa militari, excolere deberet. Qua de re Barbarus admodum ſuccenſus inſidijs, atq; omni ſua calliditate occaſionem quærebat, qua Scanderbegus improuiſus aggrederetur, oppriméreturq;. Itaq; die quadam ſumpta opportunitate, ignorantibus cuſtodibus, & uigilibus ipſius Scanderbegi, caſtra ſua in loco Oronicheo dicto ſuperioris Dibræ, & iam eum ex improuiſo oppreſſerat, ni ipſe Scanderbegus, qui ſemper peruigil ſolers ac diligens in caſtris erat, equorum fremitum & ſtrepitum noctis tempore caſtra obequitans (ut ſui moris erat) à longe pręſenſiſſet, atq; hoſti in ſe ruenti mox tumultuario ordine (neq; enim aciem digerendi ſpacium fuit) obuiam proceſſiſſet, cum quo inito prælio acriter, totiſq; uiribus pugnans, in fugam cōuertit, uniuerſumq; eius exercitum penè deleuit, caſtriſq; eius potitus eſt, haud quaq; tamen incruento milite ſuo. Poſtq; Mahumeti hęc nunciata fuere, diu multūq; ſecum cogitans quid agere deberet, an alium q̄ Ballabanū copijs ſuis aduerſus Scanderbegum præficeret, qui omnino inuictus atq; inſuperabilis habebatur, qui tot duces & præfectos, tam ſuos, q̄ Amurathis patris bello ſuperauerat, Ballabanumq; ipſum re bellica cæteris ducibus & imperatoribus longe præſtantiorē parua manu fuderat, atq; profligauerat. Ad extremum Ottomanus multis de cauſis decreuit adhuc ipſum Ballabanum cum exercitu contra Scanderbegum mittere, tum quia ei inimiciſſimus erat, tū quia Albania oriundus loca omnia Epiroticæ terrę optime nouerat. Prętera utpote qui norat animum humanum inſatiabilem, ipſius Scanderbegi regnum ei promiſit, ſi illum è medio tollere poſſet. Itaq; maximo & ualidiſſimo exercitu ipſum expediuit. Qui quum ad urbem Ochridam decem & ſeptem millibus equitū, & tribus peditum ueniſſet, imprimis optimos ac uelociſſimos equos, necnon ueſtes ex auro & argento contextas Scanderbego dono miſit, poſtulans ab eo, ut eius amicitiam atq; ſocietatem non dedignaretur, cui fidem ſuam mutuamq; beniuolentiam ſemper præſtaturū ſe, ſeruaturumq; pollicebatur. Quæ

Prælium Ballabani et Scanderbegi.

Quæ Turcæ promiſerit Ballabano, ſi uincat Scanderbegum.

omnia Barbarus fide callideq; agebat, ut si Scanderbegum in suam sententiam adducere posset, incautum improuisumq; opprimeret. Sed Scanderbegus satis edoctus nullam Barbaro fidem præstabat, sed munera, & amicitiã ipsius explodens pro uili rustico, et pagano illũ semper habebat. Quũ iam Ballabanus interuallo trium ferè mensium in Ochridam urbẽ moram traxisset, nec occasionẽ aggrediendi Scanderbegũ ex improuiso unq; nactus esset, Statuit omnino fortunã tentare, & cũ Sbandergo palàm bellum commitere, cui cum de aduentu ipsius relatum esset, his breuibus paucisq; milites suos sic ad pugnam, sic pro uictoria cohortatus est:

Cohortatio Scãderbegi ad milites.

Nostis socij & commilitones mei, nos aduersus fures, prædones, atq; Reipublicæ Christianæ persecutores, pro eiusdem salute atq; tutela pugnare. Quamobrem forti paratoq; animo sitis, ut cum ad rem uentum erit, memineritis uobiscum gloriam, decus omne, præterea libertatem ferre, patriam, liberos, fortunasq; uestras. Si superiores erimus, omnia tuta erunt nobis: si imbelles, timidiq;, nihil infœlicius, nihil contemptius. Deus ipse præterea, qui hostes uestros persequitur, fouet nos, uiresq; suggerit, qui ad iniuriam propulsandam occurrimus, quo audacius aggrediamini pristinæ uirtutis memores. Egressurus itaq; Scanderbegus aduersus Turcas, Barbarosq;, imprimis Deo optimo maximo pro uictoria

Scanderbeg præditus ingenio Numæ aut Romuli.

uouebat. Erat enim in eo principe Numæ quoddam & Romuli ingenium, nihil nec diuinę, nec humanę opis prætermittens, quæ dehinc in bello opus erant, parabat. Aliquibus ex suis militibns equos donabat, alijs arma, alijs uestes, nonnullis pecunias, alijs uero alia, ut eorum animos ardentius, uehementiusq; ad bellum excitaret, hortabaturq; illos, ut forti, præsentiq; animo essent, & magnitudine præmiorum ac spoliorum mouerentur, nec labore itinerũ deterrerẽtur, nec grauarẽtur gestare fascem, & solis ardores, ac glaciale frigus constanti animo tollerarent, & ut uallo, fossaq; castra communirent, pro portis excubarent, acriter ancipites inferrent pugnas, uel uera laude pensarent, mortem ignominia potiorẽ existimarent. His peractis, copias suas in amplissima planicie in agro Sfetigradensi deduxit, ubi Ballabanus cũ suo exercitu aderat. Diuiserat enim Scanderbegus exercitum suum in quatuor acies, quarũ primam Goico Stresio nepoti ex sorore dederat, aliam Tanusio Ducagino, tertiam duci Musachio, uiris bellicosissimis, quartam uero sibi in cohortẽ retinuerat. Pedites uero inter equitum alas collocauerat, quibus quatuor uiros bellatores acerrimos præfecerat, Paulum Manessum, Peicum Manueli, Demetrium Berissam, & Raianum Chucçam, quo sic in ordine & cornu deducto intrepidus, hilari animo hostem suum expectans, nec pugnam detrectans. Prouocatus hincinde elatis uocibus pugnam acerrime iniit, crebri ex utraq; parte cadebant, sed ex Barbaris plures, ingens strages, & cædes undiq; ędebatur. Si quis profecto Scanderbeganos milites pugnare

Scãderbegani milites leones.

uidisset, existimasset eos non ut homines, sed ut fortissimos & robustissimos leones. Qui in hostes sæuiendo undiq; eos perterrebant, nulla ipsi ui, nullo

ui, nullo periculo perterrebantur, uel pedem referebant, quippe quibus semper non minus animi ad mortem ipsam, q; ad cędem erat. Scanderbegus uero princeps qui hostiũ naturam mores q; tenebat maxima cum prudentia, atq; dexteritate bellum committebat, multo labore, multaq; cura obuiam periculis eundo, Ipse cum equitibus in prima acie uersabat, laborantibus succurrebat, integros pro saucijs suggerebat, omnia prouidebat, multum ipse pugnabat, strenui militis, & optimi imperatoris simul officia exequebatur. Nam sicubi acies flectebatur, illic præsto erat, pugnam restituebat, sicubi pluribus labor erat, periculumq; imminebat, illic Scanderbegus aderat, rem iam inclinatam sustinebat, in confertissimos hostes sese conijciebat, presentiaq; ipsius omnis uis cessabat, omnis pugna dirimebatur. Ita Turcarum animis nihil terribilius erat, quàm ipsius forte oblata species, qui quocunq; se intendisset, uictoriam secum haud dubiam trahebat. Omnia prçsente Scanderbego Marte secundo expediebantur, omnis periculi uis & procella cessabat, adeò ut

Scanderbeg pro deo habetur.

Albani, Barbari, et Christiani omnes uno ore clamarent, affirmarẽt Scanderbegum maximum in orbe terrarum bellatorem, Deum produxisse. Quum ita igitur inter densissimos hostes pugnaret, equus ei à Barbaris lętali uulnere confossus super uetustæ arboris truncũ prolapsus decidit. Isq; in brachio graui ictu lęsus est, superq; truncum illisus propter subitam equi ruinam. Arbitrati sunt Barbari Scanderbegum exanimatum esse, omnesq; conglobati ibi ut eum obtruncarent accurrerunt, Sed à militibus suis subito protectus à furore, & impetu eorum tutatus est. Adiutusq; statim equum insilijt, & lenito mitigatoq; dolore, resocillatisq; uiribus pugnam accerrimam cum Barbaris redintegrauit. Qui tanto impetu cum cohorte sua in hostes delatus est, ut quotquot ex illis accurrebant ab eis prosternerentur, haud aliter cædes & strages ex Barbaris fiebat, q; si uideres in campo calamos à ui & tẽpestate euulsos radicitus corruere, & ad terram prosterni. Sic Scanderbegus per omnes hostiũ acies hac illac discurrens prouolabat, atq; penetrabat, ut fulminis & fulguris instar uideretur. Cui cum Sulimanus quidam ex Ballabani prefectis, uir maximi nominis, atq; uirtutis occurrisset, illumq; Scanderbegus fortiter obtruncasset, tantus terror hostes inuasit, ut Turcæ de uictoria desperantes, necq; uim, & impetũ Christianorum sustinere ualentes, statim qui semper á Scanderbegano milite uici sueti erant, in fugam conuersi, abeoq; insecuti, cæsi ferè oẽs, profligatiq; sunt, Ballabanus ipse amissis castris & impedimentis, uix euadere potuit. Qui postq; à Scanderbego fugatus, eiusq; exercitus penè deletus, cum paucissimis ferè militibus ad Ottomanum profectus, ab eo de graui, multiplicique clade, stragęq; à Castrioto susceptа ualde reprehensus est. Apud quem Ballabanus ipse apposítis uerbis, & longa oratione se excusare nixus, totis uiribus intendebat, & Tyranum in suam trahere sententiam, eiq; persuadere uiam quandam, & modum ad expugnandam, subuertendumq; Scanderbegum, quem

si ipsi Ottomano tentare, expeririq́ placeret successurum omnino spera
Oratio Ballabani ad Ottomanū. bat. Igitur coram eo sic exorsus est. Nihil sanè turpius (ut opinor) Prin
ceps serenissime, nihil fœdius, nihil ingratitudine detestabilius, quo uitio
qui aspersi atq́ contaminati sunt, ij non solum ex cœtu & cœlestium col
legio, uerumetiam ex numero hominum, & ex finibus humanæ naturæ
prorsus exterminandi. Quū enim sæpe sæpiusq́, Princeps inuictissime,
mecum considero, atq́ mente reuoluo beneficia, quæ à tua maiestate sem
per in me (quæ tua est liberalitas) collata sunt, nulli profecto me magis
(cum à Deo discesserim) q̄ tuæ maiestati debere, atq́ obstrictū esse con
fiteor. Tu enim mihi semper parens, tu benefactor fuisti, per te spiritum,
per te uitam, & quicquid sum, habeo. Longū etenim profecto mihi esset
nunc omnes præfecturas, honores, & dignitates, quibus sub imperio &
auspicijs tuis functus sum, enumerare, pro quibus omnibus, quemad
modum me tibi posse gratum facere, uicesq́ referre non uideo, nisi si to
to tempore uitę meę diu noctuq́ insudarem, inuigilarem, elaborarem, &
tandem sanguinem effunderem, & animam desponderem, quod (Deos
testor) me semper feciſſe, ac in posterum omni fide, sinceritate, atq́ obser
uantia facturum spondeo. De Scanderbego illo Epirotarum principe,
hoste nostro acerrimo, nunc tota res agi, uersariq́ uidetur, à quo nuper
(sic forte Dijs uolentibus) profligatus, atq́ in fugam conuersus sum, ex
quo tuæ maiestati (forte non immerito) me dignum reprehensione fore
uisum est. Sed nunquid à Scanderbego tantum, an Deorum uoluntate
potius profligatus sim, nunc tempus differendi mihi esse non uidetur,
uerum potius deliberandum, quid sit cum hoc hoste agendum, hoc tan
tum me dixisse tuæ maiestati nunc ero contentus. Testor enim Deos,
omnesq́ cōmilitones meos, qui ex hoc prælio & certamine superfuerūt,
quod anteq́ ad rem deuenirem, & cū hoste congressus essem, omnia pa
raui, omnia disposui, omnia locaui, atq́ firmaui, nō consiliū defuit mihi,
non tempus aptum, accommodatumq́ ad pugnam, nō locus, nō miles,
non ordo, nihil quod pro uictoria, & ad uictoriam consequendam face
ret, aut omisi, aut prætermisi. Verum quia hæc non in manu nostra, sed
in manu fortunæ est, quæ pro animi sui libidine humanas res & negotia
uersat, alternat, uariat, eademq́ extollit, atq́ iterum deprimit, ideo non ar
mis tantum Scanderbegi, sed uoluntate Deorum potius me uictum, su
peratumq́ fuisse attribuo, quorum consilia & decreta nobis occulta, atq́
omnino ignota sunt. Sed ad propositum redeo. Multa hercle de Scan
derbego supra hominē prędicare audio, Serenissime Princeps, illum esse
fatalem, & diuinum, bello insuperabilem, armis inuincibilem, ferro inuul
nerabilem, quē mater eius in utero gestans, per noctem in quiete uidisse
dicitur, serpentem immensæ uastitatis & magnitudinis se parituram, qui
aperto ore caput protendens in terram & gentem nostram, omnes nos
dilaniabat, atq́ deuorabat. Pedes uero & reliquas corporis partes in ma
ri extēdens, inter Christicolas pacifice, quieteq́ tenebat. Quæ cū somnij
horrore

horrore uehementer exterrita expergisceretur tota tremebunda, uiro suo
Iohanni Castrioto quod uiderat per quietem, retulit, ipse lætus atq́ hila
ris sic eius somnum interpretatum fuisse ferunt, ipsam bono esse animo,
nihilq́ timere, quia nō serpentem, sed filium pareret, qui uir magnus, ar
mis clarus, & strenuus euasurus, Turcis, & Ottomanæ legi hostis acerri
mus atq́ perpetuus foret: Christianorū uero, eorūq́ fidei propugnator
maximus, atq́ mirificus. Verū quid ego de homine planè sentiam, nunc
proferam, & in medium adducam. Scanderbegum uirum strenuum, &
bellicosum esse, belli & militię peritū, scientiam, & artem militarē peropti
me calere, non eo inficias. Nam semper uel quasi à teneris arma exercuit,
pertractauitq́, & militem esse, militiamq́ inchoasse clarum est. Prçterea
in bello fortunatum, & uelut fulmeu, & fulgur in pugnam descendere, &
cum hoste manum conserere, tamen illum homiem esse, & mortalem,
quemadmodum cæteri homines, insuper uincibilem bello, armisq́ supe
rabilem, nec semper uictorem fuisse asseuero, nam & ipse alias uictus est.
Quis enim mortalium tam demens & fatuus gloriari se audeat uictorē
semper, & non uictum quandoq́ fuisse? uel perpetua in hac uita, fœlici
tate syncerаq́ uoluptate usum fuisse? quin ex altero dolio (ut aiunt) de
gustauerit. Nonne Scanderbegus (ut tua nouit maiestas) in Belgradi ob
sidione à Sebalia præfecto tuo, uiro clarissimo & strenuissimo profliga
tus, eius q́ exercitus totus penè cęsus, ipse nocturnis tenebris cum parua
admodum manu fœdissimam fugam arripiens, uix euasit? Ad angustias *Fuga Scāderbegi in obsidione Belgradi.*
& Valchales furcas nonne à militibus meis pessime habitus cū exercitu
suo omnes fortissimos eius duces, & castrorum præfectos pugna pręlio
superatos captos cum maxima iactura & pernicie, tam eorum q̄ totius
Epiri ad urbem regiam tuę Serenitati uinctos misi. Qui postea iussu tuo
excoriati, turpissima morte necati sunt. Igitur extenuatæ sunt iam uires
eius, & exinanitæ ob hæc & alia cōplura ingentia, & assidua bella à nobis
ei cōtinue illata. Nec mihi dubium est Serenissime Princeps quin (si no
biscum pugnare uoluerit) aut eum uiuū capiamus, aut prælio & pugna
uictum, superatumq́ profligemus, & cædamus, uel (quod facilius credi
derim) non ualens armis nostris, copijs resistere, cedens uictoriæ consili
um fugiendi capiet, & uacuam nobis Epiri possessionē absq́ cæde, absq́
prælio & sanguine deseret, atq́ destituet. Nouit nanq́ tua Serenitas, q̄ *In bello summa incertitudo.*
nulla in re plus ambiguitatis, maior incertitudo atq́ instabilitas uersetur
q̄ in bello. Nam qui hodie uincit, cras uincetur, & qui uictus est hodie,
postero die uictor erit. Ea prropter dici solitum est, incertos esse bellorū
exitus. Quod quidem rei nostræ haud dissonū uidetur, nam & si pridie
uicti fuimus, hodie uel cras uictores erimus, quia nec semper uicti, nec
semper uictores perpetuo sunt mortales. Et si una nobis non succesſerit
uia, aliam quæ succedat omnino aggrediamur, nec unq́ de uictoria de
sperandum, sed sæpe, sæpiusq́ fortuna tentanda est, quę maxime in bello
plurimum dominatur. Itaq́ & nos bellum exintegro cū Scanderbego

experiamur, arma aduersus eum sumimus, exercitus ualidissimos conficiamus, quia (ut spero) si dictis, & opinioni meæ aures, & assensum præstiteris, Princeps serenissime, uictores omnino nos futuros esse, nec Deos semper iratos auersosq; habituros. De quo ego nunc facilē certamq; uictoriā nos Dijs propitijs consequi posse animo concepi excogitauiq;. Placeat Maiestati tuę Serenissime Princeps, decernere, statuereq;, ut duo optimi imperatores, duo præclarissimi duces & præfecti cum ualida manu, & florido exercitu aduersus Scanderbegum deligantur, qui non una & eadem uia, sed alter ab altero seorsum, seperatimq; ab inuicē per diuersa loca & itinera, simulantes alió potius, q̄ in Epirum tendere, deflexo postea itinere omni cū celeritate atq; silentio regionē intrent, ipsumq; Scanderbegū mediū intercipiant. Nec unus sine altero hostem adoriatur, aut cū eo bellum cōmittat, sed expectato altero collega de cōmuni postea consensu uno eodemq; tēpore simul illum inuadant atq; opprimāt. Ex quo perfacile uictoriā consequētur, et illū cū omni exercitu suo obtruncabūt, quia fieri nō potest, ut hostis undiq;, et à tot lateribus interceptus, occlususq;, possit euadere, nec tot copijs & multitudini resistere. Sed ipse profecto uictus à nobis, superatusq;, finis Epiroticę insolentię atq; belli erit.

Tyrannus à Ballabano persuasus, omnia pro arbitrio ei annuit, atq; concedit.

Ottomanus satis multumq; uerbis & oratione Ballabani persuasus, illico decreuit, ut ipse Ballabanus pro arbitrio & uoluntate sua aduersus Scanderbegū omnia ageret, & bellum conficeret. Et adhibito sibi quemcunq; uellet ex præfectis suis in collegam, quocunq; exercitu & multitudine expeditionem Epiroticam omni cura & diligentia q̄ caute & accurate aggrediendā procuraret. Cum nihil charius diceret, nihil in uita exoptabilius sibi fieri posse, q̄ Scanderbegum profligatum cum exercitu suo, cæsumq; audire, aut extra imperium expulsum, deiectumq; esse, clamitans nequaq; se fœlicem uideri regem, nisi Scanderbegum de medio sublatum uideret, à quo tot mala, tot damna, tot cōmilitonum & ducum suorum cædes (præsertim patris mortem) sustinuerat. Ballabanus itaq; habito ab Ottomano decreto, ut ipse libere in hac expeditione & re ageret, delecto q̄ maximo facto ex robustissimis uiris et militibus exercitum confecit, & assumens sibi Iagup Arnauth in collegam, partitis cum eo copijs, illum admonuit, ut à parte maritima per Græciam & Thessaliam iter conficeret, & exercitum in Epirum duceret. Cui mandauit, ne solus auderet cum Scanderbego bellum cōmittere, nec omnino illum aggredi, donec & ipse cum exercitu adesset. Qui etiam mox omnibus copijs suis breuius iter per Thraciam & Macedoniam emensus, citius Iagup Epirum ingressus est. Sed omisso hic parumper Ballabano, ad Scanderbegū me conuertam. Cui quum hæc omnia & nuncijs, & exploratoribus, amicorumq; literis de aduentu duorū exercituū aduersus eum nunciata essent, ipse q̄ maximo potuit silentio coacto exercitu instructus, accinctusq; ad bellum, hostem continue expectabat. Auditoq; aduentu & ingressu Ballabani in prouinciam, ei occurrere decreuit, & anteq̄ alter Barbarorum præfectus

præfectus cum exercitu Ballabano adiungeretur, ipse rem cum Ballabano expedire uolebat, ne à duobus exercitibus uno eodemq; tempore adortus opprimeretur. Et profecto (ut arbitror) si Ballabani opinio successisset, nulli dubium, quin de Scanderbego actum fuisset, quum tanto Barbarorum furori, & multitudini uno eodemq; tempore in eum irruentium resistere non potuisset. Sed Deus omnipotens & summus, à quo cuncta pro libito uoluntatis moderantur, cui res Christiana cum ipso Scanderbego maxime curæ erat, minime passus est, ut Scāderbegus, qui tanto studio atq; solicitudine fidem orthodoxam tutabatur, pro qua die noctuq; inuigilabat, insudabatq;, turpiter & dolose à Barbaris circuuentus & uictus opprimeretur. Nanq; Ballabanus alter ex duobus Ottomanni præfectis, qui aduersus Scanderbegū prouinciam sumpserant, q̄ primum à Tyranno discessit recta per Thraciam & macedoniam (ut iam diximus) Epirum ingressus cum xx. millibus equitum, & iiij. peditum, in uallem quandam, quæ Valchal dicitur, de qua superius mentionem fecimus, tentoria fixit sua. Quo cognito, Scanderbegus qui cū exercitu suo instructus paratusq; aderat, tres speculatores ex suis, qui ad idipsum experti uidebantur, ad formam castrorū Ballabani contemplandam statim prę̄misit. Qui ubi oia explorassent, & ad eum protinus reuerti deberent, certioremq; de omnibus illū reddere, perfidia impulsi, ad Ballabanū profecti sunt, eiq; oia Scanderbegi cōsilia patefecerunt. Nam unus eorū Ballabano (ut aiunt) sanguine cōiunctus erat, quod Scanderbego ignotum fuerat, qui cęteros seducens, multa prę̄mia eis à Ballabano futura obtulerat. Quare eius fidē socij sunt secuti, quos quū Scanderbegus expectans reuersos nō cōperisset, ueritus ne ab hostibus intercepti fuissent, ipse (ut erat ad huiusmodi omnia impiger & intrepidus) confestim equum conscendens cū quinq; tm̄ militibus ad speculandū progreditur. At Ballabanus peritus & callidus, quū cognosceret Scanderbegum in re militari instructum, obsedit clam locū quendā, suspiciēs Scanderbegum uenturum illuc speculatum, nec opinio eum fefellit. Nam quū Scāderbegus (ut sui moris erat) ad speculandum egressus, anteq̄ ad locum insidiarum perue nisset, equites Ballabani, qui in insidijs ad idipsum positi erāt, detecti prius à Scāderbeganis, illico erumpentes illum adorti sunt, eumq; aliquādiu repugnantē in fugā cōuerterunt. Qui fugatus, siluam quandam, quę sibi primū occurrit extra ceruicē Valchalem ingressus est, ubi in arborē uetustissimā, quę lapsa totā semitā occupauerat, incidit, quam, adhibitis equo (q̄ maxime potuit) calcaribus, prę̄terlapsus est, cum uno tm̄ ex militibus suis, cæteri ab hostibus cęsi sunt. Ex Barbaris uero unus solūmodo Scanderbegum insecutus, truncumq; arboris saltu equi prę̄ueuectus in illum ferebatur. Quem quum solum Scanderbegus à tergo uenientem respexisset, conuersus eum obtruncauit: reliqui aūt Barbari reuersi sunt. Scanderbegus uero quum in castra peruenisset, quę in locum qui Petrelba dicitur procul ab hoste ad xv. millia passuum erāt collocata, in quibus viij.

Cura Deo est pro Scanderbego.

Scanderbeg elapsus cum uno ministro

millia equitū,iiij. peditū ualentiſſimorū inerant,ſe accingit atq; pręparat, ut ad hoſtem proficiſceretur. Sed prius ſic paucis milites ſuos alloquitur:

Adhortatio Scanderbegi ad milites, ante profectionē ſuā cōtra Ballabanum.

Turpe & ſuperfluum, Commilitones mei amantiſſimi, eſſe duxi, hodierna die nouo apud uos dicendi genere longa orationis ſerie cōtexere. Cum res gerenda ſit nobis nō cum nouo hoſte, nouoq; imperatore, ſed cum eo hoſte, qui à uobis uinci, facileq; ſuperari conſueuit. Nonne milites hic eſt ille Ballabanus Ottomani præfectus aptior magis (ut ſcitis) ad ligonem, uomeremq;, & agriculturam, q̄ ad arma, remq; bellicam, quē uos non ſemel, ſed pluriēs profligaſtis, de eoq; triumphum cum ingentibus ſpoliis reportaſtis. Nonne hic hoſtilis exercitus, quem prę oculis habetis, reliquię ſunt cladis ſuperioris diei? quas Ballabanus ductor ſecum affert uobis tanq; debitas, & dicatas uictimas, ut de ſpoliis eorū uos, domusq; ueſtras & impleatis, & ditetis. Verum enimuero de hoc quid dubij? quid difficultatis eſt perſpicere? Nam ij oēs Barbari quos nunc uidetis, hinc ferè ad horam (Deo propicio) aut captiui ueſtri erunt, aut à uobis (ſi uoluerit is) internecione occiſi. Nā illos hoc in loco (ut ſpero) intra uallū, & tanq; pecora in ouile claudemus, noſtrosq; milites per montes, colles, & itinera, ne inde exire poſſint, circūquaq; diſponemus, atq; locabimus. Igitur oēs hodierna die cū Ballabano eorū duce uobis tanq; uicti mę offerūtur. Itaq; milites oſtendite uos uiros, excitēt maiorū uos pręconia, excitent laudes, & fortia facta. Capite animos, capite uires & robur, imitemini ueſtigia, imitemini illorū acta. Acuite ferrū in Barbaros, æternos hoſtes ueſtros, ſternite equos, præcingite enſes, corripite tela, aſſumite clypeos, procurate oīa quę ad pugnā, & pro uictoria faciunt, perſequimini hoſtes. Coërcete, cōterite infideles, cōculcate, et peſſundate, eosq; penitus delete, quia ecce in fugam cōuertuntur. His peroratis, Scanderbegus inuitare inde pro ſe ſingulos, & cuiq; offerre, & fatigare precibus, ut quę ipſis iumentis uſui eſſent ab ſe potiſſimū ſumerent. Benigne oīa cumulata dare, modeſtia certare milites, na quid ultra uſum neceſſarium ſumerent, nihil morari, nec ab ſignis ſubſiſtere. Cibū rapientes, diē ac noctē ire, uix quod ſatis ad naturale deſideriū corporū eſſet, quieti dare. xv. ferè millia paſſuum Ballabanus inde aberat. Itaq; quū Scanderbegus iam appropinquaret, & ad uallem, in qua Ballabanus caſtrametatus erat, peruenisſet, ceruicē, & collem uallis occupauit. Ibiq; fixis tentoriis, hoſtē in ualle ipſa milite undiq; uelut uallo in coronam per iuga montium collocato ſæpſit, atq; circūdedit, per loca alta ducendo exercitū, cū modo inſideret anguſtos ſaltus, ut tranſitum clauderet, modo à latere, aut tergo caperet agmen, ludificatus hoſtem omnibus artibus belli fuerat. Poſtero die concilium habitū, cui & Tanuſius Tophia, & Zacharias Groppa, & Peicus Manueli, præfecti caſtrorum affuerunt. Multorum eó inclinabant ſententiæ, ut dum feſſum uia ac uigiliis reficerent militem, Tanuſius ſimul et ad noſcendū hoſtem paucos ſibi ſumeret dies, tempus pugnę differreretur. Scanderbeg non ſuadere modo, ſed ſumma etiam ope niti, inſtareq;, ne conſilium

ne conſilium ſuum, quod tutum celeritas feciſſet periculoſum immorando facerent. Dum enim Iagup rerum omnium ignarus immoratur, & torpet Ballabani exercitum facile deleri poſſe, quod ſi pro craſtinatione differetur noſtra, ſpacium certe illis cōueniendi dabimus, ſecuramq; rem noſtram ad ancipitem deducemus euentum. Extemplo ſignū dandum, & exeundum in aciem, abutendumq; errore hoſtium abſentium, pręſentiumq;. Conſilio dimiſſo, Scāderbegus exercitu ſuo quadripartito, unā partem dat Tanuſio Tophiæ, ſecundā Zacharię Groppæ, tertiam Peico Manueli. Pedites inter equites interſerit, collocatq;, ſcloponarios cum ſagittarijs, haſtatis, & aliquibus equitibus ad prouocandū hoſtem ad pugnam præmittit, reliquum uero exercitum cum cohorte ſua ſibi reſeruat atq; retinet. Mox ſignum pugnæ proponitur, confeſtimq; Chriſtiani in aciem procedunt. Iam hoſtes ante caſtra inſtructi ſtabant, moram pugnę attulit Ballabanus, quod collegam ſuum expectabat. Quare receptui propere cecinit. Iubet ſpeculari, ſicubi collegæ caſtra apparerent. Animaduertens autem Scanderbeg Ballabanū moram trahere, nec ad pugnā exire, ſuas acies ad prouocandū hoſtem paratos, inſtructasq; ad certamen prę mittit (erat enim ferè tertia hora diei) Ipſe uero cum reliquo exercitu uallem ingreſſus, ad caſtra Ballabani ire pergit, ut rem perficeret, anteq; collega Ballabani ueniret, ne ſimul uno eodemq; tempore cum duobus exercitibus ſibi confligendum eſſet. Accedens igitur ad uallum & caſtra hoſtium, pugnā expoſcebat, quā ipſe Ballabanus tergiuerſando, moramq; trahendo recuſabat, militemq; intra uallum & caſtra cōtinebat. At Scanderbegus cum militibus ſuis auidus, & pugnæ percupidus, ut rem citius conficeret, expediretq; ad uallum & ſtatiua hoſtium magis magisq; propius accedens continue ea infeſtans oppugnabat, & hoſtes ad certamen prouocabat. Ballabanus uero miles ira atq; furore plenus, dentibus frendens, q; ad pugnam ei exire non permitteretur. Hincinde furor, iraq; animos militum acuebat, incitabatq;. Ballabanus quoad potuit, pugnā re- *Inſtructio aciem à Ballabano ad pugnam*
moratus eſt. Videns autem collegam ſuum nondum ueniſſe, nec auxiliū ſibi adeſſe, nec locus fugæ, nec tempus differendi pugnam, quia undiq; à Scanderbeganis & Epiroticis militibus circunſeptus atq; circumdatus erat, continueq; eius caſtra infeſtabantur, poſteaq; ſibi eſſe pugnandum uidit, in prima acie ante ſigna Axappos collocat, circa eos leuo in cornu *Axappi.*
aduerſus Tanuſium Tophiam Olophanzios, uiros, & milites exercitatiſſimos, & rei militaris peritos collocat. Contra Zachariam Groppam Achanzios, contra uero Peicum Manueli Ianizarios oppponit, durum *Achanzij. Ianizarij.*
genus in armis, Ipſe ſiniſtrū cornu aduerſus Scanderbegū cū cohorte, & uetere milite, in quo maxime ſpem habebat, ſibi retinuit, atq; ſumpſit. Inter Scanderbegū, Ballabanumq; ingens certamē contractū erat. Virorū cędes utrinq; cędebatur inſignis. Ibi duces ambo, ibi maior pars peditū equitūq; Epirenſiū, ibi Croienſis uetus miles, & pugnę peritus, & Dibranus durū in armis genus, qui primo impetu turbarūt primā aciē, et ſigna

mouerunt

mouerunt loco, Deinde creſcente certamine, & clamore, impotentes iam Barbari, inter duas acies uerſari, uelut incerti, quorum eſſent, haud diſſimiliter equis ſine freno uagis. Scanderbegus quid ergo præcipiti curſu tam longum iter emenſi ſumus clamitans militibus, cū in aduerſam partem fruſtra ſigna erigere conatus eſſet? Poſtq; ea regione penetrari ad hoſtem non uidebat poſſe, cohortes aliquot ſubductas è dextro cornu, ubi ſtationem magis ſegnem, quàm pugnam futuram cernebat poſt aciem circumduxit, & non hoſtibus modo, ſed etiam ſuis inopinantibus in ſiniſtrū hoſtiū latus incurrit, tantaq; celeritas fuit, ut quū oſtēdiſſent ſe à latere, mox in terga iam pugnarent. Ita ex omnibus partibus à fronte, à latere, à tergo trucidantur Achanzij, Oloſanzijq;, & ad Axappos iam cædes peruenerat, ibi minimū certaminis fuit. Nam & pars magna à ſignis aberat, procedente nocte lapſi, ſtratiq; ſomno paſſim per agros, & qui aderant itinere ac uigiliis feſſi intollerantiſſima laboris corpora, uix arma humeris geſtabant, & iam diei medium erat, ſitiſq;, & calor ſemiconfectos hiantes cædendos capiendoſq; affatim prębebat. Ballabanus dux cum ſæpe aliàs memorabilis, tū illa præcipue pugna fuit. Nanq; pugnantes hortando, pariterq; adeundo pericula ſuſtinuit diu, ille feſſos abnuentisq; tædio & labore, nunc precando, nunc caſtigando accendit. Ille fugientes reuocauit, omiſſamq; pugnam aliquot in locis reſtituit. Poſtremo cum haud dubie fortuna Epirotarum eſſet, nec pugnam amplius ſuſtinere poſſe uideret, concitato equo quam celeri potuit curſu fugam arripuit, omnisq; exercitus, omnesq; ordines permixtim confuſi, & palantes hincinde per uallem, & agros, & montes, prout cuiq; ſors dederat, cō uerſi ſunt in fugam. Pauci enim ducem ſequuti ſunt, qui inter cædem & tumultum uix cum eo euaſerunt. Reliqui omnes Barbari aut cæſi ſunt, aut uiui capti. Si qui uero ex his inter tumultum & furorem militum elapſi ex ualle exire tentarunt, ab his qui iuga montium & colles inſederant, trucidabantur. Sicq; exercitus Ballabani eo die profligatus, & ferè deletus eſt. Hanc tam magnam & præclaram uictoriam à Scanderbego partam ſubitus tumultus, & nouus aduentus hoſtilis exercitus excepit. Non dum enim Scanderbegus cum exercitu ex ualle ipſa exierat, nondum ſpolia Ballabani exercitus inter ſeſe milites diuiſerant, adhuc hoſtium corpora palpitantia humi proſtrata iacebant, cum nuncius Mamizæ ſororis à Petrella ciuitate, ubi ipſa cum cohorte & familia ſua conſederat cum literis ad Scanderbegum euolauit. Quibus illa fratrem admonebat, Iagup Arnauth præfectum, & ductorem exercitus Mahumetis principis cum ſedecim millibus equitum per uiam Belgradi in Epirum irruiſſe, & omnia depopulatum igni ferroq; dediſſe. Tuncq; in Tyranna minori, iuxta flumen, quod Argilata ab incolis dicitur, caſtrametatum fuiſſe. Hic Chriſtianis parentibus Epiro oriundus, in captiuitatem à Barbaris ductus, circunciſus, fidem Mahumetanam induerat, uir ſtrenuus, ac bellicoſus, qui aliàs multa & præclara apud Mahumethem,

Ballabanus fortiter agit.

& pro eo

& pro eo, tam in Aſia, quàm Europa geſſerat. Venerat enim Iagup Arnauth cauſa intercipiendi Scanderbegum, unà cum collega ſuo Ballabano, ut ſupra commemorauimus. Quæ omnia uera eſſe, quidam Barbarus ex caſtris Iagup, qui à militibus Mamizæ captus fuerat, aſſerebat. Quibus auditis Scanderbegus ſtatim exercitu ſuo, qui in procinctu adhuc inſtructus, paratusq; erat, in Tyranna minori, quo Iagup Arnauth caſtra poſuerat, ire pergit. Sed prius ſic milites ſuos alloquendos putat:

Adhortatio Scanderbegi ad milites.

Etſi unq; aliàs exhortatio ducis uel imperatoris ad milites minime neceſſaria fuiſſe uiſa eſt, hodierna certe die, id mihi muneris apud uos cōmilitones mei minus neceſſarium eſſe duxi, quū ſuperuacaneum atq; ſuperfluum ſit, equo (ut aiunt) currēti, maximeq; concitato calcaria adhibere. Video enim unumquenq; ueſtrum, milites mei amantiſſimi, ſine imperatoris edicto, ſine ducis imperio libenti animo præſto eſſe, ordinem ſeruare, uexilla, & ſigna propria ſequi, uigilias, excubiasq; ducere, agereq;, officia, & munia militaria certatim ſubire, interdiu noctuq; ſolicitos peruigiles, indefeſſosq;, nunq; deſides, nunq; pigros & ocioſos, ſed abſq; ſtimulis & calcaribus concitatos, promptiſſimosq;, & ad omnia, quæ ad uictoriam faciunt, & pro uictoria conſequēda expediunt, intrepidos, inuictiſſimosq;. Hoſtem quinetiam extra ordinem uiriliter, animoſeq; inuadere, atq; opprimere, de uictoria nunq; diffidere, neq; deſperare. Propterea ſi unquam duci, aut imperatori de militibus ſuis gloriari licuit, hoc mihi quoq; tempore de uobis conceſſum eſt. Cum quibus & ſi ſemper pauciores hoſtibus fuerimus, uſquequaq; tamen ſuperiores. Hodie uictoriam de Ballabano hoſte noſtro acerrimo (quod tantopere optaſtis) præclaram, & egregiam adepti ſumus. Qui quū tanta eſſet apud Ottomanū autoritate, & fide, quicquid ab eo petijt, contra nos obtinuit. eiq; pro libito uoluntatis ſuæ omnia conceſſa ſunt. Nam ipſe quum ingentem, floridumq; exercitum coēgiſſet, totis in nos uiribus intendens (ut compos uoti ſui eſſet) & fidem, quam de certa contra nos uictoria potiunda promiſerat, adimplere poſſet, duobus quammaximis nos exercitibus medios, inſciosq; intercipere, dolo atq; inſidijs opprimere, atq; delere credidit. Sed (Deo propicio, & uirtute ueſtra) factum eſt, ut nos priores in eū irruentes, illum cū omni exercitu ſuo profligatū, cæſumq; deleuerimus. Nunc uero nobis nondum lotis (ut aiunt) manibus, nondum finito cō uiuio, nondum remotis menſis, Iagup Arnauth, ut bonus & optimus cō uiuator, totum uult prandium apponere, et ſuos conuiuas non fraudare, ſed bene & optime illos accipere, ne fameſcant, exercitumq; ſuum tanquā reliquias afferre. Ecce milites mei amantiſſimi, antequam uallem egreſſi ſimus, antequam à ſanguine hoſtili manus noſtras coinquinatas lauauerimus, antequam tela terſerimus, & arma purgauerimus, & ea in uaginis & tecis recondiderimns, ipſe Iagup ad nos uenit, uobis ſua munera, dona, & xenia, id eſt, exercitum, & reliquias ab Ottomano contra uos miſſas dicatas offerre, ut pro libito uoluntatis ueſtræ ex eis quicquid

uiſum

uiſum fuerit, aut deguſtetis, aut deuoretis. Itaq; ſocij & uiri fortiſſimi & fœliciſſimi, accedamus ad nuptias, ad quas Iagup nos inuitat, conuocat, ut eis ad ſaturitatem abutamur, & quũ affatim deuoremus, tum nobiſcũ etiam auferamus. Expediamus igitur nos hinc, egrediamur uallem, occurramus Iagup, & exercitui eius, qui quidem tenuis eſt, & tantummodo profligatus. Nam ſi Ballabanum ipſum cum xxiiij. millibus concidimus, cur non Iagup cum xvi. millibus mactabimus? In hoc maxime ueſtro belli ardore, qui nondum bellicum furorem, nondum Martiales animos ueſtros & ſpiritus depoſuiſtis. Videor enim mihi uidere milites, & præ oculis uerſari Iagup à uobis cęſum cum omni exercitu ſuo atq; profligatum. Quare acceleremus ad eum, feſtinemus ad replendos, ſaturandoſq; appetitus noſtros, & ut ſpolijs diuitijſq; hoſtilibus pleni, onuſtiq; domum ad lares proprios, liberos & uxores reuertatis, nunc totis uiribus contendite.

Quum hæc uix Scanderbegus dixiſſet, milites tanto ſunt ardore pugnandi accenſi, ut omnes unanimes ſublata uoce exclamarent, in hoſtem & ad prandij ſui reliquias, quas Iagup Arnauth apponendas attuliſſet, iamiam deuorandas properandum eſſe. Qui tanq; certi de uictoria, præmiſſis ſigniferis cum aquilis & uexillis, exercitum mouerunt, et ad Iagup qui in Tyranna minori caſtrametatus erat, profecti ſunt. Qui quũ Scanderbegum cum exercitu ad ſe euntẽ audiuiſſet, motis inde caſtris (ignorabat enim adhuc de cęde exercitus Ballabani, & fuga eius) in extremam Tyrannę partem & angulum copias contraxit, prope collem, ſeu monticulum quendam, in quo pagus ſeu uilla eſt, quæ Caſſar ab incolis appellatur, ubi tutior commodiorq; caſtris ſuis locus eſſe uidebatur. Scanderbegus uero eundem locum, quem ipſe Iagup prius habuerat, occupauit. Vbi hinc inde utercq; exercitus per illum diem abſcq; pugna acquieuerũt. Verũ Scanderbegus eam noctem quę ſecuta eſt ſolicitus, anxiuſq; tranſegit, ne Iagup cũ exercitu ſuo fugam arriperet, ſi forte de cęde & fuga collegæ intellexiſſet. Omnes igitur uias, aditus q; & itinera obſedit atq; præcluſit, præſidia undiq; diſpoſuit atq; locauit. Exorto autem die, cum ſol regionẽ illam colluſtraſſet, è regione hoſtium oculos reuerberabat, quo deprehenſo Scanderbegus fretus ſe facilius uictoria potiturum, ſpei, animiq; plenus, inſtructo præparatoq; exercitu, ad Iagup caſtra peruenit, ubi nonnulla cæſorum capita exercitus Ballabani, quæ ſeruata cum cura attulerat proijci ante hoſtiũ ſtationes, captiuoſq; uinctos, ut erant, oſtendi iuſſit. Iagup autem tanto ſimul publico familiariq; ictus luctu agnoſcere ſe fortunam Ottomani fertur dixiſſe.

Caſſar.

Ottomani ſermo de fortuna Scanderbegi.

Dehinc Scanderbegus quingentos electiſſimos equites ad Iagup ad pugnam inceſſendum prouocandumq; miſit. Quibus mandatum eſt, ne certamen inirent, irruenti terga uerterent, quod & factum eſt. Nanq; Iagup ex omni exercitu ſuo factis tribus aciebus, repente è ſtationibus proſiliuit, & Epirenſes fugientes inſecutus eſt, tũc pugna atrox hinc inde committitur

committitur, ſed Chriſtianis facilis ea uictoria fuit. Nam Scanderbeg ad uertens ad Iagup, penetrans omnes hoſtium cuneos, eum haſta primum transfixit, deinde capite obtruncauit. Barbari uiſo Iagup mortuo, omnes in fugam conuerſi, & palantes cęduntur, uiuiq; capiuntur. Qui uero ex hoſtibus manus & militum furorẽ euaſerunt, a colonis, habitatoribusq; locorum hinc inde fuſi per agros, ſyluas & campos, aut uiui capiebantur, aut trucidabantur. Nunq; ex duobus exercitibus uno eodemq; ferè tempore & bello, tantũ hoſtium à Scanderbego interfectum eſt. Redditaq; æqua Belgradenſi clades, & alterius ducum fuga, & eius exercitus interitu, & alterius præfecti cæde cũ omnibus copijs uidebatur. Viginti quatuor millia hoſtium cæſa, capta ſex millia. Præda magna, alia cum omnis generis, tum auri argentiq;. Colonorum qui capti apud hoſtes erant ſupra quatuor millia capitum recepta. Id ſolatij fuit pro amiſſis ad anguſtias, ad Valchales furcas. Eoq; prælio (nam haud quaquam incruenta uictoria fuit) mille fermè Epirenſium deſiderati, adeoq; etiam uictores ſanguinis cædiſq; ceperat ſatietas, atq; laſſitudo. Vt quum poſtero die Scanderbego nunciatum eſſet, Ballabanum cum uno tantum agmine inter cędem effugiſſe, & abire ſine ſignis, ſine ordine ullo, poſſeq; ſi una equitum ala ad perſequendum mittatur, omnes facile deleri. Superſint, inquit, aliqui nuncij, & hoſtium cladis, & noſtræ uirtutis, parta de hoſte uictoria. Ac expeditis omnibus, præfectus caſtrorum Scanderbegi ad urbẽ Croię iter ſuum direxit, quod frequentia minore, quia nemo præceſſerat nuncius, lætitia uero tanta uix ut compotes mentium præ gaudio eſſent, celebratum eſt. Nanq; Croiæ neuter animi habitus ſatis pro re dici enarariq; poteſt. Nec quo incerta expectatione euentus pauida perſtiterat ciuitas, nec quo uictoriæ famam accipiens, uniuerſis profuſa eſt gaudijs. Nunquam per omnes dies, ex quo Scanderbegum principẽ in hoſtem profectum fama attulit ab orto ſole ad occidentem, aut procerum urbis quiſquam à curia, atq; à magiſtratibus abſceſſit, aut populus è foro. Matronæ quia nihil in ipſis operis erat, in preces obteſtationeſq; uerſæ per omnia delubra uagæ ſupplicijs, uotiſq; Deum, ſuperoſq; fatigauere. Tam ſolicitæ ac ſuſpenſæ ciuitati fama incerta primo acceſſit, duos Dibrenſes equites in caſtra, quæ ad fines, & in faucibus Epiri oppoſita erãt, ueniſſe ex prælio, nunciantes cæſos hoſtes, quod primo magis auribus, quàm animis acceptum fuit, ut maius, lætiuſq;, quàm quod mente caperę, aut ſatis credere poſſent, & ipſa etiã celeritas fidem impediebant, quod biduo ante pugnam dicebatur. Literę deinde à Tanuſio miſſæ ex caſtris afferuntur, de Dibrenſium equitum aduentu. Eę literæ per forum perlatæ in curiam omnes exciuerant, tantoq; certamine, ac tumultu populi, ad fores curiæ concurſum eſt, ut adire nuncius nõ poſſet, traherenturq; à per cunctantibus uociferantibuſq;, ut in forum, priuſquam in curiam literę recitarentur. Poſtquam uero literæ etiam in curia recitatæ ſunt, & pro cuiuſq; ingenio alijs iam certum gaudiũ, alijs nulla ante futura fides eſſet,

Literæ à Tanuſio miſſæ.

priuſquam nuncios caſtrorum præfecti, uel literas audiſſent, ipſum deinde appropinquare præfectum caſtrorum allatum eſt. Tunc enim uero omnis ætas currere obuij primus quiſq; oculis, auribus q; haurire tantũ gaudium cupientes ad miliare uſq; extra portas ciuitatis cõtinens agmen peruenit. Præfectus caſtrorum erat Tanuſius, circunfuſus omnis generis frequentia in forum peruenit. Quum alij ipſum, alij comites eius quæ acta eſſent percunctarentur, & ut quiſq; audierat, exercitus hoſtium cæſos, imperatorem q; alterum occiſum, legiones Epiroticas incolumes, ſaluum principem Scanderbegum cum ſuis caſtrorum præfectis. Extemplo alijs porro impertiebant gaudium ſuum, cum ægre in curia peruentum eſſet, multo ægrius ſummota turba ne principibus miſcerentur. Literq; in curia lectę ſunt. Inde Tanuſius literis perlectis, ipſe plenius omnia quæ acta erant, expoſuit cum ingenti aſſenſu. Poſtremo etiam clamore uniuerſæ curiæ, quum uix gaudium animis caperent, diſcurſum inde ab alijs circa templa diuina, ut grates agerent, ab alijs domos, ut coniugibus liberis q; tam lætum nuncium impartirent. Curia & primates quid Scanderbegus incolumi exercitu ducem hoſtium cum Ballabano fugato, legiones q; occidiſſet ſupplicationem in triduum decreuerunt. Eam etiam ſupplicationem uxor Scanderbegi cum conſiliarijs edixerunt. Celebrata à uiris fœminis q;. Omnia templa per totum triduum æqualem turbam habuere, cum matronę ampliſſima ueſte excultæ cum liberis, perinde ac ſi debellatum foret omni ſolutæ metu Deo immortali grates agerent. Statum quoq; ciuitatis ea uictoria compoſuit, ac ſi perpetuam pacem comparaſſent omnes. Profligato itaq; Iagup Arnauth cum eius collega Ballabano, uno eodem q; fere tempore & prælio, eorum q; exercitibus cæſis, Scanderbegus ſubito (ut maiorem hoſtibus terrorem incuteret) Turcaicum agrum ingreſſus, ad intima uſq; loca penetrans, cuncta igni ferro q; depopulatus eſt. Indec q; prædam q; maximam ſecũ auferens uictor agro hoſtili egreſſus, nullo penitus hoſte reſiſtente, aut repugnante lætus in agrum ſuum, & feſtiuus reuerſus eſt. Qui more ſuo relicto ad fines imperij ſui conſueto præſidio ſummo cum plauſu & iubilo triumphantis more in urbem regiam Croiæ inuectus eſt. Vbi per aliquot dies inter ciues ſuos, & cum his celebrata tam ingentis uictoriæ lætitia laureatas literas ad omnes ferè reges & Chriſtianos principes ſcripſit, & uictoriam hanc, quam aduerſus Barbaros (Deo autore atq; propitio) adeptus fuerat, his impartiuit, diſpenſauit q;. Quibus etiam uaria donorum genera, & munera ex hoſtium ſpolijs, utpote equos alipedes (ut aiunt) & uelociſſimos ſeruos captiuos, arma & tela, præclaras quoq; equorum phaleras, & id genus ornamenta miſit. Dehinc ſoluto exercitu, ad propria unumquemq; ire permiſit. Ex quo poſtea annus ille Scanderbeganis non minus inſignis, quàm hilaris & lætus fuit.

Gaudiũ Croiæ à uictoria Scã derbegi.

Reſponſio, & ingreſſus Scanderbegi in urbem regiã cũ ingenti triumpho & præda poſt adeptam uictoriã ex hoſtibus profligatis.

Equi alipedes

Marini

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Duodecimus.

POSTQVAM FAMA TANTI FACTI, ET CAEdis uniuerſi ferè exercitus Ballabani, & collegę ſui Iagup, ad Mahumetem principem peruenit, is ingenti dolore ſimul atq; terrore perculſus, non parua cura atque ſolicitudine angi, torqueriq; cœpit, uerſus, ne fortunam, quæ tantum propicia ei, & ſecunda fuerat, durã experiretur impoſterũ atq; aduerſam. Anxius itaq; animi, atq; conſilij inſcius quid agendum eſſet, & nec ſecũ quidem ipſe concors, omnes duces & præfectos ſuos ad concilium conuocauit. Vbi poſt multas tandem ſententias atq; cõtentiones ſtatutum eſt, ut ipſe Mahumetes princeps cũ cohorte, & omnibus copijs ſuis aduerſus Scanderbegum progrederetur. Quare edicto per omnes regiones propalato ut milites nomina ſua darẽt, coacto ingenti, ualidiſſimoq; exercitu, prętereà commeatu abunde, omnibus q; bellicis inſtrumentis præparatis, caſtra ſua contra Scanderbegum mouit. Quo audito, Scanderbegus oĩm ducum & pręfectorum ſuorum conſilio adhibito, maxime Pauli Angeli Dyrrachienſis Archiepiſcopi, cui ſumma cõſiliorum cõmiſſa erat, necnõ Vencti oratoris, qui illic aderat, omnium conſenſu ſtatuit, & decreuit, ut urbes, & loca omnia fortiſſimo milite, alijs q; neceſſarijs rebus communirentur, firmarenturq;. Et in primis, ut in Croia urbe, quæ cardo totius regni, atq; caput erat, & à qua cætera omnia dependebant, ſtrenuus & fidus miles, prudens & ſapientiſſimus pręfectus poneretur. Verum hoc in loco parumper digredi non erit malum, ut oſtendamus quãto terrori, quantęq; formidini Scanderbegus Mahumeti Principi fuerit. Qui quũ uideret eum in tantum excelluiſſe culmen, ut nomen eius iam ſuis omnibus terrificum formidabilęq; eſſet. Verebatur ne ob eius celebre nomen & famam, quæ iam ubiq; peruaſerat, gens eius, & populi in ſeditionem uerſi eum trucidarent, aut è regno deijcerent. Itaq; in mortẽ eius inſidijs & dolis machinari, moliriq; cœpit. Nactus eſt autem duos, qui omni linguarum & ſermonum genere eruditi erant, quos edocuit, inſtruxitq;, cũ maximis prius pręmijs donaſſet, maioribus q; indies cumulare promiſiſſet, ut ſe transfugas eſſe ſimularent, mentirenturq;, & zelo orthodoxæ fidei ad eum defeciſſe aſſererent, Chriſtianoq; ritu baptizari continuo peterent. Et poſtq; ei quæ uellent perſuaſiſſent, ueneno, aut ferro illum interimerent. Qui ubi ad Scanderbegũ deuenerunt, uterq; ſacro fonte Baptiſmatis purificatus eſt, & ab eo in cohortẽ & familiam ſuam (ut uulgo aiunt) ſuſcepti ſunt. Inde uero ad paucos dies, erat enim curę Deo Scanderbegus, qui nefanda eorũ cõſilia patefecit, ne optimus princeps optime

Scanderbegus cõſultat de reſiſtendo Turcæ.

Scanderbegus formidoloſus Turcæ.

de Christiana fide meritus, tam iniquũ & ignominiosum fatum subiret. Transfugæ isti insidias, fraudesq́, quas in Scanderbegũ moliti fuerant, occultare minime potuerunt. Nam ambo in tantum inter se dissidium, atq́ discordiam uenerunt, ut ira & furore pleni, in maximas inuicem contumelias prorumperent, & alter alterũ proderet, palamq́ se patefacerent, quòd à Mahumete Turcarum principe ad ipsum Scanderbegũ obtruncandum summissi fuerint. Qui statim comprehensi, & tortoribus adacti rem omnem explicarunt, sicq́ ambo laqueo suspensi, uitam finierunt. *Subornati occisores Scanderbegi.*

Nunc reuertor unde digressus sum. Postq́ enim Scanderbegus omnia loca sua præmunijt, præsertim urbem Croiæ, in qua firmissimum præsidium tum Albanorum, & Epirotarum, tum Italorum posuerat, quibus Baldesarem Perducem Italum, uirum æque strenuum atq́ fidum præfecerat. Interim literæ tumultuoso undiq́ nuncio conuolare cœperunt, Mahumetem principem cum cc. millibus militum ad Croiam oppugnandã breui uenturũ, præcursores suos, & equites leuis armaturę iamiã adesse. Qui etiam paulopost in Epirum irruperunt, & biduo hinc inde per uniuersum agrum discurrentes omnia igni, ferroq́ depopulati sunt. Nocte uero quæ secuta est secunda ferè uigilia urbem ipsam Croię obsidione in modum coronę undiq́ cinxerunt. Venerat enim ad eius obsidionẽ Ballabanus Badera Mahumetis præfectus cum octuaginta millibus electissimorum equitũ, qui ubi castra firmauit atq́ munijt, quotidie cũ Croiensibus, qui ex urbe erumpebant, uario ac frequenti præliorum, certamiq́ euentu pugnam committebat. Interea Mahumetes ipse princeps cum reliquis copijs, & apparatu suo insigni ad urbẽ uenit, qui primũ ab oppidanis (ut moris est) urbem sub conditionibus petijt, cui cum responso missilia, tormenta, aliaq́ telorum genera dedissent, erumpentes mox ex urbe manus etiam cum hoste conseruerunt, ac non paruam illorum stragem ędiderunt, uictoriamq́ pro parte consequuti, lęti & alacres in urbem reuersi sunt, afferentes secũ plurima ex hostibus cęsis capita. Ex quo Mahumetes princeps indignatus, præparatis atq́ erectis cẽ plurimis tormentorũ machinis, in oppidanos cõtorqueri iussit. Adduxerat enim secũ metalla ad formẽta cuiusuis generis conflanda ad urbẽ ipsam, eiusq́ mœnia penitus subruenda atq́ euertenda. Artifices præterea in omni re bellica peritissimos. Sed interim egregius & præclarus princeps Scanderbegus, qui in campo cum ualido exercitu & copijs erat, Mahumetis castra quotidie infestabat, nec illum sinebat aliquo momento quiescere, sed ita assidue adoriebatur, inuadebat, infestabat, & instar torrentis, qui ex magnis & inundantibus pluuijs è montibus descendens, omnia secum rapit, prosternit, atque euertit. Sic Scanderbeg quoq́ in Turcaica & hostilia castra alio semper & alio irrumpens latere, ea undiq́ uexabat, hosti cædem, cladem, damna, & iacturas maximas inferebat. Ex quo Mahumetes cum aduertisset tantam indies ex suis stragem & calamitatẽ sequi, nec ipsi spem ullam urbis potiundę esse (Croia etenim nõ tantũ nõ *Croiæ obsidio.*

expugnari,

expugnari, sed nec oppugnari commode poterat) decreuit inde omnino discedere, & Bizantium unde iam uenerat, se recipere. Verum quia id nõ paruo sibi dedecori & ignominię fore arbitrabatur, si nullo à se præclaro facinore aduersus Scanderbegum ædito re infecta tam turpiter abiret, statuit Ballabanum, quem supra commemorauimus, exercitui præficere. Quem cum uiginti tribus millibus electorum militum in Croię obsidione manere iussit. Cui etiam octo alios militum præfectos, uiros præ cæteris & robore corporis præstantes, & ingenio ac militari peritia solertes adiunxit. Quorum cuilibet septem millia militum fortissimorum dedit, qui omnes ad nutum semper & imperium Ballabani starent, nec ab eius consilio discederent, ueritus quod solus Ballabanus cum tanto etiam militum numero, tantaq́ copiarum multitudine Scanderbego resistere nõ posset. Quo facto, Mahumetes ipse postea à Croiæ obsidione collectis (ut aiunt) uasis, nocturno tempore intensis castris Constantinopolim uersus iter arripuit. Qui dum proficisceretur, quosdam Chaonię populos, & loca quædam Scanderbegi, quæ Chidna appellabãtur, multis promissionibus allectos (armis enim expugnare non poterat) in deditionẽ & fidem suam accepit, quam (ut sui moris erat) eis minime seruauit. Ex quibus octo millia hominum præter mulieres & infantes trucidare fecit, eoq́ truculenti modo Tyrannus innoxium sanguinem effudit, postquã in Scanderbegum sæuire nõ potuit. Grauis profecto est regum indignatio, grauis principum ira, quæ non plumea, sed plumbea (ut dicitur) uere est. Profectus itaq́ Mahumetes princeps ex Albania mœstus & tristis, relicto ibi Ballabano præfecto cum innumeris copijs, cui mandatum est, ut tamdiu Croiam urbem obsididione præmeret, donec Croienses longa fessi obsidione, & dura funestaq́ fame attriti atq́ euecti consumptis rebus omnibus necessarijs pro uictu sese in eius ditionem traderent. Sed impiger & strenuus princeps Scanderbeg excandescens, ualdeq́ indignatus, nec id ullo modo concoquere ualens, quod Ballabanus homo obscurus, & infimo loco natus, cui parentes ad seruitium & famulatum Scanderbegi patris semper fuerant, sibi oppositus esset, armis cũ eo contendere, bellumq́ gerere, decreuit & eum omnino aggredi, inq́ eius castra irrumpere. Itaq́ conuocatis undiq́ Principibus, socijs, & confœderatis suis, quo illis animi sui sententiam aperiret, coram eis in hunc modum loquutus est: *Mahumetes discedẽs è Croia & Epiro re infecta, Ballabanũ cũ innumeris copijs in Croiæ obsidione reliquit.* *Tyranni perfidia atq́ immanitas.* *Principum ira plumbea.*

Credo equidem uobis haud ignotum esse, Principes & commilitones amantissimi, quamobrem huc uos conuocauerim, quid úe in præsentia sim diserturus. Nostis enim omnes quanta rabie, quantaq́ immanitate Mahumetes ille Turcarum princeps in Christianum nomen, & orthodoxam fidem conspirauerit, illamq́ magis atq́ magis omni tempore insequatur ac præmat. Pro qua nobis illi fortiter resistendum, atq́ etiam si mori contigerit, alacriter pugnandũ esse duco. Maiores eius Asiam præuerterunt, dehinc in Europã trajcientes, tot reges & principes Christia- *Oratio Scanderbegi ad socios, principes & confœderatos, pro auxilio ab eis impetrando.*

nos prauis artibus de medio ſuſtulerunt. Hic uero illorum ſequens ueſtigia, in nos ceu maiorum ſuorum reliquias uerſis (ut aiunt) proris furorẽ ſuum euomere, nomenq́ noſtrum penitus delere conatur. Mahumetes inquam iſte truculentiſſimus, qui uelut ſorte quadam propè in æternum hoſtis mihi datus ſumma ui opeq́, me rerumq́ mearũ ſtatum omnẽ penitus euertere contendit. Qui cũ pauloante cum toto exercitu ſuo in me impetum feciſſet, nec ex ſententia ei res ſucceſſiſſet, tanquam furibundus & ſpe omni deſtitutus, præ mœrore & triſtitia hinc diſcedens, octo millia uirorum ex meis, exceptis mulieribus & infantibus, quos fide ſua, uel perfidia potius in deditionem acceperat, ferro ſuſtulit, atq́ trucidauit. Qui ſi profecto nunc mihi eſſent, uiuerentq́, nequaq́ opus eſſet alienũ implorare auxilium. Proficiſcens hinc igitur Mahumetes, Principes inuictiſſimi, hunc Ballabanum, quem præ oculis habemus, ſui exercitus præfectum cũ huiuſcemodi copijs in Croię obſidionẽ reliquit, quo illam tamdiu duriſſima obſidiõe cinctã teneret, præmeretq́, q̃diu in eius ditionẽ ueniret. Quod ſi quo caſu accideret (quod abſit) nec de uobis (ut reor) nec de ueſtris coniugibus & liberis, rebusq́ omnibus bene profecto eſſet. Nam ſępius me dixiſſe memini, quod rabidus & truculentiſſimus hoſtis iſte nihil aliud molitur, nihil aliud mente agitat, & expetit, q̃ nos ſeiunctos, & abinuicem diſtinctos opprimere, atq́ de medio tollere, regna, imperiaq́ noſtra arripere, ſibiq́ uendicare. Quare Principes amantiſſimi, nolite pati, ut perfidus Tyrannus iſte, atq́ cõmunis omnium hoſtis, ſub iugo nos infidelitatis ac perfidiæ ſuę ſubijciat, fidem & religionem noſtram opprimat, regna & imperia peſſundet, uxores, liberosq́ noſtros in ſeruitutem trahat. Proinde omnes admoneo, rogo, obteſtorq́, ut hoſti ſine mora occurrere properetis, qui præ foribus & in limite adeſt, qui feſtinat, & ad nos opprimendos totis uiribus accelerat. Itaq́ in auxilium & tutelam fidei ueſtræ, cui quicquid corporis, uitæ, ac ſanguinis ſupereſt, deuouere debemus. Vos Chriſtiani Principes inuito, inuoco atq́ imploro, ut Ballabanum hunc communem hoſtem noſtrum, quem uidetis ex urbe noſtra, è regno, è patria expellamus, reijciamus, qui profecto ſi me oppreſſerit, nec uos impunitos relinquet (Epirotica enim gens inimica Turcaico nomini eſt) & ex mea iamiam futura eſt ueſtra publicaq́ omnium fortuna. In beluas ſtrinximus, ferrum, hauriendus illarum, aut dandus noſter eſt ſanguis, Cęterum fidem meam uobis promitto, quod ueſtra ope & auxilio mihi præſto exiſtentibus, hunc Ballabanum homuncionem uiliſſimum & abiectiſſimum hominum, cuius maiores uitam ſemper ruralem & paganam ſub parente meo traduxerunt, qui & ipſe ſæpenumero (ut ſcitis) eſt à me antea multiplici clade ſœdatus, fuſus, profligatus, nunc cũ uniuerſo eius exercitu in fugam uerſum, uiuũ, aut mortuum (ut ſors dederit) uobis tradam, uictoriamq́ de eo inſignem, atq́ præclariſſimam referam. Iam ſcitis Patres optimi, me hucuſq́ nullum à uobis unq́ auxilium, opem ue imploraſſe, ſed ſolus ſemper cum copijs & militibus meis

Scanderbegus Ballabanũ uiuum aut mortuum ſperat ſe habiturum.

propríjs

propríjs uiribus contra communes hoſtes, uos, regna, imperiaq́ ueſtra protexiſſe, atq́ conſeruaſſe. Nunc uero iam tot bellis attritus, tot expeditionibus exinanitus, tam longo tempore cum militibus meis cõtinue armis inſiſtendo, uiribus ferè exhauſtus ſum. Quorum maior pars & fortiſſimi bello ceciderunt. Alíj acerríme dimicantes capti ſunt, aut uulnerũ multitudine corporibus mutilatis inutiles bello facti ſunt. Propterea opus eſt Socíj, ut nunc ad uos confugiam, ueſtrumq́ implorem auxilium quo ab hoc communi hoſte, quem in ianuis & oculis habemus, urbem meam, uosq́ pariter liberem atq́ defendam. Quare mature ſuccurratis mihi, me me ſequamini, & quod ductu meo facere ſemper ſoletis, uincite. In hunc Turcaicum & hoſtilem exercitũ irruamus, impetum faciamus, quẽ ſtatim (ut ſpero) in fugam conuertemus, facileq́ de eo uictoriã conſequemur, arma, inſignia, aurũ, argentũ, ſpolia opima nobiſcũ referemus, milites noſtros exuuijs ditabimus. Rẽ igitur tanta mecũ capeſcite, uictores enim (Deo propitio) oĩno nos fore ſpero. Vosq́ pleni fortunarũ, ac gloriq́ ſimul publice, ſimul priuate triũphantes domũ ad penates ueſtros redituros. Nunq́ profecto uos decepi, nunq́ fefelli, nunc tẽpus eſt ò Socíj, quo nos, regnaq́ noſtra, uxores, liberos, aras, foros, & demũ fidẽ Catholicã à tyrãnide et iugobarbarę ſeruitutis atq́ captiuitatis uindicemus, liberemusq́. Victoriã cũ ingenti gloria & triũpho de hoſte reportemus.

His dictis à Scanderbego, duces illi et principes oẽs ea oratione erecti, & gaudio exultantes frementesq́, unanimes libera uoce exclamarunt, hoſtem etiã ad ſanguinẽ uſq́ pro fide Catholica, pro patriæ ſalute, pro Scanderbegi incolumitate, omni ingenio, totisq́ uiribus perſequendum, in Turcaica caſtra fortiter & intrepide irruẽdum, Scanderbegum principẽ ducem, auctorem, parentem, & patrię omniumq́ protectorem unanimiter ſequendum, eiq́ in omnibus parendum. Itaq́ cuncti ſeſe cum omnibus copijs & exercitu ſuo in Scanderbegi fidem & arbitrium commiſerunt, tradiderunt q́. Statuto igitur prę fixoq́ ordine, ut q̃ maximus atq́ ualidiſſimus exercitus undiq́ cogeretur, Scanderbeg interim dum hæc geruntur, communicata re cum paucis ſine mora ſagulo gregali, & uiliſſimo admodum habitu indutus, ad urbem Romanam pro ope & auxilio à ſummo Principe patrumq́ collegio implorando profectus eſt. Erat enim eo tempore Paulus ij. Pontifex maximus. Qui quum Scanderbegum uidiſſet, ob eius celebre nomen, uiriq́ præſentiam & autoritatem, hilari, perbenignoq́ uultu illũ ſuſcepit, doniſq́ & honore maximo proſequutus eſt Quem quum in Conſiſtorio (ſic enim patrum collegiũ uocant) adduxiſſet, Scanderbeg coram eis ita concionatus eſt:

Oratio Caſtrioti coram Paulo ſummo Pontifice, uniuerſoq́ Cardinalium collegio.

Quis unquam mortalium Romane Præſul maxime atq́ ſanctiſſime, Reuerendiſſimi ampliſſimiq́ Patres, nõ lingua dicam exprimere, ſed ne animo quidem concipere poſſet, loci huius & ſedis ſacratiſſimæ, in qua ſtatis, celſitudinẽ & ſublimitatem? Cuius nulla pars eſt, nullus angulus, quin totus ſanctitate, diuinitate plenus undiq́ reſplendeat atq́ refulgeat.

ubi primum Petrus ille beatissimus, sanctissimus q̃ Christi uicarius, ubi Paulus doctor egregius uas electionis, atq̃ totius orbis Christianæ religionis buccinator: ubi tot uiri sanctissimi prę sules & patres integerrimi diuinitus missi, cœlibem & diuinam uitam traduxerunt: ubi tot reges & principes inuictissimi, glorioſissimiq̃ commorati sunt, qui omni sanctitate, omni uirtute prę diti, omni scientia referti, mundum totum, fidemq̃ catholicam erexerunt, decorarunt, illustrarunt. Quibus tu postmodum, Romane Antistes sanctissime, ad hoc dignitatis fastigium natus magis, quàm ullo mortalium iudicio uel consensu electus diuino quidem nutu, hac ætate tam aurea, tam fœlici successisti, qui totius fidei & religionis nostræ summum lumen esses, summum decus, summus splendor, qui Christianum nomen uel ad ultimas terras transferres, & ab omni Barbarica rabie uendicares. Magna profecto fuit expectatio iampridem, Pater beatissime, uel animi, uel ingenij tui, q̃ non ut ę ques modo, sed longe quoq̃ superes omnia. Habes ex uoto innocentiam uitæ, sapientiæ, atq̃ consilij magnitudinem, naturæ liberalitatem, experientiam rerum, quis in uniuersa natura, in qua quicquid est neruorum, quicquid admirandi, ita es undecunq̃ complexus, habesq̃ in manu, ut liceat semper ex te, tanquam ex thesauro aliquo depromere. Fœlicem me igitur, qui te hodie intueor, alloquor, admiror, quo nihil poterat iucundius mihi, nil optabilius contingere in uniuersa uita. Sed fœliciorem planè Romanam Rempublicã, quæ principem te, pastoremq̃ suum sentit, experitur, fruitur, quo meliorem, digniorem q̃ alium optare nõ potuisset, nedum inuenire. Cuius an grauitatem magis admireris, an pietatem in omnes amplectaris, an maiestatem atq̃ eloquentiam obstupescas, nescias penè. Qui (ut uno uerbo omnia perstringam) nulla re alia magis eminet, q̃ uirtutum omnium excellentia, qui omnium maiorum suorum, & superiorum principum gloriam non æquaturus solum, uerum uno omnium iudicio sit superaturus longeq̃ à tergo relicturus. Gaudeat proinde et exultet, quicquid est usq̃ Christiani nominis, uel splendoris. Lætentur gentes, iubilet Dei Ecclesia penè afflicta, quę per te sit spiritum & sanguinem receptura. Nihil iam timeat, tuta quoscq̃ pelagi æstus, hilaris cuncta æquoris discrimia contemnat. Petri nauicula te rectorem, te gubernatorem nacta, qui Christi fidem & Euangelium semper augere, amplificareq̃ studes: qui unus & pastor optimus, & Antistes sapientissimus non solum super oues & gregem tibi à Deo commissum, exactissime omnem curam & solicitudinem impartiris, sed alienas quoq̃ ouiculas errantes, uagas, dispersas, in tuum ouile, & Ecclesię gremium reducere, ac congregare die noctuq̃ inuigilas atq̃ insudas. Bone Deus, cur mihi non est tantum eloquentiæ, ea dicendi uis, qua possem uirtutes tuas omni laude maiores, non pro merito dixerim recensere, sed saltem nõ minores efficere: & si non debitum persoluere, huic tamen meę tantæ, tamq̃ suauissimę siti potum aliquem afferre. Sed & si possem, Pater beatissime, non est integrum hodie mihi per hos rerum tu-

Cœlebs & diuina uita Romæ.

rum tumultus, per tot maxima discrimina. In quo nescio quo fato cum gentibus, & populis meis sum unus omnium maxime coniectus atq̃ immersus. Non permittit, non patitur Mahumetes Turcarum princeps ille truculentissimus, me uobiscum diutius commorari Patres sanctissimi, uos contemplari, uos admirari Principes meos, Deos terrarum, ac mundi totius luminaria, qui maiorum suorum uestigia sequutus, ac spurcissimæ illius Mahumetanæ sectæ nephandus professor & propagator, uestrum ouile quotidie inuadit, persequitur, dissipat. Et non contentus malis, cædibus & rapinis, quibus in Asia usus est, nõ satiatus Christiano sanguine, quem nuper tantum in Europa fudit, ut totam infecerit, polluerit, contaminauerit, & Christi nomen prophanauerit, sed nunc me, gentemq̃ meam tanq̃ hoc ultimum certamen relictum sibi euertere, atq̃ de medio tollere conatur. Cui nisi repente (quę tua sanctitas est atq̃ clementia) occurras, obsistas, tu principum Christianorum pater, iubar, atq̃ sydus radiantissimum, actum est de re omni, actum de imperio meo, quippe populus Epiroticus tot bellis, tot cladibus exhaustus iam corruit, iam defecit. Huc igitur ego concessi Patres sanctissimi, ad uos ipse confugi, domi incendium maximum reliqui, hostem in ipsis uestibulis, qui non tantum gentem meam, & regionem omnem assidue dissipat, euertit, depopulatur, in seruitutem trahit, sed & ciuitatẽ ipsam meam Croiam, propugnaculi robur atq̃ caput iamdiu innumero milite obsidet. Neq̃ hanc obsidionem deserendam proposuit sibi, anteq̃ urbe ipsa aliquo modo potiatur. Et potietur (uereor) ni sublimitas tua succurrat atq̃ subueniat. Ita oppidanos in rerum omnium necessitatem, & ultimum discrimen adduxit. Consulti igitur Patres optimi atq̃ sanctissimi (quæso) dum tẽpus patitur, prospicite, atq̃ opportune prouidete mihi. Cohibẽdus est enim impetus, & ius nephandissimi Tyranni, reprimendus eius furor, atq̃ uiolentia, qui in tantũ excreuit, atq̃ inualuit, ut iamiam extrema omnia Christianæ Reipublicæ, ac Dei Ecclesiæ, q̃ orthodoxæ fidei audeat minitari. Sed quid amplius? (proh dolor) quid peius? quid durius expectemus? Aedidit iam in Christianum populum, ædidit in gregem tuum omnia crudelitatis exempla, prophanauit, ita iam fœdauit, omniq̃ ludibrio habuit (pudeat Deorum, hominumq̃) fidem, religionemq̃ uestram, ut non minus molestum mihi sit dicere, quàm uobis turpe audire. Videtis, ecce ingentis cuiusdam mali, non suspicionem modo, sed apertam speciem obseruari ante oculos omnium. Videtis Patres amplissimi Asiam ferè omnem huic nephando, spurcissimoq̃ hosti subiectam, Græcos quasi cunctos ab eo exterminatos, Rascianos Principes, Tribalos, & Thraces euersos, Illyricos perdomitos, Peloponnesum subactum, magnam Macedoniæ atq̃ Epiri partem direptam, incensam, deuastatam. Vnus ego supersum, Pater beatissime, cum pusillo & tenui imperio, cum militibus meis, adeò tot prælijs attritus, tot certaminibus exhaustus, ut nihil iam integri sit in corpore ad noua uulnera accipienda, neq̃ quicq̃

Populi subiecti Turcæ.

neq́ quicquam ſuperſit ſanguinis, quod dari amplius pro Chriſtiana Republica poſſit. Hoc eſt reliquiarum ex tot principibus, tot ducibus, in feraci Macedonia illa regum altrice, quod nunc perfidus Barbarus iſte totis uiribus, arte, ingenio perdere, atq́ delere contendit. Iam nemini ignotum, nemini dubium eſt. Audiſti Antiſtes ſanctiſſime, audiſtis Patres religioſiſſimi, quot bella, quot expeditiones cum perfida gente iſta maiores mei tot armis geſſerint. Quibus ego poſtmodum ordine naturę, diuino tamen præſeruatus auxilio in regno ſuccedens, nullum unq́ tempus, nullum diem quieti aut ocio mihi concedere potui, ſed cum prophana gente bella maxima ſemper pertractaui, præſertim cum rabidiſſimo & trucu lentiſſimo Mahumete iſto, qui iam tot malis rem meam, tot cladibus affecit, ut nihil reliquum ſuperſit mihi, niſi (proh pudor) herbam uictori) ut aiunt) dare. Reſtiti hucuſq́ reluctatus ſum, & diuina ope adiutus ſemper ferè incolumis atq́ uictor euaſi. Sed nunc tot malis tam præteritis q̄ inſtantibus feſſus, tot certaminibus exhauſtus, tot ducibus amiſſis, tot populis, uiribus adeò exinanitus ſum, ut nihil ferè præter animos feroces ex antiqua fortuna ſuperſit. Et Barbarus iſte (ſic fortè peccatis noſtris exposcentibus) ſupra q̄ dici poſſit, ſuas uires auxit, imperiumq́ ſuum ampliauit. Propterea mundi totius iubar, ac Chriſtianæ religionis decus ſplendidiſſimū, ad tuæ Maieſtatis pedes ſupplex, & qua decet ueneratione cōfugio, tuū nomē inuoco, opē & auxiliū imploro. Deſcēdas iam Pater ſanctiſſime, prouideas, quo his tot procellis, & bellorū turbinibus obſiſtere, easq́ nō ita certo periculo uitæ, ac rerū mearū diſpendio perferre queā. Fidemq́ ueſtrā ſanctiſſimā, ſanctiſſimi inquā Patres, cōtra uim & impetū huius immaniſſimi Tyranni protegam atq́ defendā, pro qua & uſq́ in pręſentē diem omnia extrema ſum perpeſſus. Et impoſterū me deuoui, neq́ ullum mortis uel periculi eſt genus, quod pro quocunq́ ueſtrum cōmodo & dignitate, in aliquo uitæ meæ tempore ſubterfugiam.

Herbam dare ſermo prouerbialis eſt, uictorem agnoſcere. Plin. li. 22. cap. 4. & Feſt. Pomp.

Poſtquam Scanderbeg orandi finem fecit, tanto fauore ab omnibus eſt exceptus, tā liberaliter & honorifice habitus, ut q̄ celeriter expeditus, quicquid à ſummo Pontifice, patribusq́ petierat, perfacile impetrauerit, & ei q̄ liberaliter ſit conceſſum. Qui maximis etiam muneribus & præmijs donatus, maximo auri, argentiq́ pondere, grandiq́ pecunia cumulatus, lætus, alacerq́ inde diſcedens in Epirum, ad ſuos reuerſus eſt.

Cæterum anteq́ ulterius progrediamur, deſcribendus mihi uidetur eſſe locus, quo Ballabani caſtra poſita erant, quo res, negocium q́ noſtrū melius percipi poſſit, & oculis legentium ſubijciatur. Diximus enim iam Croiam Epiri urbē eſſe, in campis Aemathię poſitā, in alta ſaxi crepidine, & undiq́ præcipiti, niſi tantū ab una parte, qua uix acceſſibilis, & peruia eſt, à monte Cruinio abſciſa, qui ei adiacens, eum quaſi ſupereminere uidetur. Qui quidem in longum protenditur, & ab ea parte qua urbis arx eſt, in cliuum ſeſe extendens, paulatim deſcendit, & plures tumulos ſiue colles facit. Vbi Ballabanus caſtris ſuis loca occupauerat, ibiq́ totam ſui exercitus

Croiæ deſcriptio.

exercitus molem redegerat, & urbem dura obſidione præmebat, montemq́ Cruinum occupauerat, ſuper quem pręſidium ſuum collocauerat. Verum omiſſo hic parumper Ballabano, ad principem Scanderbegum redeamus. Qui poſtquam ex urbe reuerſus eſt, maximum undiq́ exercitum, ingentesq́ copias atq́ ualidas in unū contraxerat. Venerant nanq́ ad eum reguli omnes confœderati, & circumuicini confluxerant, quotidieq́ confluebant omnes populi, tam ex Epiro & Macedonia, quàm ex Illyrico & Dalmatia, ita ut nunquam antea maior exercitus, neq́ ex ualidioribus, pugnatioribusq́ ab eo coactus eſt. Quem Scanderbegus in duo diuiſerat, quorum alteri Lecham Duchainum regulum præfecerat, uirum non minus rerum bellicarum peritiſſimum, q̄ fortunatiſſimum. Alteri uero Nicolaum Monetam Nobilem Scodrenſem uirū acerrimū, qui ex Lyſſo per campos Aemathios, & ſyluam Ionimorum copias ductitantes hoſtem ab eo latere aggrederentur. Ipſe uero cum reliquo armatorum robore tam equitum, q̄ peditū montem Cruinum uerſus ex alio latere adoriretur, quo Ballabanus fortiſſimum, munitiſſimumq́ pręſidium (ut diximus) locauerat. Hoc conſtituto, ſicq́ copijs diſpoſitis, in hoſtem primus progreſſus eſt. Qui quū ad montem Cruinum cū exercitu peruenisſet, illico nunciatum eſt ei, Ionimam fratrem Ballabani cum præclara Turcarum manu ad fratrem contendere, ut ſe illi coniungeret. Qui (ut fama erat) iam montem Bulgari ſuperauerat. Quo audito Scanderbeg ſine mora electo flore & robore militū, relictoq́ ibi reliquo exercitu, per totam noctem ad Ionimam ſumma celeritate perrexit, eumq́ de improuiſo aggreſſus fudit atq́ diſſipauit, uiuumq́ cum Heder filio ſuo cepit. Indeq́ per noctem eadem celeritate in caſtra ſua uictor reuerſus eſt. Mane uero Ionimam cum eius filio iunctum in conſpectu fratris adductum oſtendit. Dehinc monte Cruino deturbato hoſtium præſidio potitus in eius ſummitate uictor euaſit. Quo cognito Ballabanus deſperata iam uictoria de Scanderbego, à quo toties fugatus fuſuſq́ fuerat, ira atque furore plenus, ſtimulis Martis agitatus, ſimilis furibundo & inſanienti, citato equo, cum aliquibus militibus ad mœnia uſq́ & portam urbis Croiæ euectus eſt. Qui cum à Croienſibus & oppidanis multis promiſſis & pollicitationibus urbem in deditionem petere contenderet, erumpentes oppidani & Croienſes, maxima ui & impetu eum adorti, in fugam conuerterunt. Quem quidam etiam ex Croienſibus Georgius Alexius nomine, uir Epiroticus, ictu ſclopi lætaliter in gutture percuſſum transfixit. Qui in caſtra equo reuectus exanimis mortuuſq́ ante tabernaculum ſuum pronus in terram corruit, quo mortuo per omnia caſtra tumultuatum eſt. Barbari uero priuati ſuo duce & præfecto, nocte illa, quæ diem inſequuta eſt deſtituta urbis Croiæ obſidione, mœſto admodum ſilentio diſceſſerunt. Qui ad locum, qui Tyranna dicitur, octo ferè millibus paſſuum ab urbe diſtantem caſtrametati ſunt. Verum Scanderbegus cum ad Barbarorū caſtra exorto iam die ueniret,

Fortiſſimus exercitus cōfluit ad Scanderbegum.

ea uacua

ea uacua atq; deserta reperit, ubi multa impedimenta, sarcinulas, & commeatum abunde relictum inuenit. Postq; uero obsidio dissoluta, & urbs Croiæ liberata est, Scanderbeg victor de hoste triumphans, cum ingenti gaudio & gloria urbem ingressus est. Qui oppidanos omnes & Croienses publice de fortitudine, fide, & constantia plurimum commendans, maximis muneribus & præmijs donauit. Interim uero duo equites ex castris Barbarorum, qui in Tyranna castrametati erant, ad Scanderbegum uenerunt. Qui à ducibus & castrorum præfectis missi erãt, ut his relictis castris, equis, & impedimentis, uita tantummodo superstite abire concederetur. Timebant enim, ne Scanderbegus eis transitus, & itinera, qua transituri erant, occludi faceret, quo omnes trucidarẽtur. Ex quo statim Scanderbeg omnes principes & milites suos in concionem aduocauit, ut quid super hoc faciendum esset, decernerent, & sua capita proferrent. Qui omnes pariter hostem aggrediendum, & cum eo acerrime dimicandum exclamauerunt. Verum Scanderbeg eos sic breuibus allocutus est:

Oratio Epirensis ad principes, præfectos, & uniuersum exercitum.

Noui iampridem, Viri fortissimi, & commilitones mei, uirtutem: nouis satis fortitudinem, & constantiam uestram, qua semper Barbarũ acriter perterruistis, debellastis, in fugam cõuertistis. Neq; uereor hodie uobis animum deesse, hunc quoq; hostem, quem in cõspectu habemus, expugnatum à uobis, profligatumq; iri. Sed animaduertendum est, Milites optimi, animo sæpius reuoluendum sapientis illud: In tranquillo tempestatem aduersam optare, dementis esse: sanioris uero, quauis ratione ei occurrere, cum tempus aut necessitas urget. Deus cœlitus nobis uictoriam sine ferro, sine pugna, sine cæde demisit. Vrbs ab obsidione liberata est, Ballabanus hostis noster, qui tot mala ædidit, & indies minabatur nobis, extinctus est. Exercitus eius fugam arripuit, sumus in pace, sumus in quiete, omnia arrident. Cur bellum quæramus? Cur aduersam exoptemus tempestatem? Cur fortunã cæcam, & incertam tentemus? Nostis enim milites, q̃ inemendabilis, q̃ incorrigibilis sit Martis error. Nã alijs in rebus si quidem erratum est quid piam, corripi tamen, emendariq; potest. At uero post præliorum delicta, locus emendationi minime conceditur. Ex quo ueteres illi duces gloriosissimi non tam numerosos exercitus, q̃ armis eruditos esse uoluerunt. Dubius enim est pugnę euentus, incerti bellorum exitus, qui non in manu nostra, sed fortunę magis reposi-
tus est. Hostis semper timendus est, nunq; paruipendendus aduersarius, nunq; contemnendus. Quin & post consumatum bellum, post cõsequutam uictoriam non minori, q̃ in principio diligentia utendum est. Neq; unq; cum hoste temere confligendum, aut pugnandũ. Quare si nos bellum cum hoste hoc, quem in oculis habemus, experiri uoluerimus, si fortunam tentabimus, salutem & rem nostram, quæ iam in tuto, & in portu est, in summo (quod absit) discrimine & periculo adducemus. Cohibete itaq; impetum istum, inhibete animi feruorem, satis uictoriæ est adeptũ. Multum iam de hoste triumphauimus, contenti esse debetis tot cædibus,

tot cladibus de hoste sumptis, tantisq; afflatibus fortunæ, qua semper tã obsequenti usi estis. Videtis præterea has Barbarorũ copias innumeras, ac penè infinitas, neq; est hominum certe colluuies, sed eximius flos atq; robur uniuersi Mahumetis exercitus, uiri electissimi, fortissimiq;, bello accincti atq; instructi, necessitate præterea armati, quę ultimum telum, ac maximum est, nihil præter pugnam cupientes, quo uindictam de morte Ballabani ductoris sui, & aliquid prędari facinoris ad Ottomanum principem perferant, atq; reportent. Simulant enim Barbari (mihi credite) se nobis dedere uelle, fingunt timorem, & pauorem. Noui cõmenta & fallacias eorũ, noui insidias, dolos, & fraudes, in quibus maxime huiusce modi hominum genus semper uersatur. Nihil profecto magis q̃ pugnandi copiam expetunt, q̃ ex nobis ultionem sumere. Itaq; milites cauendum (si fieri potest) cum his bellum committere, fortunam tentare. Sed age nihil sit doli, nihil fraudis, rabidi ferè sunt omnes, spe omni destituti, ignominiæ cladisq; pleni. Omnia timentes nihil timent. Nihil periculosius, q̃ cum eis manus conserere, quibus unà tantum salus est, nullam sibi salutem sperare. Audacter dimicat, qui nihil sibi reliquit, nihil in spem ponit. Quid & si omnes illos uel deleamus, uel in fugam conuertamus, & non istud ipsum sine malo uestro, sine naufragio, sine cruore, sine uitæ dispendio. Omnis ea uictoria est mihi luctuosissima futura. Quas ob res Milites amantissimi, si me audieritis, si consilia mea capesseritis, profecto sine pugna, sine ferro eos superabimus. Laborant enim Barbari rerũ omniũ penuria, & maxime re frumẽtaria, sine qua exercitus absq; ferro uincitur. Occludamus uias, & itinera, ne quicq̃ subsidij, commeatusue quoquo modo ad eos perueniat. Nos interim urbem nostram Croiæ fortissimo milite, omniq; præsidio cõmuniemus. Hi uero sic occlusi & obsessi fame teterrima omnino peribunt, & funditus sine ferro, sine pugna euertẽtur.

His à Scandercego dictis, militum animi oratione eius sedari minime potuerunt, quin audaciores, ferociores q; in hostem effecti, magis q; in furorem uersi, atq; magis elati, excitatiq; sunt. A quibus ingens postea tumultus, strepitus, & clamor undiq; exoritur, et per omnia castra exclamatum est: In hostem omnino fugientem, & iamiam profligatum intrepidè eundum, & in eum acerrime irruendum. Nec Scanderbego principi, qui iam hostem timere ostendit, in hoc parendum esse, quando quidẽ ex acerrimo bellatore cunctator factus, arma uiris ad arma natis, & arma frementibus uelit auferre. Et Imperator exercitui, non exercitus ipsi Imperatori desit. Quorum uis & impetus uix à ducibus & castrorum prę fectis inhiberi cõprimiq; potuit. Quibus permissum est, ut cumprimum urbs Croiæ frumento, commeatuq; communita fuisset, hostem animi sententia insequeretur, eius q; castra aggrederetur. Mandauerat autẽ Scanderbegus, ut transitus, uię, & itinera Barbaris occluderentur, ne per transire possent, nec; ad eos commeatus, aut subsidium aliquod comparetur. Interea dum Scanderbegani milites triduo circa urbem commu-

niendam ſedulo inſtarent, Scanderbego nunciatur Barbaros, qui in Tyranna caſtrametati fuerant extrema fame compulſos, inde caſtra nocte illa ſigno ſecundę uigiliæ, per quod tempus mortales ſomno altiſſimo prę muntur, clam amouiſſe, necp tamen cuſtodias fallere potuiſſe, ſed maximam cum eis atcp incolis pugnam commiſſam tandem ſibi ferro iter aperuiſſe, ingenti tamen ſuorum clade, & cæde, & maxima impedimentorũ amiſſione diſceſſiſſe. Quo audito, Scanderbegani milites locis omnibus frementes ægre tulerunt, & maxime de Scanderbego conqueſti omnem in eum culpam reiecerunt, quod Barbarus impune euaſiſſet. Quibus tandem multis illecebris & donis placatis, Scanderbeg uniuerſam obequitans prouinciam, Turcaica & Barbara præſidia, quæ illic aderant omnia aut cepit, aut trucidauit. Poſtcp uero uniuerſa prouincia pacata, tranquillacp reddita eſt. Scanderbeg ſocijs multum collaudatis, muneribus cp illis quampluribus exhibitis, omnes à ſe ſereno, hilaricp uultu dimiſit. Qui Barbarorum præda onuſti, lætí alacrescp domum reuerſi ſunt. Ex quo inſignis ille annus, & lætus Scanderbeganis fuit.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS Scanderbegi Epirotarum Principis, Liber Tertiusdecimus.

Dolor & conflictatio Ottomani principis, ex morte Ballabani, & diſſolutiõe obſidionis Croiæ

MISSA IMPRAESENTIARVM SCANDERBEGA na re, quę ſatis florida, ſatis iucunda & tranquilla erat, ad Mahumetem principem me conuertam, qui recenti Ballabani præfecti ſui interitu, & fœda ſuorum fuga, & ſtrage uehementer indoluit, afflictans ſe, & macerans ſupra modum, quod obſidio urbis Croię diſſoluta eſſet: & quomodo ipſe de tanta ignominia aduerſus Scanderbegum ſe ulciſci poſſet aſſidue cogitabat, animocp dies, ac noctes uoluebat. Statuit tandem, ut coacto undicp ingenti ualidocp exercitu, ipſe iterum in Epirum contra Scanderdegum rediret. Quo audito Scanderbegus delectum accuratiorem cp ad alia bella unquam habere ſolitus eſſet, fieri iuſſit, & omnia loca & urbes prçmunijt atcp firmauit. Peracto igitur anno, expectato ueris tempore, quod expeditionibus eſt magis aptum, quo cuncta in campis germinantia rident, ipſe innumeris copijs, uario tormentorũ genere, artificibuscp in omni arte peritiſſimis in Epirum proficiſcitur. Qui ut primum uenit, in quadam lata & ampla planicie, quam incolæ Sauram appellant, prope Scombinum flumen caſtrametatus eſt, ubi princeps Hyaranites Cominatus Scanderbegi ſocer præerat.

præerat. Eacp tempeſtate Ottomanus quodam in angulo iuxta populos qui Iates, Brateſcoſagni, Cherabi, Buſerſechi, & Sopotani dicti ſunt, urbem Valmorum iamdudum à Gallogræcis, & Barbaris funditus euerſam, quam nunc noſtri ciuitatem nominant, inſtaurauit, atcp reædificauit, qua fortiſſimo milite, omnícp præſidio munita, firmatacp caſtra ſua inde ammouens ad urbem Dyrrhachinam expugnandam profectus eſt, putans illam ex improuiſo immunitã, imparatamcp adoriri, ſed eum ſua fefellit opinio. Nam tum Veneti ipſi, tum Scanderbegus princeps tam terreſtri, cp maritimo milite omnícp præſidio eam munierant, à qua Ottomanus princeps cum multa cæde ſuorũ turpiter repulſus atcp reiectus eſt. Cęterum eo impræſentiarum omiſſo, pauca de laudibus huius urbis in medium afferre decreui. Dyrrhachium, quod prius Epidamnum dicebatur, urbs eſt Epiri, ab Epidamno quodam (ut nonnulli uoluere) iam primum condita, à quo & nomen aſſumpſit. Huius ex filia nepos Dyrrhachus nomine portum adiecit, quod Dyrrhachium appellatũ eſt. Verum ut alijs placet, Dyrrhachium urbs Epiri maritima, eſt caput Taulantium, Pireorum, & Pratinorum, inter Lyſſum & Apolloniam poſita. Quæ cum prius Epidamnum uocaretur, propter inauſpicatum nomen (quia uelut in damnum iturís omen eſſe uidebatur) à Romanis poſtmodum Dyrrhachium eſt appellata, à Cheroneſo in quo ſita eſt ſumpto uocabulo, à Corcyreis (ut quibuſdam placet) condita, quam potius ab ijs inſtauratam dixerim. Nam hæc, ſi antiquiſſimis autoribus, & famæ credimus, inter cæteras urbes uetuſtiſſimas connumeratur. Cuius laudes & prçconia magna multacp extant. Nam (ut inquit Lucanus) Dyrrhachium opus eſt non manufactum, ſed natura munitum, in rupibus adeò altiſſimis poſitum, ut qui nauigant ſuſpicientes mœnium altitudinem, non ſolum admiratione quadam, ſed periculi timore attoniti fiant. Ea enim mari circumdata præruptis rupibus ab una parte qua collis eſt cõtinenti terræ coniungitur. Hinc portum habet tutiſſimum, cõmodiſſimumcp. Illinc campos latiſſimos, amœniſſimoscp, agrum fertilem, & omnibus rebus copioſum. In ea ſunt ædes ſacræ, templa auguſta atque magnifica. Ibicp conſpiciuntur imagines Regum, & Imperatorum. Ibi uiſuntur antiquiſſima Principum monumenta. Ibi ſtatua Adriani Cæſaris, ſeu potius Coloſſus ingens ex metallo conflatus, in æditum locum erectus eſt ad portam Caballinam ſeptentrionẽ uerſus. Arena prçterea, ſiue Amphiteatrum mira arte ingeniocp conſtructum. Muri urbis munitiſſimi, turribus, alijscp inſignibus operibus ornati, decoraticp. Spectãda quocp ea ciuitas eſt maxime in maritimarum ſpecie, ſalinarũ, ac mercium cõmoditate. Hęc eſt Dyrrhachina urbs illa, quę Romanum uidit Senatum, ac perbenigne ſuſcepit ciuili ſanguine, atcp inteſtinis bellis non inſignis minus, cp infœlix. Quę demum qualis quantacp fuerit, ipſa ruina docet.

Epidamnũ Colonia propter inauſpicatũ nomen à Romanis Dyrrachium appellata, nam Epidãnus urbs Macedoniæ à damno deduci uidebatur. Vide Pli. lib. 3. cap. 23.

Antiqua monumenta in Dyrrhachio

Poſtquam igitur Mahumetes à Dyrrhachinis tam male habitus eſt, & omnis eius conatus in irritũ ceciderũt, credidit Scanderbegum urbis

Abſceſſus Mahumetis ab urbe Dyrrachina.

præſidio adeſſe, propterea quod milites eius pleroſq; ibi eſſe nouerant. Quare retrocedens ad urbem Croiæ iter contendit, eamq; in modum corone undiq; cinxit, & primum petijt ab oppidanis, ut urbem, ſeq; in eius poteſtatem traderent. Quibus etiam multa dona & munera promiſit. Cuicum Croienſes uarijs tormentorum, ac telorum generibus reſponſum dediſſent, poſtea erumpentes ex urbe, acerrime cum eo decertarunt, uictoresq; cum gaudio & multis hoſtium cæſorum capitibus in urbem redierunt. Verũ Scanderbeg, qui & ipſe in campo cum ſuis aderat, qui nec latere, nec quieſcere nouerant, Barbarũ impune ire non permiſit. Nam eius caſtra aggreſſus, die noctuq; eum infeſtabat, uarias cędes et damna ei inferens, adeò quod Mahumetes animaduertẽs, nihil ſe aduerſus Scanderbegum proficere poſſe, inde diſceſſit, & locũ quendam ad littus Adriatici maris nõ longe à Dyrrhachio poſitum petijt, qui nunc ab incolis Caput redoni dicitur, ubi princeps Scanderbegus nuperrime urbem, quam Chiurilum appellauit, ponere cœperat. Quam quũ Ottomanus nondum habitatã, nec perfectam reperiſſet, funditus euertit. Dehinc ad expugnationẽ quorundam populorũ Scanderbego ſubditorũ acceſſit. Scanderbeg aũt aſſiduc illum infeſtando ſequebatur, qui montana etiam & aſpera loca incolebant, eum die noctuq; aſſidue laceſſebant, à quibus cęde, & ignominia maxima affectus inde diſceſſit. Ad extremũ uero deſperata de Scanderbego uictoria (qui prius omnia munierat atq; firmauerat) relicta Albania & Epiro, mœſtus ac triſtis turpiter diſcedens, Bizantium unde uenerat petijt. Poſt cuius diſceſſum illico duo ex ſuis præfectis, Ali, & Aias uenere, miſſi ab ipſo ad tutãdos duntaxat, ſaluandosq; fines ſuos, ne à Scanderbeganis infeſtarentur, quos nullatenus ad bellum prouocarẽt. Qui cum primum uenere, Barbara arte uſi, quo Scanderbegum in ſuam attraherent amicitiam, ſibiq; conciliarent, multa xenia, dona & munera ad illum, clam admodũ ab Ottomano facere fingendo, miſerunt. Quibus Scanderbeg, quo animi ſui magnificentiã cognoſcerent, & ne à Barbaris geatitudine atq; beneficijs ſuperaretur, pulcherrima uiciſſim munera dedit. Interea uero Scanderbeg iuſſit undiq; delectũ fieri, ut maximo coacto exercitu ad urbem Valmorum expugnandam, quam nuper Mahumetes fundauerat, pròficiſceretur. Morbo tamen graui implicitum (prò dura fati potentia) ab ea expeditione eum fortuna ſubtraxit. Nam quum uniuerſam prouinciam ad recenſenda capita obequitaſſet, & Lyſſum tandem peruenijſſet (ea enim urbs Veneto imperio parens, Scanderbego peculiaris, & perchara erat) ut ibi ſocios & confœderatos ad concilium congregaret, in grauem incidit febrem. Vnde morbo indies inualeſcente, magis timens ſibi, & iam extremum uitæ tempus aduentaſſe ratus, omnes ſocios & principes, qui ad eum uenerant, conuocari iuſſit. Præterea Venetorum etiam legatos, quibuscum maxima erat neceſſitudine atq; beneuolentia deuinctus, ad hæc duces ſuos, & caſtrorum præfectos, omnesq; ſic benigne alloquutus eſt:

Barbari & Scanderbegi munera mutua.

Lyſſa Veneto rum urbs.

Summam

Summam ueramq; uirtutem atq; religionẽ, Principes optimi, uosq; Commilitones amantiſſimi, eſſe arbitror, Deum ſummum optimumq; imprimis iuſte, ſancte pieq; uenerari, colere, obſeruare: Dehinc patriam, remq; publicam, in qua natus quisq; educatusq; eſt, non amare ſolum, tutari, ſemperq; pre oculis habere, ſed etiam ad ſanguinem uſq; protege re, atq; conſeruare. His enim omnibus, qui hoc faciunt, propriũ in cœlo locum diffiniuere ſapientes. Quæ quidem omnia, quæ ſemper mihi cordi fuerint, ad eaq; omni ingenio, totisq; uiribus contenderim, Deum immortalem, uos q; optimos mihi teſtes adduco. Iam trigeſimus peractus eſt annus, commilitones mei, quod impias atq; nepharias Amurathis Turcarum principis manus euaſi, & in regnum meum auitum ac paternum confugi. Ex quo bella aſſidua, cum pro rei totius noſtrę tutela, tum Chriſtianæ Reipublicę dignitate aduerſus perfidam gentem, & Ottomanam rabiẽ geſſi ſemper, atq; ſuſtinui, omniaq; propicio Deo fauſte, fœliciter, & ex animi ſententia ceſſerunt nobis, nec uictum unq; iuſta acie, aut profligatum me Principem & commilitonem ueſtrum, ſed uictorẽ ſemper de hoſte (liceat hoc & mihi dicere) excepiſtis: neq; memini unq; me prę terquam ſemel ſagitta in pede dextro à Barbaro quodam ictum fuiſſe, quem illico in totius exercitus conſpectu obtruncaui, caputq; eius cruentum ante pedes ueſtros proieci. Aliâs quidem nunquã (ut noſtis) membra hæc, corpusq; meum tot bellis, tot periculis expoſitũ uel ferrum hoſtile ſenſit, uel uulnere aliquo indoluit. Nunc uero (ſic rerum humanarum ordine procedente) reuoluto tertio & ſexageſimo ætatis meę anno, iam in ſenium uergens, Ecce ò ſocij, ecce cõmilitones chariſſimi, morbo graui correptus, & totus naturali uirtute, & robore deſtitutus, iamiam deficio. Sentio iam commilitones mei, ſentio inquam, diuina ſic iubente prouidentia, qua cuncta conſtare regiq; non immerito fatemur, depoſita fragili hac, mortaliq; ſarcina ad alia loca concedendum, uitæq; huius breuitatem, atq; erumnas, cum ijs quę uera ſunt commutandum eſſe mihi, neq; cogitatio me hęc, aut neceſſitas potius (Deum teſtor) aliquo modo perturbat. Non inuitus iugum hoc ſubeo, quod naſcentibus nobis fata dedere. Nihil dolendum eſt, nihil ingemiſcendum, quod præter legem non patimur. At ea ſumus lege nati, ut omnes in hac mortalitatis neceſſitate poſiti ſimus. Scio autem, quod omnibus neceſſe eſt, id ne miſerũ eſſe uni poteſt. Reddenda eſt tandem terra terræ, obtemperandum naturæ, reſtituenda æterna hæc, immortalisq; anima, cœleſtisq; ſpiritus illi, qui tradidit, commodauitq; nobis. Neq; tamen hanc moriendi ſortem idcirco ita æquo nunc animo ſubeo, amplector; ô ſocij & commilitones dulciſſimi, quo pericula illa fugiam, labores euitem, erumnis me abſtraham, in quibus hucuſq; pro Chriſtianæ Reipublicæ dignitate & fide annos omnes expoſui, & uitam peregi, quippe quũ & plura, & maiora ſemper pro ea ſubire paratus ſim. Sed uideo, uideo iam hanc eſſe diuini numinis uoluntatem, ſentio Deum, clareq; perſpicio, cui omnino eſt parendum,

Teſtamentum & uerba, quibus Scanderbeg ad ſuos duces & præfectos caſtrorũ uſus eſt.

Scanderbeg uixit annos 63.

h iij ut ex hac

ut ex hac terrena fece, ac infœlici ergaſtulo tandē recedam. Satis præterea naturę indulſi, uix iam ſatis, & quem dederat curſum fortuna, peregi. Verum antequam & ſpiritus me, & uos ipſe deſeram, atq; relinquam, illud occurrit imprimis, de quo uos alloquendos, ac commonendos putaui, ut ſolitus ſum ſemper, dum per melioris ętatis annos integrum fuit mihi, ut Chriſtianæ Reipublicæ, ac Catholicæ fidei ſalutem atq; dignitatem, ſicut pro ea hucuſq; uiuente me tanto omnium Chriſtianorum principū fauore & admiratione ad extremum uſq; ſpiritum elaboraſtis, inſudetis, ita impoſterum mortuo quoq; unam ſemper in animis, unam præ oculis habeatis. Hababitis autem (mihi credite) facillima ſemper omnia uobis, fœliciſſimaq;, ſi primum mutuam inter uos pacem & concordiam, qua uel minima quæq; maxima fiunt, fidemq; atq; beneuolentiam inuicem ſeruetis, omniaq; ſemper infra commune bonum, & utilitatem publicam ducetis. Nullum eſt enim tam potens, ualidumq; imperiū, quod nō corruat quandoq;, atq; dilabatur, ubi mutuis odiis atq; diſſidiis prębeas locum, ubi priuatam utilitatem, propriumq; commodum publico bono anteponas. At uero ſi concordes inuicem & coniuncti eritis, neq; hoſtis ullus, neq; aduerſarij impetus obeſſe poterit uobis: regna, imperiaq; ueſtra durabunt, ſemper permanebunt: populos, gentes, uxores, liberos, fortunasq; ueſtras, in quiete, & fœlicitate perpetua collocabitis. Non Ottomani rabiem, non Barbarum furorem timere poteritis, non doli eius artes, uel inſidiæ aduerſus uos quicquam proficient, qui ut uos, uiresq; ueſtras ſeparet atq; ſeiungat, dies noctesq; molitur atq; laborat, quo ueſtrum unumquenq; ita ſeorſum, ſigillatimq; oppreſſum, ex animi ſui uoto deleat atq; euertat. Præter hæc, ſocij & milites fortiſſimi, Iohannem filium meum, quo maiore poſſum ſtudio, diligentia, cura, commendo uobis, fideiq; atq; uirtuti ueſtræ dedo atq; trado. Qui propter ætatem infirmus, & balbutiens ferè adhuc, neq; ad præuidendam, neq; ad propulſandam calamitatem eſt ſatis idoneus, ne feræ & rabidi tigrides eum deuorent atq; dilanient, ne Mahumetes perfidus, & communis hoſtis illum, regnumq; eius opprimat (ad quod ſemper anxius eſt) & ei rabido atq; cruento ore omni tēpore inſidiatur. Et obtinebit (prò dolor) obtinebit, opprimet miſellum, ni uirtus ueſtra, armaq; eum protexerint, atq; conſeruauerint. Quod primum enim ſentiet truculentiſſimus Tyrannus me ab humanis ademptum, non ſtabit uel temporis momento, aduolabit quàm ociſſime, tanquam rabida belua, ut tot mala, tot clades, tot iniurias à patre acceptas, in paruulo infœlicięq; filio ulciſcatur, atq; reſarciat, ędatq; in eo (heu me miſerum) omnia efferaciſſimi animi, atq; crudelitatis exempla. Amplectimini igitur ſocij & commilitones amantiſſimi, rem & imperium eius ea fide, ea diligentia, qua ipſe cuncta commoda & ornamenta ueſtra (ſi uera fateri uelitis) omni uitæ meæ tempore ſum amplexus. Qui non mihi uixi ſolum, ſed uobis omnibus, liberisq; ueſtris, itaq; laboraui, inſudaui, ut neq; dies, neq; noctes á laboribus, & uigilijs

Scanderbeg moriturus, filium ſuum Iohannem commendat.

gilijs ceſſarem. Non ocio, non quieti ſuperfuit mihi tempus aliquod in uniuerſa uita, non locus certus, non tempus cibi, ſomniue ſumendi fuit unquam, noctes pares diebus inſomnes ducebam. Cura & incolumitas regni, & imperij ueſtri nō minus cordi mihi, quàm propria erat. In quos (Deum teſtor) ut nunc ſaltem, poſtquam in hunc incidi ſermonem, animum meum aperiam uobis, nihil unquam fraudis, nihil doli aut feci, aut machinatus ſum. Vosq; non ut milites, ſatellites, aut miniſtros, ſed ut ſocios, & fratres ſemper habui, & dilexi. Nemo ueſtrum à me unquam (quod meminerim) non modo manu uiolatus, ſed ne uerbo quidem inclementiori appellatus. In caſtrenſi cura, & labore, in militari officio, in excubijs, in uigilijs nunquam uobis inferior eram, ſed tanquam unus ex commilitonibus me habebam, & facta mea, nō dicta ſequi uolebam, nec diſciplinam modo, ſed exemplum à me peti. Nullum unquam laborem, nullum diſcrimen aut periculum recuſabam, ſiue aliqua ſimulatione, aut tergiuerſatione fugiebam. In hoſte aggrediendo (abſit inuidia uerbo) in ter primos uerſabar: è prælio & pugna cum ultimis redibam. Exuuias & hoſtium ſpolia, prædasq; Barbarorum uobis imprimis impartiebar, diuidebamq;, nihil mihi de his retinebā. Regnum, imperium, fortunas, mea denicq; omnia communia faciebam uobis. Nihil proprium erat mihi, aut certum, nihil diuiſum à uobis, nihil ſeparatum. Nunc commilitones chariſſimi, ecce morior, ecce uos deſero. Quare rogo omnes, obſecroq;, ut hanc fidem, beneuolentiam, charitatem, quam in me uos uel nullo temporis momento deſiderare potuiſtis, eam in Iohannem filium, regnum & imperium eius ultro exhibeatis, atq; impendatis, quem ego effigiem, atque imaginem meam, uicarium pro me uobis do, dicoq;.

His dictis, continuo ad ſe filium ſuū aduocans, ſic blandis uerbis commonendo eum alloquitur: Fili mi Iohannes, fili mi, ecce iam morior, & te infantulum atq; tenellum relinquo. Equidem tibi ego regnum, & imperium trado firmum & ſtabile, ſi bonus eris: ſi uero malus, debile & imbecille. Stude igitur fili mi, inniterę, ut bonitatem & uirtutem ſolam rebus cæteris omnibus anteponas. His enim & teipſum conſeruabis, & regnum, atq; imperium tuum, non tranquillum ſolum, & quietum efficies, ſed augebis quotidie, in maius proueheſ, atq; illuſtrabis. Verum quia nunc per ætatem impotens es fili, neq; idoneus ſatis ad habenas imperij tui ſuſcipiendas: præterea ſunt hoſtes undique tibi, ſunt feræ peſſimæ, quæ te continue deuorare, atque dilaniare ſtudent. Eſt enim Mahumethes ille Tyrannus communis omnium Chriſtianorum hoſtis, qui, ſi modo fili mi ita paruulus & infirmus paterni regni tui curam ſuſcipias, te omnino opprimet, atque euertet. Ideo animę mi quamprimum oculos paternos contexeris atq; compreſſeris, & corpus meum tumulo tradideris, confeſtim cum matre tua in Dauniam trajicito, & ad urbes, ciuitatesq; tuos cęmature properato, ibiq; uſq; ad puberes annos morā trahito, quoad imperij tui regēdi gubernandiq; idoneus efficieris.

Scanderbeg aloquitur filiū moriturus.

Postquam uero adoleueris, Venetum adeas imperium, ut tibi regni tui auiti et paterni sceptrum reddat, atq; restituat. Sub cuius nunc tutela atq; regimine illud relinquo, fideiq; committo, ut curam illius gerat, ab hoste protegat, tibiq; seruet. Manent enim sic inter me & Venetos fœdera, sic leges, pacta, & conditiones initæ sunt, ut regnũ tuum ab hostibus & inimicis tueantur, tibiq; seruent, atq; in eo te, cũ aptus ad id muneris fueris, reponant. De quorum fide & diligẽtia in rebus tuis nihil dubito, cũ soli sint Veneti inter cęteros Christianos principes (pace omnium dixerim) qui cũ grauitate, prudentia, & rerũ gestarũ magnitudine nemini cedant, tum fidei maxime & bonitatis prestantia imprimis amãdi, obseruandiq; sunt. Quod ego toto imperij mei, & uitæ tempore, in omni actionum genere, tantis rerum experimentis unus melius, q̃ alius quispiam cognoui, comprobaui, & expertus sum. Qui & socij mihi, ac confœderati, locoq; charorum parentum semper fuere. Eosdem tibi igitur fili parentes, eosdẽ principes, eosdem tutores relinquo. Ab eorum monitis, consilijs, præceptis, nunq; discedas. Soli sunt Veneti patres iustissimi, sanctissimi, Catholicę fidei & religionis tutores assidui, pupillorum, uiduarum, & omnium imbecillium, ac miserarum personarum protectores. Adeò præterea charissimi mihi, ut res eorum & imperium, curæ mihi, cordiq; perinde atq; meum semper extiterit. Tanta nostra in eos fides, & beniuolentia, ut urbium, ciuitatumq; suarum ius atq; arbitrium in manu mea omni tempore reliquerint, commiserintq;, easq; ita (propicio Deo) dum licuit mihi maxima semper fœlicitate tutatus sum, & ex animi eorum sententia conseruaui. Itaq; fili mi tutus esto, & sub eorum umbra atq; tutela securus ui uito, ad eosq;, quum ætas tua patietur, hilaris, & intrepidus accede, quia in sedem te uel cupide reponẽt. Vrbes ciuitatesq;, regnum, & imperium perbenigne reddent tibi, atq; restituent. In quo, si bonus & fidus eris, ab omni hostium ui & impetu, ab armis & telis aduersariorum protegent te semper, illudq; tibi incolume seruabunt, utpote qui principes potentissimi, sapientissimi, terra mariq; inuictissimi, nullũ socium sibi fidum, nullum amicum deserunt aut destituunt, neminem fraudant aut circumueniunt unquam. Quum uero fili mi in regnũ tuum pacatum & tranquillum reuersus sederis, illiusq; curam & regimẽ susceperis, iusticiam imprimis cole, quæ omnium uirtutum apprime est clarissima: æquitatem seruа, faciei pauperis, diuitis, & potentis nullo habito discrimine, in omnibus modestia & temperantia utare. Regnum tuum amicitia uallato, stabilitoq;. Nam neq; thesauri, neq; exercitus sunt præsidia regni, uerum amici, quos neq; armis, neq; auro habere queas, officio & fide parantur. Quare extat diuina illa Philippi patris in Alexandrũ regem obiurgatio. Quæ te fili ratio in hanc tam uanam spem induxit, ut eos fideles tibi futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui pellexisti, à charitate istud præstatur. Veluti enim terra ista hunc solem, quem uidemus, maxime deriderat, ita uita humana amicitia plurimum indiget. Comparabis igitur fili cuncta

Venetorũ laus

Præcepta pro Principe formando.

Amici præsidia regni sunt.

Philippi uox in Alex. regẽ.

fili cuncta hæc, comparabis (mihi crede) deuinces, tibi obligabis omne hominum genus, si præcepta mea seruaueris. Quum sola quippe humanitas, sola beneficentia sit, quæ Deo gratæ, hominibus acceptæ, tutæ ubiq;, & extra periculum positę, mirabiles in omnium animis sui amores generant, & cæteras facile superant uirtutes, ac longo post se interuallo relinquunt. Solę uel singulari sapientum testimonio atq; consensu, cũ omni hominum genere, tum principibus maxime necessariæ, habent enim omnium ingenia in sua manu, possident omnium animos in sua potestate. In arduis demum & aduersis fortis esto, fili. In secundis uero & prosperis fœlicem fortunam uirtute moderaberis, atque domabis. Mollis quietis, atque effœminati ocij impatiens esto, inde enim mala omnia proueniunt. Fomes omnium malorum ocium est. Milites tuos ignauia, uel desidia tabescere non permittas, sed laboribus, uigilijs, sudoribus assiduis exerce, eos tamen non ut ministros, sed ut socios & commilitones tractes. In Castrensi labore, & cura militari, non Imperatorem te tantum, uerumetiam militem exhibeas. Delicias maxime abhorre, luxuriam fuge, quibus fortissimi etiam & robustissimi uiri molles, effœminatiq; fiunt. Seueritatem quoque nimiam, & crudelitatem, quæ proprie ferarum est, euitato. In laboribus patiens, & periculis intrepidus esto. Rerum uicissitudinem, & uarietatem, fortitudine, atque prudentia moderare. Molestiorem fortunam ita feras, ut cælato, dissimulatoq; uulnere, nihil habeat hostis, quod de te glorietur, nihil quod calamitati tuæ insultet. Quid enim minus est constantis, & recti Imperatoris, quàm cuius animi motum uultus detegit. Barbarorum insidias præter cætara, in quibus maxime huiuscemodi hominum genus uersatur, ut fugias semper præ oculis habe. Fuge perfidiam, fuge dolos perfidæ gentis, contemne amicitiam, abominare societatem, & beneuolentiam nefandissimi Tyranni, sperne munera, blandicias, & promissa eius, ne, dum allicere cupit, & incautum te opprimat, & in æterna mala detrudat. Ideo consiliarios tibi notos, fidos, charos, omni tempore adhibeas. Hæc sunt, lux mea fili mi, præcepta & instituta, quæ ipse à parente meo haud pœnitendo magistro accepi, & didici, quibus delectatus sum semper: his me instruxi, his edocui, his etatem, & uitam omnem formaui, ex his denicq; fructus maximos cepi. Igitur ut ea nunc tu quoq; teipsum doceas, amplectaris, imbibas, obserues te maxime hortor, admonco, & (si pateris) parens, parens inquam rogo, oro, obsecroq;.

Laus humanitatis & beneficentiæ.

Ocium fomes omnium malorum est.

Quales consiliarij.

Dum hæc Scanderbegus dixisset, interea rumor ingens per uniuersam urbem excitatur, tumultusq; repens ex agris allatus pronuncio fuit, Turcas iam adesse, agros uicinos percurrisse, incendissecq;. Quo audito Scanderbegus, & si in lecto graui laboraret morbo, tamen animum illum pristinum, & inuictum, spiritus illos uiuaces, & Martiales comprimere, aut cohibere nequiuit. Quum è lecto assurgens, mem-

Irruptio Ahumathi Turcarum præfecti, cũ 15. millibus equitũ in agrũ Scodrensem.

gens membris iam uacillantibus,& tremebundis arma,clypeumq; ſuum peteret,& equum ſibi ſterni iuberet,ita uegetum ingenium in uiuido pectore uigebat. Sed quum membra eius iam uiribus & uigore ſuo deſtituta,debilitataq; fluitarent (heu bone Deus, quis eſt tam excelſus & ſublimis,quis tam ſtrenuus etiam & fortis, non dicam humilis, & debilis,ac imbecillis,qui mortem effugere poſſit?) procidens in lectum,ad milites conuerſus,hæc uerba inquit: Egredimini,egredimini milites in hoſtes & Barbaros,præite,præite me,quia uos ſtatim ſequar. Quorũ nonnulli equites urbem egreſſi,ad caſtra Barbarorum peruenerunt, qui Scodrenſem agrum deprædati,iuxta torrentem qui Clirus dicitur, prope urbem Scodræ caſtrametati fuerant. Venerat enim Ahamathius præfectus cũ xv. millibus ad agrum Scodrenſem depopulandum. Quos ut Barbari uiderunt,Scanderbegum adeſſe arbitrati, cõtinuo undiq; caſtris tumultuantibus,trepidantibusq;,relicta maxima parte prędę,per aſpera & ferè inuia nocturno tempore aufugerunt: erat enim menſis Ianuarij,niuesq; totam tellurem cooperuerant. Qui quum per ardua, & montium cacumina tranſirent,à regulis et incolis,qui ea loca inhabitabãt,oppreſſi ſunt, qui funeſtam eius populationem,& cruentam prędam fecerũt. Nam plures fuere capti,multi cæſi,prędam ferè omnem amiſerunt. Scanderbegus uero eadem nocte,qua Turcaicus & Barbarus exercitus aufugit, poſt ſacram confeſſionis pœnitentiam, cæteraq; Eccleſiaſtica Sacramenta qua decet ueneratione percepta,continue ſe animumq; ſuũ Deo maximo tradens xvi. kaleud. Februarias, Anno Domini mill. cccclxvi. extremum diem ſuum obijt. Fertur igitur Scanderbegus lxij. annos natus,xxiij. ſui imperij anno è uita migraſſe. Auguratus eſt autem Scanderbegus prima auſpicia imperij ſui quarto kalend. Decembris,anno eiuſdem Domini mill. ccccxlij. Quem Lechas Duchaginus regulus Epirota,de quo ſuperius mentio facta eſt,cum mortuum conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit,mœſtoq; uultu,& uoce confuſa,barbam ſibi euellens & capillos: Concurrite,concurrite, inquit,reguli omnes & principes Albani. Hodie clauſtra Epiri & Macedoniæ perfracta ſunt. Hodie præſidia & mœnia noſtra corruerunt. Hodie robur omne & uires noſtrę defecerunt. Hodie ſedes & imperia noſtra colllapſa ſunt. Hodie omnis ſpes noſtra cum hoc homine penitus extincta eſt. In eius quoque obitu equus quem ipſe equitabat cum pugnaturus eſſet,ferus,rabidus, & indomitus factus eſt,ita ut nullum amplius dorſo ſuo perpeti uellet, qui paulopoſt extinctus eſt. Sepultus autem eſt Scanderbegus in urbe Lyſſi in eccleſia maiori diui Nicolai,cuius exequiæ & feriæ more maiorum ingenti pompa,luctuq; militum ſuorum,& omnium Principum & Ducum dolore maximo,patrio ritu,deductæ ſunt. Eoq; loco oſſa eius repoſita in pace quieuerunt,quoad Mahumetes Turcarũ Princeps in Albaniam & Epirum ad oppugnandam urbem Scodræ uenit: de qua oppugnatione ſiue expeditione iam in alio libello quem ædidimus, diffuſius ſcripſimus.

De morte Scãderbegi.

Locus ſepulturæ.

Alius liber de oppugnatione Scodræ.

Quo tem-